BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
8
13 — G
45

Digitized by Google

HAGIOPHILI BLANDITIÆ SANCTÆ.

HAGIOPHILI BLANDITIÆ SANCTÆ

QVIBVS

IN JESV CHRISTI
GRATIAM SE INSINVAT
PER CENTENA PIETATIS
Exercitia erga SS^ma. Christi Viuentis, Mortui, ac Rediuiui, aliáque Mysteria, quæ ad eiusdem sacrosanctam Personam aliquâ ratione spectant.

Quæ festis diebus eius honori, ac SS. Mysteriis dicatis per annum assumi possunt.

A
R.P. PAVLO DE BARRY SOC. JESV
primò sermone Gallico vulgatæ,
Nunc à
P. ADAMO SCHIRMBECKH
eiusdem Societatis Sacerdote Latinitate donatæ.

MONACHII
Typis Lucæ Straubij, Impensis Ioannis Wagneri Bibliopolæ.

M. DC. L.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO, DOMINO

PHILIPPO WILHELMO

COMITI PAL. RHENI, BAVARIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM DVCI, COM. IN VELDENTZ, SPONHEIM MARCHIA, RAVENSBERG, MÖRS, DOMINO IN RAVENSTEIN, &c. DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

MAGNAM hodie operam, SERENISSIME PRINCEPS, pleríq; mortales in captandâ hominũ beneuolentiâ ponunt: cuius causâ iuuenes nõ Rhetorum modò ambages addiscunt, sed & pueri ad morum elegantiam à primis annis erudiuntur, vt blandiri priùs quàm

loqui discant. Inde peregrina regna obeunt, vt foris doceantur, quâ verborum mollitie domi sensum intexant, quo tibiæ flexu pedem trahant, quàm decenter digitos & brachia ad salutes & aulica ministeria inflectāt, quâ parte obliquè caput in humeros adducant, quâ mimicâ oris compositione blandos risus & affectati honoris imitamenta effingant, quâ demum totius hominis conformatione ijs se probent, quorum gratiam aucupari aut prouocare in se digitos volunt. Huic studio totum sæpe iter, imò vitam impendunt: qui si ad Principum ac Magnatum familias adleguntur, credunt se omne punctum tulisse, si comitatis & elegantioris obsequij laudem

dem ferant. Et hoc toto paſſim Orbe, maximéque in Aulis Principum, eſt receptum; vbi velut in natiuâ ſede gratiæ omnes & vrbani lepóres vulgò habitare cenſentur. Neque rarò in vera & Principibus debita officia Adulatorum fuci irrepunt, qui blandiendi artificium inani aſſentatione corrumpunt, atque ſinceras Regum, Principúmque virtutes vltra veri fines inflare aſſueti, è ſolidis bonis illaudatum quæſtum faciunt, dum follium inſtar præter vanam auram nihil aut ſectantur, aut efflant. Ego quidem, ob veriſſima maximáque SER[tis]. SVÆ decora, conſiderem, ab eâ me criminatione, quâ alios notaui, fore immunē, ſi Eius in DEVM, DEI MATREM,

Cælites omnes eximiam pietatem, ſingularem in ciues ac miſeros charitatem, humanitatem promiſcuè in omnes planè inſolitam, æquitatis publicæ indefeſſam curam, ac imprimis Religionem Catholicam tuendi ardorem hoc loco adduxiſſem: malo tamen, ne videar in meridie lucem ſpectatis Orbe toto SER^tis. S. virtutibus accendere, SER^mam. S. illis Blãditijs demulcere, quas, nullo adulandi metu Regi Regũ IESV CHRISTO deſtinatas, è Gallicæ non Aulæ, ſed pietatis diſciplinâ & linguâ in Latium traduxi; vt, vnde multi ad ſcitas vrbãitatis leges diſcunt Principibus abblandiri, inde non dedignentur Principes, Orbis vniuerſi Mõarcham ſanctâ expolitæ pietatis elegan-

legantiâ demereri. Hîc demum infinitas DEI Hominis dotes extollentem, nemo immodicę laudis arguet; nemo piè blandientis ingenuis vocibus adulationis notam inuret. Quis enim non omnia dicet Filij DEI ac Hominis meritis inferiora, vbi genus est Diuinum, vbi prosapia æterna, vbi Pater Deus, vbi Mater Virgo, vbi iustitia, pietas, clemētia, & si quæ sunt supremi Imperatoris ornamenta, dicuntur nō in DEO, sed DEVS esse; vbi merita infinita, gloria immensa, imperium perenne est. In huius Summi Ducis gratiam se insinuandi artes SER[ti]. S. idcirco fidentiùs inscripsi, tum quòd has ipsas Gallico idiomate traditas intelligendi peritiam in SER[tis]. S.

 ditio-

ditione ſub Religioſo Magiſtro conſecutus, nolim aut iniuſtè vectigal, aut ingratus Minerual negare: tum quòd nec ignorem, SER^tem^. S. blandiſſimâ humanitate mortalium animos ad Sui venerationem amorémque conuertere; nec dubitem, quin Eadem Religioſæ mentis Blanditijs, pridem Diuinos ſibi fauores demeruerit. Auſim enim viuum Palatini Leonis miraculum mortuo Samſonis Leoni præferre: etſi enim dulcis illa mellis illecebra in exanimi ferâ gulam Samſonis allexerit; incredibilis tamen in SER^te^. SVA viuâ & incolumi (atque vtinam totis ſæculis!) morum dulcedo ſuperûm juxta & mortalium voluntates multò potentiori illicio ſibi pri-
dem

dem deuinxit : vt, siue SER^tas. SVA clientibus suis mitia imperia dictet, siue ad DEI congressum admissa, supplex illius manum & beneficia prenset, semper mellea sanctas Blanditias exhalet. Precor, vt juxta tam pium gratiæ apud JESVM ineundæ compendium, amplissimo infimæ obseruantiæ meæ indice locupletatum, SERENITAS SVA in terris diutissimè, in Cælis æternùm JESV CHRISTO generis humani DELICIO, blandiatur. Ita voueo Ingolstadij. VIII. Id. Augusti, Anno M. DC XLIX.

SERENITATI SVÆ

Deuotissimus

ADAMVS Schirmbeckh
Soc. IESV.

APPROBATIO R.P. PROVINCIALIS.

HAGIOPHILI BLANDITIAS SACRAS. Gallicè ſcriptas à Patre Paulo de Barry, Latinè redditas à P. Adamo Schirmbeckh, vtroque Societatis noſtræ Sacerdote, cùm deputati Patres cenſuerint, probauerínique: Ego Laurentius Keppler Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Prouincialis factâ mihi ad id poteſtate ab admodum Reuerendo Patre noſtro Florentio de Montmorency eiuſdem Societatis Vicario Generali, in lucem dari permitto, fidémque conceſſionis facio meâ manu & Officij Sigillo. Oeniponti 6 Octobris 1649.

Laurentius Keppler.

IESV CHRISTO DEO HOMINI, DELICIO GENERIS HVMANI.

POst Paradisum Matris, quem in ipsâ Patria direptione, velut peregrinum in illâ calamitate fructum, in Latium transtuli, rectè ad Filium me verto: quòd confidam, Matrem, cuius gratiam studui priori Pietatis Hecatombe occupare, ad tuas aures ac beneuolentiam aditum mihi conciliâsse. Et profectò decens non erat, quando Auctor tam pius non tuo tantùm honori sed etiam Nomini suum laborem inscripsit, me, qui in cæteris omnibus eius assequi mentem conabar, ab illo in Mecœnatis delectu discedere, alterique laborare, quàm cui pridem nostra studia, nomen, & salutem debemus. Quòd verò te Matri postponam, humaniter feres; si memineris, me & operum Auctoris, & nascendi ordinem secutum, per gratiæ Portam ad tuam Maiestatem

A 7 pene-

penetrâsse. Neque id sine Auctoris exemplo sum ausus, qui priusquam tuas aures prensaret, Matris tuæ indulgentiâ & facilitate fretus, maluit primi laboris successum sub eius auspicijs experiri, quàm nondum facto virium gratiaque periculo, præpostero placendi studio vtrique displicere. Omnino Matres faciliùs errata dissimulant, quæ ad veniam nunquam difficiles, natorum quandóque modestis erroribus potiùs quàm superbo successu oblectantur. Accedit, quòd tertium laborem S. Iosepho Nutritio tuo dedicaturus, hac ratione Te in medium recipiam, exemplum à pictoribus mutuatus, qui Te medium inter MARIAM & IOSEPHVM sistunt, gnari videlicet, quis locus virtutem deceat. Spero proin, quidquid hic seu meo sensu, seu alienis exemplis tentaui, Tuæ Humanitati tantò fore gratius, quòd non aliâ, quàm Matris tuæ dulcissima manu, cuius attactu omnia mitescũt, cupiam hunc meum laborem diuinis manibus inseri: confido, Illam reuerentiæ meæ, quâ vereor profanis digitis diuinos articulos temerare, libenter

con-

consulturam, ac illo pollice, quo librum attrectabit, omnes operis & interpretis lituras ac nauos absterfuram. Admitte igitur, IESV suauissime, sereno vultu scribentis conatum; & gratiam, quam doceo tui amantes apud te aucupari, mihi ante omnes in aditu operis prensanti, pro tua Humanitate impende. Persoluisti omne suscepti laboris pretium, si tui honoris interpretem & studiosum è Libro Vitæ non expungas. Ita manebo, iure, possessione, amore, IESV Seruator mi dulcissime!

Æternum Tuus

A. S. S. I.

AD LECTOREM.

MICE Lector, Summa felicitatis in hac vitâ est, IESVM & MARIAM amare. Iam antè sum conatus in PARADISO APERTO, quem priori anno à me editum vtique videris, te ad amandam Matrem exstimulare: at nunc denuo adsum, vt tibi significem, Filium esse longè ampliori amore dignum: quòd si cor vnum MARIÆ consecrâris, totis myriadibus Cordium tibi opus fore, quæ amori IESV consecres; eúmque omnium cordium amore prosequaris. Porrò ingens eum amandi, eiúsque amorem promerendi compendium est, studium eos imitandi, qui religiosis obsequijs, & teneræ pietatis exercitijs, quibus adoranda Christi Vitæ ac Mortis mysteria sunt venerati, suum illi amorem ac reuerentiam testatam fecêre: id quod te singulæ huius libri pagellæ docebunt. Et meo quidem iudicio hic denique opportunus locus est, eius dulcissimum Cor sibi deuinciendi,

etsi

etsi ab huius temporis mortalibus minùs in vsum ac obseruationem deductus. Adeò enim plerique ingenij abstrusis commentis ac ratiocinationibus se dedunt, vt vsum ac pietatis exercitamenta vtplurimum negligant, ne dicam repudient. Hæc non eò dixerim, quasi velim illorum existimationi quidquam derogare; sed, quòd sentiam, præclaris voluminibus satis superque priora fuisse comprehensa; nolim aliam Hagiophilo meo necessitatem imponere, quàm, vt oblatis à me talium contemplationum fructibus contentus, delectum instituat, discátque vtroq; brachio, nunc intellectûs, nunc voluntatis IESVM dulcissimum sponsum suum amplecti; consultis primò præeuntium exemplis, deinde paria audendo; dum IESV sponsi sui charissimi amore ea molitur, quæ eius causâ intelligo pridem à Sanctis mentibus velut pro dignissimo amorum omniũ argumento suscepta. Eam igitur ob causam decreui, denuo seorsim vulgare,

re, quidquid ad IESV CHRISTI obsequia spectare videtur, ab opere illo sepositum, quod dixi mihi in manibus esse, vbi per singulos anni dies certum pietatis genus annotaui; quòd considerem, quando probata, lectáque cum voluptate fuêre illa, quæ pro Matre pulchræ Dilectionis conscripsi, non minùs accepta fore, quæ tractanda de Principe Sancti Amoris & amabili præ Filijs hominum suscepi. Amice Lector, hæc summa est eorum, quæ tibi adducam; pro auctuario paulò pluribus te in Præfatione instituam, modò mihi satis est, primo congressu, ad quem me admisisti, causas tibi explicuisse, quibus persuasus calamo hunc laborem imperaui, vt de IESV, fidissimo bonarum mentium amico tractaret. Denuo tibi inculco, hoc enim mihi pulchrum duco; quandoquidem scopus illius operis, quod molior publico bono evulgare, est Annus sanctus, siue Institutio Hagiophilæ, quâ discat more exemplóque Sanctorum viuere, ac annum

rum sanctè transigere; an non æquum est, fructuum ac honorum primitias IESV & MARIÆ dicari; præsertim, cùm à primis vitæ annis pro regulâ ac face actionum mearum solitus sim mihi occinere:

IESVM scire mihi, satis est, & amare MARIAM?

BLAN-

BLANDITIÆ SANCTÆ
QVIBVS
IN IESV CHRISTI GRATIAM
HAGIOPHILVS SE INSINVAT

Per Centena Pietatis Exercitia erga Sacrosancta Vitæ & Mortis Christi Mysteria.

PRÆFATIO.



EMO ignorat, nihil adeò esse amabile, quàm IESVM, Regem cordium nostrorum, & viuam imaginem omnium excellentiarum DEI Patris sui. Quis eum non amaret? plenus est illecebris, quibus mentes nostras ad se amandum pelliciat, Princeps est pulchritudinis, Deus Homo, Homo-Deus, nostrarum mentium ardentissimus amator, & illicium amoris omnium, quæ fingi possunt, potissimum: qui vt mortalibus desineret in amoribus esse, necesse foret, eos excordes fieri, ac nouas rationes excogitari, quibus persuaderi possent, amorem dignum amore non esse, & scopum amoris præstantissimum amabilem non esse.

Et

Et quis eum non amaret? Vestitus est corpore quod est miraculum corporis, summè pulchri, summè gratiosi. Corpus purissimum, penitùs Virgineum, sanctissimum, perfectissimum, opus sancti Spiritûs, instructum gloriæ dotibus, claritate, impatibilitate, subtilitate, agilitate, & omni corporis compositiõe longè excellentiori, quàm sunt, aut erunt omnia Cælitum corpora, & idcirco vndequaque amabile. Qui amare IESVM nollet, necesse foret, eum ex orbe hoc migrare illúcque secedere, vbi exaudiri vox Pauli non posset dicentis: a Si quis non amat Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, sit anathema.

Et quis eum non amaret? Animã præditus est excellentiori perfectiorique, quàm fuit vlla à Deo condita, Animâ ex omni parte plenâ gratiæ, gloriæ, scientiæ, virtutum omnium, & ipsius Dei, cui coniuncta est per vnionem hypostaticam, æquè ac corpus eius pretiosissimum: quæ coniunctio nobilior ac eminentior est, quàm sapientia diuina vllam vnquam excogitauit: Animâ, quæ

a 1. Cor. 16.

quæ est meta diuinæ oblectationis, quâ Deus extra se fruitur. Principium operum diuinorum, quæ sola plures eximias dotes ac perfectiones comprehendit, quàm res cæteræ omnes à Deo creatæ: Animâ, quæ non solum archetypon est omnium diuinorum prodigiorum, sed etiam post DEVM materia beatitatis tam Angelorum quàm hominum dignissima. Qui amare hunc recusaret, oporteret illum rationis, corporis, & animæ expertem fieri, aut corpus è rupes animam è marmore habere; quin curandum cauendúmq; ei foret, ne ex eo loco, aut rupe esset, quæ tempore tristissimæ Mortis Seruatoris nostri passa est se mediam findi.

Id quidem certum est, sciri, Deo sint laudes, eum esse amabilem, & passim amari; at illum pro meritis amari, aut certè tanto amoris æstu ac contentione, quantâ possent illum deperire, hoc sanè dici non potest; & ob hanc causam vehementer desidero, à Deo Ecclesiæ hanc felicitatem concedi, vt liceat nobis æuo nostro intueri, mortalium amores in Dei Filium quotidie magis incendi, ac studia perpetuò ardentiùs exci-

tari

tari bonarum mentium, quibus alius scopus ac nobilior non est præfixus, quàm Regnum IESV propagandi, omniúmque mortalium pectoribus eius amorem insculpendi.

Credi non potest, quàm propitijs oculis Deus huiusmodi conatus, & studia similes progressus faciendi dignetur. Apud me certè indubitatum est, cælum in nullos alios cælestia dona liberaliùs depluere, quàm in eos, qui eò collimant aut etiam pertingunt, vt amorem IESV & volentibus & inuitis, certè nihil minus antè cogitãtibus ingenerent. Extra me rapior, quoties illius gratia tam rara memini, quam S. Gertrudis didicit S. Mechtildi sorori suæ collatam; a hæc graui morbo detenta jam cum morte luctabatur, cùm in cælesti ostento vidit, Christum, qui dignatus erat famula sua in illo tam difficili articulo adesse, à SS. suâ Matre tunc præsente aliquid meritorum & honorum de supremo Matris ac Virginis titulo decerptum congerere, vt inde pretiosum & admirandum monile efficeret,

a Ex vitâ S. Mechtildis.

ceret, margaritis & gemmibus elegantijs ... rè splendens; quod dein ægrotantis pectori imposuit, addita tam insigni prærogatiuâ ac potestate, vt dici, haberíque pro Matre & Virgine posset, quòd per omnem vitam, pro suo tanto & casto zelo, quo studebat Filio Dei omnium amores conciliare, IESV amatores genuerit; quandò sanctam memoriam castúmque amorem in mortalium mentibus excitauit, quo diuinum hunc amatorem complecterentur, qui solus dignus est nostras mentes & amores possidere.

Hæc idcirco commemoro, vt omnes, qui hæc lecturi sunt, ad amorem, æstimationem & studium inuitem eos imitandi, quos in amore IESV eximios hîc adducam, qui eum gratiæ locum, quem modò apud Verbum Patris obtinent, non aliâ ratione sunt consecuti, quàm actionibus pro amore ac veneratione dilecti sui susceptis. Et hic est scopus, ad quem potissimùm collimabam, ac præcipuè in hoc labore, quem mihi ipse per hoc sacrum otium imposui, spectabam, persuasus, Hagiophilum meum

nusquam

nusquam posse rectiùs Seruatoris nostri gratiam promereri, quàm per illa ipsa exercitia, quibus se in cælesti aulâ gratiosos illi olim fecêre, qui se illis addixerunt.

Ea porrò delegi, quæ sunt faciliora, ne quem ab eorum vsu absterrerem, ac pio genio istorum temporum me accommodarem; alij enim his se totos impendunt, alij alijs afficiuntur. Sed quamcunque sint hæc exercitia minuta & exilia, fauentem Deum habent, & adeò liberalem, vt diceres, ei tam accepta ac meritis æquè plena hæc esse, quàm sint aspera, molesta & difficillima quæque. Quo in negotio sum oppidò eruditus; & ne longè ab antiquo petitis argumẽtis vtar, sufficiet, quod non ita pridem intellexi, nuper adeò factum: Deus enim ijs, qui se paruis pietatis exercitationibus, quas priori anno pro colendâ Dei Matre proposui, tradebant, se fauentem præbuit. Potéstne aliquid esse faciliùs, quàm suspensum è collo Rosarium, aut noctu inter dormiendum brachio obuolutum pro honore B. Virginis gestare? res tamen memorabili exitu est decorata; contigit enim, vt ab homine fide digno ad me relatum est, quempiam, qui

eam pietatem adhibuit, ab omni prorsus inhonesto somnio liberari, quo antehac in somno infestabatur. Quid facilius, quàm quotidie pio cuipiam operi vacare, aut paruam sibi vim inferre, Deiparæ placendi, eámque sibi deuinciendi studio, aut animo, ei corollam texendi ex eiusmodi pijs actionibus conflatam, quã eidem in horâ mortis offeras? fuit tamen ex familiaribus meis, qui me per litteras edocuit, quamprimũ id agere pro Dei Matris amore cœperit tantã se consolationem & suiipsius fuisse victoriam consecutum, vt prorsus alium se sentiat, velut in alium orbem cælestibus delicijs ac benedictionibus plenũ immigrâsset.

Ordo quem obseruabo in proferendis exponendísque pietatis exercitijs, de quibus modò ago, non erit alius, quàm quem Mysteria Vitæ & Mortis Christi tenent, prout per annum se offerent: hinc aptè centenarium numerum elicui, ea etiam exercitia hic complexus, idq; iure, quæ ad Deum Patrem, ad S. Spiritum, & Augustissimam Trinitatem referuntur, ob eximiam cognationem, quâ hæ Diuinæ Personæ, ac Verbum Incarnatum se mutuò contingunt: ita qui-

dem,

dem, vt per occasionem impositi IESV Nominis octo suppeditem, quæ primos anni octo dies occupent, toto octiduo memoriæ incomparabilis Nominis attributo. Inde quadraginta sex de Christo Patiente subiungam, quæ totidem Quadragesimæ diebus inseruiant, tempori maximè ad expendendos Christi dolores idoneo. Sequentur deinde, quæ ad Resurrectionem, DEVM Patrem, Ascensionem, Pentecosten, Sacrosanctam Trinitatem, Venerabile Sacramentum, Transfigurationem & Natiuitatem Christi spectant, iis tantùm Mysteriis adductis, quæ præcipuo cultu Ecclesia afficit. Hæc omnia exercitia centenarium numerum efficiunt, ei omnino parem, quem Dei Matri sacraui: qui numerus perfectionem significat, ideóque te docet, nostram tam erga IESVM, quàm MARIAM pietatem decere quàm maximè esse perfectam.

Vt vt sit, centum omnino habes, eáque præcipua, ac talia, quæ tibi esse vsui possunt: etsi inde nihil nisi consolationem illam referres, se semel aut sæpius in vitâ amore IESV CHRISTI exercuisse, quidquid eius gratiâ olim sancti præstiterunt. Et hac est

primaria ratio, quæ copiosiùs in Anno sancto pertractanda erit, vt inuitem Dei & sanctitatis amãtes, ne hanc sibi felicitatẽ subtrahant, quò minùs semel saltem per omnẽ vitã agant, quidquid Dei causâ sancti suscepêre.

Hoc interim velim omnibus persuasum, pulcherrimum maximéq; gratum pietatis genus, quod exhiberi Dei Filio, ac arridere illi præ cæteris possit, imitandi eius omnes virtutes studium fore, quò omnes Diuorum conatus spectabant; quemadmodum sub huius libri finem dicam, vniuersos præ cæteris ad id hortaturus. Nihilominus, quoniam alia, de quibus hîc agam, mentes nostras vehementer ad IESV, Cordium nostrorum amoris, amorem accendunt, & multi Sanctorum ijs se impenderunt; existimo, meum consilium non inutile, nec laborem sine fructu fore: imprimis verò postquam vsu didici, ea, quæ eodem genio de Virgine Matre conscripsi, infructuosa minimè fuisse, neque consolationis expertia. Quocirca spero, quẽadmodum IESVM in ijs fauentem persensi, quæ à me pro Sanctissimæ Matris suæ honore sunt publicata, ita vicissim Mariam mihi circa illa fore propitiam, quæ pro Filij eius honore & gloriâ sum dicturus.



CAPVT I.

OCTO PIETATIS EXERCITIA ERGA FILIVM DEI pro Festo & Octauâ adorandi Nominis JESV. 1. Ianuarij.

EXERCITIVM I.

Pro 1. Januarij.

Summo mane, primo anni die, à IESV strenam postulare, exemplo B. Henrici Susonis ex Ordine S. Dominici.

HAGIOPHILE! pro auspicato munere, ac liberali strenâ octo pietatis exercitia, quibus Augustissimum JESV Nomen afficias, tibi apporto. Hoc est, sanctè annum auspicari, initium ei tam amabilibus obsequijs dare: quod ego maximopere fieri desidero, cupióque

que tam amabile Nomen altè tuo Cordi inſeri ; ac opto, vt maturè pro felici anni exordio tuum amorem erga præclarum hoc Nomen, ijs officijs, quę tibi ſubminiſtro, teſteris, ea tibi ab hoc die & ſequenti octiduo familiaria reddendo. Nomina quibus illi, cui tam admirandum Nomen eſt tributum, es obſtrictus, tanta ſunt, vt tibi facile debeat ac jucundum accidere, totum illi octiduum conſecrare. Vulgus quidem ſuam pietatem primo anni die abſoluit, Eccleſiæ morem in colendo eius diei feſto ſecutus ; ſed illos, qui ſunt IESV deuoti, qualis tu es, non decet tam parcos eſſe, quin totum octiduum ſuperaddant, vt peculiarem eius memoriam celebrent, ſanctámque conſuetudinem ac decretum animis inducant, ſæpe ad obuias per annum occaſiones aliquo pietatis genere, aut cunctis, quæ hîc ordine adiungam, ſe diſtinere.

Cæterùm his Ianuarij Kalendis, quæ primæ huius anni ſunt, aç dies ſtrenis deſti-

destinatus, vide, quid velim te gloriosi Nominis IESV, dilecti tui amore facere. Bene manè lectulum desere, curáque, vt inter primos templum adeas, ei salutem & bona verba pro noui anni auspicio dicturus, strenámque per decus, dulcedinem, ac merita Sacrosancti Nominis ab eo postulaturus. Forsan in delectu laboras, quam potissimùm ab eo strenam mendices: nihil ad me attinet, suggerere tibi; scíueris vtiq; , quorum defectu ac inopiâ labores. Si tamen audire super hac re me velis, præstò sum, volóque ac pronuntio, vt pro strenâ, virtutem quampiam ex illis, quæ tibi desunt, efflagites, vt patientiam, puritatem mentis, Sanctum & constantem IESV amorem, perfectam tuæ voluntatis cum ipsius conformationem, & tot alias, quibus necdum es instructus, nec deditus: aut etiam re totâ Illi permissâ, precare eundem, velit eius te hoc anno, quem modò adis, compotem facere, quod ad eius maiorem gloriam ac animæ tuæ salutem

erit maximè proficuum. Quòd si ad manum tibi elegans quædam cantilena, vel Hymnus sit, encomijs admirandi huius Nominis respersus, qualis est S. Bernardi, cuius initium: *IESV dulcis memoria*, tuis precibus attexe; quibus ea cantio faciliorem aurem conciliabit, mentémque tuam gaudio demulcebit. Si verò hymnus tibi videtur iusto prolixior, hæc pauca verba deprome:

Nil canitur suauius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur, dulcius,
Quam IESVS Dei Filius.

Hagiophile! has pauculas voces, aut alias similes illic adde, ac deinceps eo die sæpiùs diuersis horis itera; poteris JESVM tuum adeò tibi reddere obnoxium, vt te liberalibus donis accumulet, maiorique te beneficio ornet, quàm vnquam potuisses spe concipere. Audi, quantum B. Henrico Susoni emolumenti attulerit. Solebat is primo anni die strenam ab Infante Je-

sv exigere; & vt copiosam eliceret, vicissim ei de suo aliam offerebat: ea eximijs ac pijs cantilenis constabat, eius pulchritudinem, Augustum Nomen, diuinos eius amores, aliásque eius perfectiones laudantibus: toto dein die illud carmen perpetuò ingeminabat; neque eam odam credidisset pondus habituram, nisi subinde stropham quampiam honori Matris pulcherrimi & diuini Puelli attexuisset: si Nomen JESV decies illo carmine efferebat, nomen MARIÆ sexties in eodem redibat; si Nomen JESV millies pronuntiâsset, certò certiùs quingenties MARIÆ Nomen insonabat. Ita totus propè dies ei inter laudes & amores JESV & MARIÆ, ac vtriusque Nominum abibat. Neque hîc eius amores subsistebant; si quopiam loco amabilissimi sui JESV formam vidisset vel in Cruce, vel imagine expressam, tunc demum illam rigandi lacrymis, osculis terendi, mille flores ei aspergendi, mille depereuntis animi obsequijs ei blandiendi nullus

propemodum finis erat. Age, quid frugis ei tam dulcis labor contulit? reuera multum: quippe JESVS Infans sole Oriente pulchrior se illi stitit; qui postquam eius mentem cælesti dulcedine ac Ambrosiâ recreâsset, officiosas hasce voces addidit: Macte Henrice! rectè præclarum Nomen mihi à Patre impositum, colis. Scilicet sanctè amantium more loqueris; & vt video, JESVS est Nomen illud & illa vox, quam animo complecteris; hæc est cogitationum tuarum dulcis materies, & carminum tuorum intercalaris stropha. Quando igitur animo tuo tantopere Nomen meum est infixum, tuum quoque mihi cordi erit: & cùm meum sis amorem promeritus, & illorum vnus, quos jure amo; volo te nomen permutare, aliúdque tibi substituam, quod tua merita testetur, omnésque, qui te compellabunt, admoneat, te ex eorum numero esse, quos amari æquum est. Deinceps igitur noli te ampliùs Henricum dicere; sed Amandum te appellari

lari volo: nunquid credis te beatum? Pater meus mihi IESV Nomen indidit; JESVS tibi Nomen Amandi tribuit: Pater meus mihi pro Patrino eſt, JESVS tibi. Amande Fili mi! ama me, & perpetuò IESV Nomen ita venerare: in eo verò nomine, quod à me accepiſti, memineris te in anteceſſum arrham capere gaudiorum, deliciarum & felicitatis æternæ, quam tibi tuíque ſimilibus in domo Patris mei paraui. Quo dicto JESVS infans videri deſijt, relictâ in mente amantis ſui Amandi abundanti conſolatione, quam animo propè concipere, ſed linguâ aut calamo pro dignitate ornare prorſus non queo. Sed B. Amandus Suſo non fuit ſolus, qui mille laudibus IESV Nomen Kalendis illis celebrauit, aut hodie ab illo ſtrenam popoſcit; multi ſunt eius exemplum ſecuti: ipſe ego religioſos perſpectos habeo, qui primo anni die vigilantiores ſolito, promtiùs ſe manè è ſtrato proripiebant, vt alios in ſalutando Venerabili Sacramento, ac ſtre-

eam pietatem adhibuit, ab omni prorsus inhonesto somnio liberari, quo antehac in somno infestabatur. Quid facilius, quàm quotidie pio cuipiam operi vacare, aut paruam sibi vim inferre, Deiparæ placendi, eámque sibi deuinciendi studio, aut animo, ei corollam texendi ex eiusmodi pijs actionibus conflatam, quã eidem in horâ mortis offeras? fuit tamen ex familiaribus meis, qui me per litteras edocuit, quamprimũ id agere pro Dei Matris amore cœperit tantã se consolationem & suiipsius fuisse victoriam consecutum, vt prorsus alium se sentiat, velut in alium orbem cælestibus delicijs ac benedictionibus plenũ immigrâsset.

Ordo, quem obseruabo in proferendis exponendísque pietatis exercitijs, de quibus modò ago, non erit alius, quàm quem Mysteria Vitæ & Mortis Christi tenent, prout per annum se offerent: hinc aptè centenarium numerum elicui, ea etiam exercitia hic complexus, idq; iure, quæ ad Deum Patrem, ad S. Spiritum, & Augustissimam Trinitatem referuntur, ob eximiam cognationem, quâ hæ Diuinæ Personæ, ac Verbum Incarnatum se mutuò contingunt: ita quidem,

dem, vt per occasionem impositi IESV Nominis octo suppeditem, quæ primos anni octo dies occupent, toto octiduo memoriæ incomparabilis Nominis attributo. Inde quadraginta sex de Christo Patiente subiungam, quæ totidem Quadragesimæ diebus inseruiant, tempori maximè ad expendendos Christi dolores idoneo. Sequentur deinde, quæ ad Resurrectionem, DEVM Patrem, Ascensionem, Pentecosten, Sacrosanctam Trinitatem, Venerabile Sacramentum, Transfigurationem & Natiuitatem Christi spectant, ijs tantùm Mysterijs adductis, quæ præcipuo cultu Ecclesia afficit. Hæc omnia exercitia centenarium numerum efficiunt, ei omnino parem, quem Dei Matri sacraui: qui numerus perfectionem significat, ideóque te docet, nostram tam ergà IESVM, quàm MARIAM pietatem decere quàm maximè esse perfectam.

Vt vt sit, centum omnino habes, eáque præcipua, ac talia, quæ tibi esse vsui possunt: etsi inde nihil nisi consolationem illam referres, se semel aut sæpius in vitâ amore IESV CHRISTI exercuisse, quidquid eius gratiâ olim sancti præstiterunt. Et hac est

primaria ratio, quæ copiosiùs in Anno sancto pertractanda erit, vt inuitem Dei & sanctitatis amātes, ne hanc sibi felicitatē subtrahant, quò minùs semel saltem per omnē vitā agant, quidquid Dei causâ sancti suscepêre.

Hoc interim velim omnibus persuasum, pulcherrimum maximéq; gratum pietatis genus, quod exhiberi Dei Filio, ac arridere illi præ cæteris possit, imitandi eius omnes virtutes studium fore, quò omnes Diuorum conatus spectabant; quemadmodum sub huius libri finem dicam, vniuersos præ cæteris ad id hortaturus. Nihilominus, quoniam alia, de quibus hîc agam, mentes nostras vehementer ad IESV, Cordium nostrorum amoris, amorem accendunt, & multi Sanctorum ijs se impenderunt; existimo, meum consilium non inutile, nec laborem sine fructu fore: imprimis verò postquam vsu didici, ea, quæ eodem genio de Virgine Matre conscripsi, infructuosa minimè fuisse, neque consolationis expertia. Quocirca spero, quēadmodum IESVM in ijs fauentem persensi, quæ à me pro Sanctissimæ Matris suæ honore sunt publicata, ita vicissim Mariam mihi circa illa fore propitiam, quæ pro Filij honore & gloriâ sum dicturus.

CAPVT I.

OCTO PIETATIS EXERCITIA ERGA FILIVM DEI pro Festo & Octauâ adorandi Nominis JESV. 1. Ianuarij.

EXERCITIVM I.

Pro 1. Januarij.

Summo mane, primo anni die, à IESV strenam postulare, exemplo B. Henrici Susonis ex Ordine S. Dominici.

HAGIOPHILE! pro auspicato munere, ac liberali strenâ octo pietatis exercitia, quibus Augustissimum JESV Nomen afficias, tibi apporto. Hoc est, sanctè annum auspicari, initium ei tam amabilibus obsequijs dare: quod ego maximopere fieri desidero, cupióque

que tam amabile Nomen altè tuo Cordi inseri; ac opto, vt maturè pro felici anni exordio tuum amorem erga præclarum hoc Nomen, ijs officijs, quę tibi subministro, testeris, ea tibi ab hoc die & sequenti octiduo familiaria reddendo. Nomina quibus illi, cui tam admirandum Nomen est tributum, es obstrictus, tanta sunt, vt tibi facile debeat ac jucundum accidere, totum illi octiduum consecrare. Vulgus quidem suam pietatem primo anni die absoluit, Ecclesiæ morem in colendo eius diei festo secutus; sed illos, qui sunt IESV deuoti, qualis tu es, non decet tam parcos esse, quin totum octiduum superaddant, vt peculiarem eius memoriam celebrent, sanctámque consuetudinem ac decretum animis inducant, sæpe ad obuias per annum occasiones aliquo pietatis genere, aut cunctis, quæ hîc ordine adiungam, se distinere.

Cæterùm his Ianuarij Kalendis, quæ primæ huius anni sunt, ac dies strenis

desti-

destinatus, vide, quid velim te gloriosi Nominis IESV, dilecti tui amore facere. Bene manè lectulum desere, curáque, vt inter primos templum adeas, ei salutem & bona verba pro noui anni auspicio dicturus, strenámque per decus, dulcedinem, ac merita Sacrosancti Nominis ab eo postulaturus. Forsan in delectu laboras, quam potissimùm ab eo strenam mendices: nihil ad me attinet, suggerere tibi; scicueris vtiq;, quorum defectu ac inopiâ labores. Si tamen audire super hac re me velis, præstò sum, volóque ac pronuntio, vt pro strenâ, virtutem quampiam ex illis, quæ tibi desunt, efflagites, vt patientiam, puritatem mentis, Sanctum & constantem IESV amorem, perfectam tuæ voluntatis cum ipsius conformationem, & tot alias, quibus necdum es instructus, nec deditus: aut etiam re totâ Illi permissâ, precare eundem, velit eius te hoc anno, quem modò adis, compotem facere, quod ad eius maiorem gloriam ac animæ tuæ salutem

erit maximè proficuum. Quòd si ad manum tibi elegans quædam cantilena, vel Hymnus sit, encomijs admirandi huius Nominis respersus, qualis est S. Bernardi, cuius initium: *IESV dulcis memoria*, tuis precibus attexe; quibus ea cantio faciliorem aurem conciliabit, mentémque tuam gaudio demulcebit. Si verò hymnus tibi videtur iusto prolixior, hæc pauca verba deprome:

Nil canitur suauius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur, dulcius,
Quam IESVS Dei Filius.

Hagiophile! has pauculas voces, aut alias similes illic adde, ac deinceps eo die sæpiùs diuersis horis itera; poteris JESVM tuum adeò tibi reddere obnoxium, vt te liberalibus donis accumulet, maioríque te beneficio ornet, quàm vnquam potuisses spe concipere. Audi, quantum B. Henrico Susoni emolumenti attulerit. Solebat is primo anni die strenam ab Infante JE-

sv exigere; & vt copiosam eliceret, vicissim ei de suo aliam offerebat: ea eximijs ac pijs cantilenis constabat, eius pulchritudinem, Augustum Nomen, diuinos eius amores, aliásque eius perfectiones laudantibus: toto dein die illud carmen perpetuò ingeminabat; neque eam odam credidisset pondus habituram, nisi subinde stropham quampiam honori Matris pulcherrimi & diuini Puelli attexuisset: si Nomen IESV decies illo carmine efferebat, nomen MARIÆ sexties in eodem redibat; si Nomen IESV millies pronuntiâsset, certò certiùs quingenties MARIÆ Nomen insonabat. Ita totus propè dies ei inter laudes & amores IESV & MARIÆ, ac vtriusqueNominum abibat. Neque hîc eius amores subsistebant; si quopiam loco amabilissimi sui IESV formam vidisset vel in Cruce, vel imagine expressam, tunc demum illam rigandi lacrymis, osculis terendi, mille flores ei aspergendi, mille depereuntis animi obsequijs ei blandiendi nullus

propemodum finis erat. Age, quid frugis ei tam dulcis labor contulit? reuera multum: quippe JESVS Infans ſole Oriente pulchrior ſe illi ſtitit; qui poſtquam eius mentem cæleſti dulcedine ac Ambroſiâ recreâſſet, officioſas haſce voces addidit: Macte Henrice! rectè præclarum Nomen mihi à Patre impoſitum, colis. Scilicet ſanctè amantium more loqueris; & vt video, JESVS eſt Nomen illud & illa vox, quam animo complecteris; hæc eſt cogitationum tuarum dulcis materies, & carminum tuorum intercalaris ſtropha. Quando igitur animo tuo tantopere Nomen meum eſt infixum, tuum quoque mihi cordi erit: & cùm meum ſis amorem promeritus, & illorum vnus, quos jure amo; volo te nomen permutare, aliúdque tibi ſubſtituam, quod tua merita teſtetur, omnéſque, qui te compellabunt, admoneat, te ex eorum numero eſſe, quos amari æquum eſt. Deinceps igitur noli te ampliùs Henricum dicere; ſed Amandum te appel-

lari volo: nunquid credis te beatum? Pater meus mihi IESV Nomen indidit; IESVS tibi Nomen Amandi tribuit: Pater meus mihi pro Patrino eſt, IESVS tibi. Amande Fili mi! ama me, & perpetuò IESV Nomen ita venerare: in eo verò nomine, quod à me accepiſti, memineris te in anteceſſum arrham capere gaudiorum, deliciarum & felicitatis æternæ, quam tibi tuíque ſimilibus in domo Patris mei paraui. Quo dicto IESVS infans videri deſijt, relictâ in mente amantis ſui Amandi abundanti conſolatione, quam animo propè concipere, ſed linguâ aut calamo pro dignitate ornare prorſus non queo. Sed B. Amandus Suſo non fuit ſolus, qui mille laudibus IESV Nomen Kalendis illis celebrauit, aut hodie ab illo ſtrenam popoſcit; multi ſunt eius exemplum ſecuti: ipſe ego religioſos perſpectos habeo, qui primo anni die vigilantiores ſolito, promtiùs ſe manè è ſtrato proripiebant, vt alios in ſalutando Venerabili Sacramento, ac ſtre-

nâ à paruo JESVSLO postulandâ præuerterent, honorem habituri donis illis Kalendarijs, quæ Deus Pater mundo est elargitus, quando hoc tam admirabile Nomen JESV Filio suo vnigenito ac dilectissimo attribuit; ac simul ea gratis animis agnituri, quæ is ipse Dei Filius hoc die mortalibus distribuit, profuso pretiosissimo sanguine; quando Circumcisionis veterem in se ritum admisit. Hæc si fiant, quis dubitet, quin hæ bonæ mentes diem non hilari animo, intérque sparsa diuinò Nomini JESV encomia traducant? ah! cur ego rudis, illarum exquisitas cogitationes ignoro, quas Hagiophilo meo hoc loco exponam, & ad amorem admirandi Nominis Domini mei pelliciam, vt semel in anno illi accinat!

IESV! venustas Nominum,
Noménque Gratiarum!
Quod dulcis ales incolat
Pro mellis officinâ.
Succúmque promat nectari,
Quod Celites propinant.

Vt

Ut morte fungar melleâ,
Hoc merſus aluearì!

I I.

IESV! monile Nominum,
Decúſque Syllabarum!
Cui gemma jungat litteras,
Quod collocent pyropi,
Arundo fiat aurea
Scribentis inter vngues:
Quâ parte fluxit ſepia,
Legantur vniones.

I I I.

IESV! Monarcha Nominum,
Et Alpha dignitatum!
Nomen ſuperbo Principum
Serenius Sereno,
Quod Phœbus addi lucibus
Auriga lucis optet.
Qui grande Nomen præterit,
Cæcutit ad lucernam.

I V.

Illuſtre Nomen Paruuli
Totus ſalutat Orbis:
Aurora prodit ſanguine
Exordium diei:

Et

Et exaratum vulnere
Nomen rubente ſaxo,
Excreuit, vt de cortice,
In monſtra litterarum.

V.

Et Te, MARIA! nominis
Compendium beati,
Perita ſcribant ſidera,
Et te legamus aſtris.
Poſt Filium qui Phœbus eſt,
Et lucis Architectus,
Te Matre Lunâ pulchriùs
Nihil propinat Orbis.

Hagiophile! hæc tibi cecinimus, appoſitè ad eam rem, quam tibi propoſui, & quam credam tibi minimè fore difficilem: quin animus mihi præſagit, aliquid vltra meum dimenſum te additurum, téque pro ſtrenâ amabiliſſimo JESV Cor tuum pleno iure tranſcripturum: quod illi munus longè etit acceptius, quàm cantilena exquiſitiſſimis modulis pro gloriâ eius Nominis concinnata. Si verò ad ea, quæ ſuprà attuli, obloquaris, difficile tibi

tibi fore, primo mane ad templum festinare; age, bonâ meâ veniâ cunctare, quousque tibi opportunum erit; aut certè bene manè lectum relinque, domíque tuæ diem hunc accuratiori diligentiâ expēde: pòst in priuato pióq; secessu id age, quod facturus coram Venerabili Sacramento fuisses, facto interim animi decreto, velle te, cùm primùm templum attigeris, domi acta illic te rata fixáque habiturum.

EXERCITIVM II.

Pro 2. Januarij.

Vesperi ante somnum digito Sacrosanctum IESV Nomen in fronte efformare, exemplo S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis.

HAGIOPHILE! Belli ac publicæ calamitatis tempore præclarum vtique beneficium ille pręstaret, qui tibi rationem suggereret, do-

domum tuam Regiâ custodiâ muniendi: quisquis aditum tentet, si arma regia pro tuis foribus excubent, non est quod metuas; quicunque enim in illa oculum coniecerit, intelliget, Regem vim omnem vetuisse. Viuat IESVS amantissimus Princeps noster! Viuat IESVS Rex mitissimus cordium nostrorum! Is ipse nos vtile inuentum docuit, nostra corpora, quæ sunt animarum nostrarum domicilia, Dei Patris ac suo præsidio committendi: ipse nos erudijt, aliud nobis agendum non esse, nisi vt eius arma & adorandum eius Nomen in fronte locemus; deinceps non esse vllam timendi causam: fore nos vniuersis hostibus formidabiles; mortem ipsam nunquam nos adorituram, quin nos de suo aduentu præmoneat, verita, ne nos inopinantes opprimat, neúe nobis spatium adimat, ritè nos ad bene moriendum accingendi. O quàm volupe mihi est, bonâ te tesserâ pro excubijs instruere, ac vtile compendium dictare, quo possis tam optatâ

tâ beatáque morte defungi, vnde felix aut miſera æternitas dependet! & ne tibi duntaxat verba dem, miram artem profero: auſculta, vnde didicerim, ac tum vtere, quoties tibi facultas erit, & eodem quidem ritu, quo IESVS tibi vult vſui ac ſaluti eſſe.

S. Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis adhuc juuenis jam ſolitudinem & receſſum amabat, vt illic ſemotus à turbis mundi, poſſet liberiùs ſuis pijs exercitijs vacare, & affabilitate amantis animi JESVM & MARIAM amores ſuos detinere, quorum illi conſuetudo potior omni luſu ac congreſſu Sodalium ſuorum erat. Quodam igitur die cùm ſolus incederet, confeſtim in itu obuium puellum habet inſigni formâ præditum, qui eius lateri vicinior eum ridenti vultu compellat: Salue Edmunde! nunquid me noſti? Sanè ignoro, inquit alter; & quæſo vnde te norim, cùm adeò & te & nomen tuum ignorem? Non patiar te neſcire, reſpondit diuinus puſio, frontis

medium intuere; illic reperies nomen meum aureis litteris efformatum. Edmundus igitur conuersis illuc oculis eximium & sacrosanctum IESV nomen splendido charactere exaratum agnouit. O quàm vidisses paruulum Edmundum in genua prouolutum coram IESV commilitone suo summam & minimam maiestatem adorare, veniámque postulare, quòd eum citiùs non agnouisset, gratijs etiam additis ob tam insignem sibi beneuolentiam exhibitam. Et vt nihil omittam, eorum præsertim, quæ ad rem meam faciunt; in hac mutuâ agnitione & diuinâ hilaritate, denuo IESVS illi locutus, Edmunde mi! inquit, nondum omnia dixi: rem tibi secretam committam: vidésne Nomen meum fronti inscriptum? si sub meo velis præsidio securus delitescere, præsertim verò ab inopinâ morte nō opprimi, in omni deinceps vitâ quotidiè sub vesperam, cùm ad somnum te componis, digito Nomen meum tuæ fronti imprime. His

dictis

dictis IESVS euanuit; Edmundus verò solerter exsecutus est, quæ à dulcissimo suo Magistro didicerat; neque Dei Filius minùs reipsa liberalia promissa præstitit. Hagiophile! non dubito, quin perquam tibi jucundum foret, esse IESV custodiâ perpetuò septum, neque, cùm hinc emigrandum erit, nihil cogitantem à morte inuadi: Sanctum igitur Edmundum imitare. Cuperem quidem, nullum diem te absque hac tutelâ prætermittere: quid enim facilius tibi esse iam somnum cienti poterit, quàm pollice fronti IESV Nomen inscribere? Sufficit has quinque litteras, quas hîc expressimus, exarare, aut etiam tres tantùm, quibus solet id Nomen contrahi. Perinde est; fac eâ ratione, quâ tibi commodum erit, saltem hodie: si velis sæpius iterare, aut etiam quotidie, non sine exemplo plurium id ages: multos noui, qui religioni sibi ducerent, vel semel id omisisse.

EXERCITIVM III.

Pro 3. Ianuarij.

Nomen IESV supra pectus formare. exemplo B. Eustachij.

QVANDOQVIDEM Cor paruum quoddam amoris est solium apud eos, qui IESVM amant, quid maiori jure possit à te postulari, quàm vt ad hanc paruam sedẽ & circumcircà arma, tesseras & Nomen IESV tibi dilecti affigas? & hoc est, quod te hodie postulo. Hagiophile! si meis precibus, quibus te aggredior, aurem prębeas, manè dum te leuas, aut sero vespere, dum cubitum discedis, circa pectus, eo modo, quem priori exercitio docui, IESV Nomen effinge: si id erit ad tuum palatum, sæpius, quotidie id age; neminem habebis oblocutorem, quando eius nemo alius est conscius, præter DEVM & Custodem Angelum.

Sed

Sed cui bono? inquis: experire, tunc verò eius fructum mihi expones: neque enim omnibus eodem modo suas gratias & fauores impertitur: vnde ego sciam, quæ Deus tibi pro illâ amoris significatione, erga sacrum eius Nomen ei exhibitâ sit redditurus? hoc scio, me hominem nosse, qui quòd in hoc exercitio frequens esset, hanc à Deo gratiam, velut ipse sibi persuadet, eius pietatis habitâ ratione, consecutus est; vt inter dormiendum ab omni prorsus inhonestâ esset imagine ac ludibrio immunis: quibus tamen aliàs sæpe ac importunè vexabatur, antequam vsum tam pij exercitij haberet.

Illud quoque possum tutò asseuerare, quidquid hîc agitur, non esse aliud, quàm tacitè coram IESV profiteri, paratum te esse, Sanctum eius Nomen medio cordi insculpere, ad testandum amorem, quo in eum feraris, si eò posset scalpellus aut cælatoris manus penetrare: cùm verò illud concessum non sit, conari te, quod possis; & foris

te

te id efformare, quod velles interiori pectoris membranę ac medio incisum. Quæ res adeò illi grata est, vt miraculis probârit sibi deuotis, quam volûptatem ex eâ perciperet. Tria tibi sisto, ex quibus JESV bonitatem, & eius amantium ardorem admireris.

Tyrannus ille, cuius jussu gloriosus Martyr ac Præsul S. Ignatius occubuit, pectus illi aperiri ac findi cor jussit, vt in rem præsentem veniret, num reuera JESV Nomen esset in eius medio inscriptum, prout gloriosus Martyr ipse asserebat, cùm rogaretur, cur toties in ore hoc Augustum Nomen illi esset. Ego quidem difficulter mihi persuadeo, alium illi primos cælaturæ, quæ hoc diuínum Nomen exprimebat, ductus quàm ipsum Ignatium descripsisse, censeóque Angelum toties in eius corde id Nomen cælâsse, quoties pollice Ignatius pectoris sui superficiem ex aduerso cordis obiret.

Idem de eo sentio, quod auctor Antiquitatum Parisiensium recenset de quadam

quadam Sanctâ virgine illius vrbis, cui Eustochium nomen: supra cuius pectus sacrosanctum hoc Nomen prope ipsum cor post eius mortem visum est. a

Tantundem possum de B. Henrico Amando Susone dicere, qui Sacratissimum IESV Nomen scalpro supra pectus grandioribus litteris incidit, eo consilio, vt quoties natiuo pulsu se cor moueret, id quod semper statis interuallis fieri necesse fuit Nomen illud omnes eius agitationes imitaretur; velut eâ re significare IESV dilecto suo vellet, nolle se aliquam cogitationem, motum ac spiritum capessere, qui non ad amussim & gloriam diuini eius Nominis pertineat. Cæterùm crediderim, ac pro certo affirmârim, pium hunc sculptorem nunquam id ausurum fuisse, nisi longâ assuetudine vsum sibi comparâsset, circa cor gloriosum hoc Nomen eâ ratione inscribendi, quam-

modò

a *Apud Scardeonum & Alanum Copum dial. 3. c. 23.*

modò suprà exhibui. Sed nunquid scire aues, quî potuerit amans hic Amandus rigorem & puncturas fodicantis styli tolerare? negari non potest, acerbissimos eum cruciatus ac tales quidem pertulisse, vt virium defectu animo linqueretur: sed recreatus non sine prodigio sensit omnes sibi dolores mitigari per incredibile gaudium, quod ex aspectu alterius IESV Nominis percepit minimè cruenti, vt erat illud, quod pectori insculpsit; sed quod gloriâ, & cælesti splendore coruscum cælitus intuebatur, quódque radianti ac admirandâ è cruce, quæ Nomini suberat, eminebat, gemmis cælestibus copiosè ex aureâ Cruce promicantibus. IESVS videlicet commiseratione ergà illum commotus hoc dulce illi solatium inter amabiles voluit dolores afferre.



EXER-

EXERCITIVM IV.

Pro 4, Ian.

Sæpe sacrum IESV Nomen pronuntiare, Exemplo S. Pauli Apostoli.

GRATIOSIS nominibus nescio quid lenocinij subest; certè nihil ita nos afficit, quàm præstans & venustum nomen. Quouis æuo curiosè mortales hanc oblectationem sunt sectati; alios sola nominum gratia illexit, alios sola eorundem pronuntiatio fascinauit. Blancha gloriosa Mater S. Ludouici, Reginarum decus ita Galliæ coronam obtinuit, eámque felicitatem nacta est, vt posset Mater Sanctissimi è Galliæ Regibus dici, quòd eximium Blanchæ nomen haberet, pulchrum æquè ac innocens. Rex pater eius Vrracam natu maiorem filiam legatis Galliæ pro sponsâ Delphini offerebat, quod Vrracæ nomen primâ fronte satis asperum & ingratum,

adeò ipsos offendit; vt rogarent, num filiæ natu minori blandius nomen, quàm maiori inesset: cúmque responsum illis fuisset, alteram Blancham appellari, hoc, inquiunt, nomen præferamus; nomen enim Vrracæ Gallorum nostrorum aures offenderet, & sola eius vocabuli pronuntiatio Delphino ac Regi nostro displiceret, puta, vt coniugium eius expeteret: cùm interim Blanchæ nomen blandè illos ad hoc regium fædus, quod moliuntur, inuitabit, successúmq; nostræ causæ ac legationis felicitabit. Quæ omnia, vt prædixerant, euenêre: ac Blancha nominis tam præclari in Gallias abducta, Reginæ Regni tam florentis decus, & paulò pôst matris Delphinum enixæ gaudia promeruit: qui paterno sceptro, quod à parente accepit, & præclaro, quod illi Cælum dedit, Ludouici nomini, coronam Sanctitatis adiecit, virtutibus partam, cuius incomparabilis fama eum maximis ac Sanctissimis Orbis Regibus accenset.

Vide

Vide mihi nomen, totius regni potens, cuius blandiciæ res miras effecêre. Multa fuêre huic ſimilia mirè illecebroſa: quale fuit Samſonis, quod ſolem denotat; Suſannæ, quod pulchrum lilium ſignificat; filiæ Iobi maioris natu, quæ Aurora dicebatur; Myrthæ, quod vnum è nominibus Reginæ Eſther erat; Theodati, quo Philippus Auguſtus appellabatur; Amabilis, quo Carolum VI. dicebant; aut qualia fuêre, quæ Cleopatra duobus liberis ſuis attribuit, è quibus marem Phœbum, filiam Lunam indigetauit. Centena alia eiuſmodi nomina illuſtriora inuenias.

Sed quantumcunque omnia venuſtiora, gratiora, feſtiuiora, ac delitijs plena nomina conquiras, nullum tamen, pulchritudine, admiratione, ſuauitate par Nomini IESV reperies: hoc nomen eſt delicium & miraculum nominum, nomen deliciarũ & miraculorum. Eius prodigium olim antequam eſſet vulgò notum, in eo apparebat,

quod ineffabile esset, siue ob reuerentiam, quâ prohibebantur pronuntiare; siue quod linguam ad hoc gloriosum Nomen efferendum expeditam non haberent. Nostro verò æuo & Christianis sæculis miraculum hoc longè auctius apparet in eo quòd non solùm illud in ore sit hominum, sed etiam quòd nostris linguis nomen dulcius acceptiúsque accidere isto nullum possit. Hagiophile! succensebísne mihi hodiernâ luce, si coner ad illud sæpe pronuntiandum pellicere; útque in ore hodie quingenties habeas, aut certè tecum statuas, deinceps frequenter gloriosum hoc Nomen iterare, eiúsque assiduitatis quendam vsum inducere? quid à me exspectas? an vt Syllabum tibi illorum texam, qui in Nomine IESV piè inuocando assidui fuêre? vt S. Paulum tibi sistam, magnum illum Nominis IESV amatorem? qui vocem nullam habuit adeò familiarem ac magis tritam, quàm hanc ipsam, cuius in suis Epistolis ducenties ac decies no-

nies

nies meminit, præter Christi Nomen, quod quadringenties est expressum: adeò demum altè illius linguam IESV Nomen efferendi consuetudo tenuit, vt capite iam à gloriosi Martyris reliquo corpore auulso, adhuc ter, sacrum inde IESV ac dilecti Magistri sui Nomen insonaret.

An dictari tibi à me rationem ac occasionem cupis, illud Nomen vsurpandi, ac sæpe sæpius ingeminandi? illud igitur tibi dici necesse foret, quod eximius ille Geneuensium Antistes Franciscus Salesius agebat: in eius ore ac calamo propè perpetuò hærebat: *Viuat IESVS*! commonendus ergò mihi esses, expedire, vt inter illas precatiunculas, quas Ascetæ jaculatorias vocant, illas tibi faceres magìs familiares, quibus IESV Nomen inest, vt sunt: *IESV! esto mihi IESVS*! hoc est Seruator: *IESV Fili MARIÆ*! *ignosce præterita vitæ meæ*! *IESV Fili Dauid miserere mei*! & similes: expediret igitur, tibi tradere ac annotare concinnum aliquem ac

intercalarem verſiculum, aut extremam ſtropham ſacri cuiuſpiam cantici, cui IESV Nomen inſertum eſt; quam pro commoditate ſubinde repeteres; vt eſt illud eiuſdem præclari Præſulis Geneuenſis:

Viue IESV! mórſque mortis,
O amator viue fortis!
Morte IESV viximus.

Aut alterum, ſatis tritum:

Omnia ſcit, quiſquis potuit cognoſcere
IESVM;
Nil nouit, cuius neſcit ſapientia IESVM.

Vtilem igitur operam præſtarem, ſi te docerē, B. Felicem Capuccinū ſemper propemodum in ore habuiſſe, voluiſſéque vt ab omnibus identidem id Nomen proferretur: ſi in teneram ætatem per plateas Romæ incidiſſet, vbi quadraginta ipſos annos ſtipem cogebat, eam ad pronuntiandum hoc Nomen inuitabat, collectúmque puerorum gregem iubebat IESV Nomen ingeminare. Cuperes idcirco, vt auctor tibi eſſem, eos legendi libros, qui de IESV

tractant,

tractant, & in quibus millies illud sanctum Nomen redit; vt eundem animi sensum gustúmq; posses experiri, quē S. Augustinus concipiebat, quoties in libris, quos euoluebat, IESV Nomen occurreret, nullis alijs delectatus, quàm quorum paginæ illo essent aspersæ. Nunquid hæc omnia à me exspectas? sufficit, quod tibi modò obiter per transennam insinuaui; cura vt eius rei delectum & vsum habeas. Malo te enarratione vtilitatum distinere, quas ij percipiunt, qui frequenti compellationi amabilissimi Nominis assuescunt. Imprimis rectiùs nostræ actiones obeuntur; quoniam initium ab hac voce veluti tesserâ capiunt: ita Poloni pro militari vocabulo IESVM delegerunt; ita quidem, vt, cùm prælium ineunt, armísque præludunt, nihil audias nisi IESVM ab omni parte exercitûs in cælum clamore ferri. Dein' hostes animorum & corporum ita subiguntur: sic Alphonsus Princeps Congensis, vt refert Maffæus, quando in ho-

ſtem mouit; cùm primùm ſublato clamore frequentíque militum voce IESV nomen fuit inuocatum, auxiliares illicò adeſſe copias ſenſit, quas ei egregij heroës luce coruſcantes, ac cruce inſignes afferebant, à quibus conciſæ ac profligatæ omnes hoſtiles copiæ fuêre. Ita S. Antonius prolato IESV Nomine à tentationibus ac ſpectris, quibus eum Dæmon infeſtabat, liberatus eſt. In rebus ac caſibus arduis ſingularia beneficia, gratiáſque accipimus: ita S. Dionyſius Martyr Romanus conſolationem inter acerbiſſima, quæ pro Chriſti causâ tolerauit, ſupplicia percepit, cùm voce aliâ nullâ niſi IESV Nomine ſæpius vteretur: cuius cauſam rogatus, reſpondit: *Hoc Nomen, Victoria eſt proferenti.* A magnis periculis grauibúſque morbis eripimur: ita de Benedicto Goëzio Luſitano, Societatis noſtrę adiutore, legimus, eum ſolius Nominis huius inuocatione grandibus periculis ac infortunijs exemptum: inter quæ & illud fuit, quando equus,

cui

cui insidebat, periculum rapacis fluuij euasurus, impetu aquarum in aduersam eius ripam abreptus est, hero interim vndis & fortunæ se permittente: qui in eo discrimine non alio iminentis exitij remedio vsus, tantummodo IESV Nomen inuocauit: & ecce quamprimùm equus eandem viam natando remensus ad herum rediijt. Quod ad morborum curationes attinet, res est nulli ignota; & hoc sacrosanctumNomen adeò ad hanc rem est salutare, vt non Christiani modò eius fructum & præsentem in morbis opem persenserint, solùm illud pronuntiando, verùm ipsi quoque infideles. Huc refero, quod Galatinus de Iudæo narrat, qui cùm esset veneno infectus, prodigiosè curatus est; cùm aliud remedium non adhiberet, nisi vt hoc sacrum IESV Nomen ore efferret.

Denique in morte nobis ea felicitas obtingit, vt morientibus nobis hoc sanctum Nomen in ore sit: vt enim quisquis per omnem vitam id vsurpa-

re consueuit, ita in hoc articulo multò minùs intermittet, vbi salutis cardo versatur. Atque ita amici & familiares IESV obeunt: ita hinc præclaræ animæ migrant. Sic vitâ excessit B. Victoria; quæ toto vitæ & morbi tempore, ac postremò in vltimo agone, pro supremâ voce non aliam in ore habuit, quàm illam quâ IESV dilecti sui Nomen & compellatio continebatur; mortémque in eiusmodi verbis obijt.

Chare IESV! summa voti!
Tota cedo sponsa toti.
Arrha IESVS mentis est.

Parem exitum vir pius è S. Francisci familiâ nactus est, qui magno metu mortis & insequentis judicij perculsus, quo reddenda illi vitæ actæ ratio esset, subitò cõticuit, nihil ampliùs vociferatus; quin vultu tranquillo assumpto, mox centies Augustissimum IESV Nomen ingeminauit. Vbi desijt, rogantibus religiosis, qui eum circumstabant, quid actum ei esset, fassus est, eos clamores & trepidationem à judi-

cij

cij mortem consequentis timore prouenisse; etsi conscientia nullius illum noxæ accusâsset: in eo metu versanti Dei Martem ac Patronam suam superuenisse, monuisséque vt ad expiandas omnes noxas centies IESV Nomen iteraret. Et hoc est, inquiebat, Sodales charissimi, quod audistis, cùm toties sacrum IESV Nomen pronuntiaui. His dictis ab ipsis è vitâ ad IESVM amorem suum migrauit. a

Hagiophile! ita moriamur, ita loquamur morituri, quemadmodum aut vir hic Religiosus, aut B. Victoria decessit. O vt mihi in hoc discessu liceat centies IESVM compellare! ô quàm felix essem, si iterum iterúmque dicendo: IESV esto mihi IESVS adire difficile mortis iter possem! Vtinam finire vitam inter has supremas voces liceret!

Chare IESV! summa voti!
Tota cedo sponsa toti.
Arrha IESVS mentis est.

a Ex Chron. S. Francisci tom. 4 c. 10.

EXERCITIVM V.

Pro 5. Ianuarij.

SS. Nomina IESV & MARIÆ simul colere, exemplo Minimorum.

NEGARI quidem non poteſt, diu ante Chriſtianos primos naſcentis Eccleſiæ ſimul SS. IESV & MARIÆ nomina celebrâſſe: vt enim Durandus obſeruat, *a* ſolebant primis ſæculis Kalendis Ianuarij, qui dies Circumciſioni & SS. IESV Nominis impoſitioni ſacer eſt, duo ſacra facere; quorum vno IESVM, altero MARIAM colebant: priùs erat de præſenti myſterio, ſecundum de B. Virg. vt videlicet, hoc die Matris ſimul ac Filij, IESV ſimul & MARIÆ meminiſſent.

Nihilominus quando non ſum omninò certus, num hic ritus & pietas ſit ad colẽda SS. Nomina inſtitutus, præſtabit, non tam è longinquo rem hanc pe-

a l. 6. cap. 15. in rationali diuin. offic.

petere: sed sufficiet adnotâsse, Religiosos ordinis S. Francisci de Paulâ primo cuiusuis anni die suum in vtrumque venerabile Nomen affectum junctim declarare: útque omnia sibi respondeant, scito, in præclaris eius ordinis initijs ac progressu eius familiæ assèclas Minimos IESV & MARIÆ se vocari voluisse. a Prope Monasterium quoque eius ordinis, Paterni in Calabriâ structi templum ijsdem augustissimis Nominibus IESV & MARIÆ fuit consecratum, vt habetur in vitâ B. Pauli de Paterno è familiâ S. Francisci de Paulâ. Et vt de singulis aliquid commemorem, fuêre nonnulli hoc affectu erga SS. duo Nomina præ cæteris insignes: qualis inter alios fuit P. Casparus Bonus vir magnæ Sanctitatis & exquisitæ virtutis.

Horum exempla constat insignes animos magno numero fuisse sectatos, qui erga hæc præclara Nomina huiusmodi documentis suum studium sunt

a *Ex hist. ordinis l. 2. in D' Aiichij.*

testati. Tales fuēre RR. PP. Oratorij in Galliâ: quippe Cardinalis Berulcius, illorum auctor voluit Congregationem illam vocari Oratorium IESV & MARIÆ. P. Petrus Faber vir eximiæ pietatis. qui è primis S. P. N. Ignatij Socijs fuit, piam hanc & laudatam consuetudinem tenuit, vt plerumq, decies IESV Nomen & toties MARIÆ ad initium Primæ, Tertiæ, Sextæ, & aliarum Horarum in diuino officío pronuntiaret. Vtíque P. Theodoricus Canisius, è Societate nostrâ, peculiari amore hæc eadem Nomina est prosecutus, cùm viueret: videsis enim, quid ei in extremo morbo euenerit. Inuadebat eum tam molesta apoplexia, eóque redegit, vt omnium rerum, & proprij adeò nominis ei obliuionem induceret: IESV tamen & MARIÆ Nominum memoriam non amisit; neque præter has duas voces aliam potuit efferre, & quod admirationem auget, nec legere aliquid nisi hæc duo Nomina valuit; ita quidem, vt omnis eius scientia ad hæc gloriosa

duo

duoNomina rediret, legeréque ac pronuntiare IESVM & MARIAM illi liceret.

Videsis, quanti intersit, Hagiophile, animos ad minutas etiam pietatis exercitationes nos adijcere: quis non videt, ijs Deum benedicere? Nisi antè mihi perspectus esset amor tuus, quo ad vtrumque SS. Nomen raperis; obiter te inuitarem: nunc satis mihi est, eam tibi cogitationem inijcere, vt hodie teneriores denuo affectus animi erga dulcissimas hasce voces restaures, facto proposito, eas tam hoc quàm alio die, cùm tibi in mentem venerit, iunctim sæpiùs inuocare. Id fieri facilè potest, cùm aut Horas recitas, aut denarium Rosarij percurris, decies iterans, IESVS MARIA, ad similium actionum initia; aut cùm eas voces in Cantico, cui sunt insertæ, repetis. Quòd si ad manum & gustum eiusmodi carmen non habeas; ijs vtere, quæ paulò pòst in eam rem subiungam, num hoc tibi luberet?

Te,

Te, Christe IESV! diligo,
Te diligo MARIA!
Vtroque viuo Nomine:
Vtrique dono vitam.

Videor mihi aptè ad hoc caput referre posse pietatem illorum, qui hæc tria, nomina IESV MARIÆ, & IOSEPHI simul colunt; quando duo Nomina, de quibus hic ago, illic continentur. Huic præclaræ Triadi felicium nominum, hoc est IESV, MARIÆ & IOSEPHI, imprimis fuit deuotus P. Caspar Bonus, Minimus, cui penè perpetuò in ore fuerunt. Si quid interrogaret, si responderet, si colloqueretur extenis aut Religiosis; hæc tria Nomina ei pro ingressione sermonis, pro clausulâ, pro parenthesi, pro interruptione pro quouis denique themate seruiebant: ita quoque vitam clausit, inter has voces, IESVS, MARIA, IOSEPH. Hodie magnus Dei seruorum numerus est, qui hæc Nomina depereunt, soléntque sæpius non sine incredibili animi consolatione pronuntiare; multi adeò magnos

gnos inde progressus in animis ac ingentia commoda consequuntur. In quam rem audebo hunc apponere, quod non ita pridem de quodam iuuene intellexi, qui quòd vsum horum Nominum sibi familiarem faceret, & sæpius iteraret, quoties illa protulit cogitatione pudori inimicâ pulsatus, confestim se illâ liberatum sensit, si antè illud remedium se extricare inde non potuit. Noui insuper alios complures, qui in eiusmodi occasionibus eâ ratione magna auxilia sunt experti.

Porrò quando in tam dulci trium Nominum argumento versor, non possum pium inuentum illorum prætерire, qui ad honorem IESV, MARIÆ & IOSEPHO exhibendum annulos ex auro aut argento gestant, quibus per ambitum hæ sunt voces ex integro inscriptæ: Viuat IESVS, MARIA, IOSEPH: quibus annulis profitentur, se hanc amorum suorum triadem semper in animo ac frequenter in memoriâ habere: ac idoneam occasionem se nactos, ea

sæpe

ſæpe nominandi, nonnunquam exoſculandi, ac ſuauiter eorum conſuetudinem ſuſpirandi, quorum grata recordatio nobis in annulo occurrit: palàm ſe omnibus teſtari, quòd eos colant ac ament, maximóq; affectu complectantur; ídque longè maiori emolumento ac ratione, quàm mundi ſectatores, qui amoris arrhâ profanos & parùm caſtos affectus teſtantur. Quâ in re obiter id monitos velim eos, qui in annuli interiori ambitu curant hæc SS. tria Nomina incidi, vt eorum, quibuſcum agunt, oculos effugiant, veritî, ne alij ſua ſtudia obſeruent; ne deinceps velint illa clàm habere: foris enim decet ea Nomina cælari; parúmque ſe moueri patiantur, ſi quos habeant in hac re obtrectatores. Magnum ſanè tibi negotium faceſſeres, ſi velles cuiuslibet ſenſu viuere: an tibi non ſufficiat, te IESV, MARIÆ & IOSEPHO placuiſſe? Non ſic erubeſcere, palàm geſtare añulo foris inciſum nomen amatoris aut amatricis, ſponſi aut ſponſæ

tuæ,

tuæ, parentis aut Principis tui: & te pudebit, digito annulum circumferre, cui impressa amorum tuorum ac deliciarum, quas præ cunctis rebus deperis, nomina ſpectentur? vbi viſuntur amabilia Nomina diuini ac diuinæ amantis, tui cæleſtis ſponſi, Patris & Principis? Et inſuper mihi occines, te tantopere hanc creatam Triadem amare? nihílque tibi tam in amoribus eſſe, quàm JESVM, MARIAM ac IOSEPHVM? facilè ex eo apparet, modicæ oblocutionis metu, & habitâ ineptâ hominum ratione te inductum, vt id celatum velis, quod Angeli ſibi perhonorificum reputarent, omnibus vniuerſi orbis nationibus publicare. Verùm vt nihil diſſimulem, vis eos tibi deſignem, quos putem excuſandos, quādo hanc pietatem abſcondunt, neque patiuntur in annulis, quos geſtant, id apparere, quod eis eſt inſculptum? illi ſunt, quorum conditionem non decet, annulos publicè in omnium oculis gerere: Tunc quidem prudenter admodum

dum illi agunt, si clàm id pietatis monumentum habeant: quòd si eiusmodi annulos sint nacti, eos non nisi noctu durante somno gerant. Noui ego & familiariter quidem homines Religiosos, qui non omittunt quouis Vespere digito eiusmodi pios annulos inserere, nemine omnino id animaduertente. Si verò idem vellent interdiu tentare, culpandi essent; neque decori rationem haberent, quòd illud vitæ genus ac conditio requirit.

Hagiophile! an non tibi cupiditas suboritur, talem annulum procurandi? Suadeo tibi; & si mihi parueris, me tibi deuinxisti: quòd si me audias, ex hoc momento per omnes vitæ dies porta, neque vnquam depone: obtestare quoq; familiares & amicos tuos, ne eum post tuum obitum detrahere audeant; & quamdiu tua tibi manus supererit, omnes intelligant, te in amore tenerum & constantem esse. Saltem cùm moribundus decumbes, digito eum inducas: vnde occasionem habeas

beas hæc ſacra Nomina in vltimo agone exoſculandi, & pro vltimâ voce ſubiungendi: Viuat IESVS, MARIA, IOSEPH!

Poſſétne quiſquam mori aut glorioſiùs aut ſanctiùs? ego quidem non exiſtimo; præſertim quòd hæc tria Nomina ſint fortunata & optimis auſpicijs plena: quòd voces ſint, quæ inter voces ac verba in congreſſu hominum & Angelorum mereantur ſiderum loco haberi; quando è diuino eorum ſplendore noſtræ mentes gratioſo lumine recreantur: quòd talia ſint Nomina, penes quæ ius eſt & facultas nobis Paradiſum ipſum reſerandi: omnes eius portæ latè panduntur, quamprimùm dulcis harmonia & ſeries horum felicium Nominum, & præſtantiſſimarum vocum auditur. Et quandoquidem hæc SS. Nomina ſint tam glorioſis fructibus conſpicua; quantum poſſum, ac vnquam conſului, auctor tibi ſum, Hagiophile! vt ea ſæpe pronunties; vt tecum feras, aut in annulo aut

aliter

aliter contenta: útque animo tuo profundè insculpas; memor, hæc Nomina JESVS, MARIA, IOSEPH, talia esse, de quibus dici potest, quod his ipsis verbis pium juxta & felix ingenium pronuntiauit:

Hæc tria nomina,
Bona sunt omina,
Et mundi lumina,
Et cæli limina.

EXERCITIVM VI.

Pro 6. Januarij.

Recitare Litanias de Nomine IESV exemplo Sodalium Congregationis erectæ apud RR. PP. Oratorij.

HAGIOPHILE! pro honore SS. Nominis JESV hoc à te hodie postulo, vt agas, quod multi IESV amantes faciunt, qui quotidie breues Litanias de SS. Nomine JESV recitant. Ex eorum numero ij sunt, qui in ea,

ea, quam suprà nominaui, Sodalitate suum nomen profitentur. Cura vt hoc saltem die illorum è numero sis; piéque illas recita: poteris ab eo, cuius hoc Nomen est, tot dona accipere, quot vicibus illud pronuntias. Neque dubito, quin habeas illas Litanias, sísque instructus eiusmodi precibus: habebis vtíque paruum Enchiridion precum & Officiorum paruorum huius temporis; vbi eiuscemodi precationes per hehdomadæ dies distributæ sunt. Sic ibi reperies Diem Martis DEI Filio sacrum Litanias eius SS. Nominis continere, de quibus hîc mihi sermo est.

Porrò præter honorem quem SS. Nomini tribues, & eximia postulata, quæ illi aperies, hoc insuper emolumenti assequeris, vt memoriâ & ore potiorem partem excellentium elogiorum recolas, quæ solent in JESVM accumulari, omnium bonarum mentium delicium. Adhæc eo compendio simul magnam copiam breuium aspirationum addisces, quibus eum subinde,

de, cùm tibi commodum fuerit, compelles. Quoties enim loquendi formulam in hisce Litanijs, Christum allocuturus, variabis, totidem breues orationculas, si voles, ad eum precandum habebis: aut certè optionem nanciſceris, eas seligendi, quæ tibi ad hunc finem magis idoneæ videbuntur.

Si scirem, Hagiophile, parùm te erga has Litanias affici, aut occasionem illas recitandi tibi deesse; hortarer te, ne sine fructu patereris hunc tibi diē, qui est Epiphaniæ & adorationi Trium Regum sacer, absq; peculiari, qui tantum Mysterium decet, cultu elabi; monerem, vt te humi prosterneres, cum tribus Regibus Seruatorem tuum adoraturus, eique offerres meliora, quæ posses, ac digniora munera, per aurum, thus & myrrham, quæ tres Reges illi obtulerunt, significata: Vt sunt, sincerus amor loco auri, exquisita pietas operum tuorum sanctiorum loco thuris, & constans cupiditatum refrenatio loco myrrhæ. Vt autem intelligas,

gas, quàm dona eiusmodi sint IESV accepta, qui est Rex cordium nostrorum, & Princeps omni munere dignus, audi quid S. Mechtildi Christo tam dilectæ ipso Epiphaniæ festo die acciderit: vbi enim pretiosum IESV CHRISTI Corpus accepit, Christus eam allocutus, filia, inquit, munus à te exspecto: sed ego facto initio primus te donabo. En tibi aurum hoc est, diuinum meum amorem largior; & thus, hoc est, omnem meam sanctitatem, & pietatem; ac myrrham, hoc est, amaritudinem cruciatuum meorum. Hæc tria tibi vt propria transcribo, vt eadem mihi alio tempore possis vicissim donare: quæ si pia mens mihi dono reddiderit, duplo aucta restituam, imò centuplo in hac vitâ auctiora; & in alterâ vitam gloriæ nullo fine terminandæ superaddam. *a*

Videsis, Hagiophile, quàm facile sit hunc diem sanctè transigere, magno Regi, etsi paruus in stabulo appareat,

 eius

a Lib. 1. grat. spir, cap. 8.

eius diuinum amorem, eius sanctitatem, & fructus ac insignia emolumenta eius SS. mortis offerendo: vt tamen interea non omittas ei muneri tuum quoque amorem, pietatem, ac te coërcendi desideria adiungere; quæ totidem auri, thuris, ac myrrhę dona sunt, ei sine repulsæ metu consecranda. Quòd si te insuper ei mancipare, ac vltroneâ seruitute eius diuinitatem honorémque, quo SS. eius Nomen venereris, profiteri audeas; illo tam religioso sanctóque officij genere facilè inter primos tibi augustissimum IESV Nomen demereberis.

Quòd si in quopiam religioso instituto sis DEO votis obstrictus, illícque tibi nec aurum, nec thus, nec myrrha suppetat, quæ Diuino Duello possis offerre; hoc est, si fueris omnis diuini amoris, pietatis, & studij te vincendi expers: noli tamen prætermittere, quin idipsum quantulumcunque auri, quod in tuo censu reperies, eidem dedices; sed exemplo S. Francisci Sera-

phici

phici vide quid agas. *a* Seruator noſter die quodam tria juſſit ab eo ſibi dona offerri: Cui ille, ſcis, inquit, me omnium egentem, tui amore omnia deſeruiſſe: hæc veſtis & funis, quo cingor, antè tua ſunt; cor & animum meum pridem tibi deuoui. Sed quando tu, ô Deus cordis mei! aliquod à me munus poſtulas; prior me aliquo munere inſtrue, vt obtemperare Maieſtatis tuæ poſtulatis queam. Tum Chriſtus, Franciſce, reſpondit, manum intra ſinum abſconde, ídque, quod illic inuenies, meum eſto. Eius voci obſecutus Franciſcus in ſinu magnam auri coruſcantis portionem deprehendit; quam inde extractam Chriſto obtulit: qui tamen idem juſſit ab eo iterum ac tertiò tentari: vir ſanctus ſemper dicto audiens, toties aliam auri maſſam, priori ſimilem, deprompſit, Chriſtóque attulit aſſerenti, tribus hiſce donis auream obedientiam, pretioſam paupertatem, & opulentam caſtitatem portendi.

a *Ex Chron. S. Franciſci p.1.l.1.c.73.*

Hagiophile! en te longè, quàm putes, opulentiorem: & cùm ſis auro inſtructus, hodie tria vota illi auri loco exhibe, non ſine amore, ac peculiari animi decreto, ea exactè obſeruandi. Hoc denique aurum eſt, ad Nominis IESV, quod tantopere venerari hoc octiduo laboras, inaurandos radios idoneum: vſu enim receptum eſt, id ſoli inſerere, aureis radijs vndequaque illuſtratum, hunc auri ſplendorem tu conferes: erit alius, qui cætera ornamenta ſubminiſtret. Atque ita ſacroſanctum IESV Nomen vides eo cultu affectum, quo maximè cupis.

EXERCITIVM VII.

Pro 7. Ianuarij.

Maius Officium aut minus de Nomine IESV recitare, exemplo Religioſorum S. Franciſci, & eorum, qui SS. Nomini ſunt deuoti.

HERI, Hagiophile, Litanias de Nomine IESV recitâſti: hodie pro

pro penſo tibi maius aut minus Officium de eodem SS. Nomine dicendum erit, maius in Breuiario Religioſorum S. Franciſci reperitur, qui circa mediũ Ianuarij datâ operâ ſeparatim diem huic SS. Nomini feſtum habent, vſi facultate, quam Clemens VIII. Pont. Max. illis indulſit: minus in diuerſis libellis extat, imprimis in Enchiridio, de quo ſuprà dixi, auctórque fui, vt comparares, ſi eius tibi copia nondum eſſet.

Cæterùm ſiue maius illud ſit, ſiue minus Officium de Nomine IESV, quod hodie percurres; gratum ac plenum conſolatione tibi erit, ô vt poſſes inter recitandum tot pios animi ſenſus ac delicias experiri, quot S. Franciſcus perſenſit, quoties hoc SS. Nomen pronuntiauit, eiúſque laudes recenſuit! lætitia ac menti eius ſuperfuſa conſolatio tam erat copioſa, vt ab animo etiam in linguam redundaret; quando imbutus expletúſque Cæleſti liquore, ac quadam Paradiſi dulcedine fuit.

Quòd si contingat, tibi vel otium, vel occasionem deesse, huic officio vacandi, istóque die recitandi; cùm id nihil sit aliud, quàm breuis quædam epitome diuersarum laudum diuini Nominis IESV, aliquot saltem insigniora capita encomiorum, excellentiarum, ac admirandarum dotium, quibus eximiè micat, tecum meditabundus expende. Si alia te deficiant, in memoriam reuoca, hoc Nomen esse omnium maximum & augustissimum; hoc esse Nomen, quod DEVS Pater Filio imposuit, quod Filius Dei acceptauit, quod ab Archangelo Gabriele annuntiatum fuit. Contemplare, hoc esse Nomen omnibus nominibus honoratius; hinc esse, cur tot sint ei templa sacra, quod Romæ templum IESV dicatum testatur; cur Kalendis Ianuarij festus illi primus anni dies agatur, vt receptum in nostrâ Societate est, aut medio Ianuario, vt solent Religiosi S. Francisci; cur eidem, iubente S. Paulo Apostolo, cælum, terra, inferi tantâ

sub-

ſubiectione genua ſubmittant. Cōſidera, hoc eſſe Nomen præ cunctis alijs in amoribus & delicijs habitum : atque idcirco Dei Filius poſthabitis nominibus Emmanuelis, *a* Admirabilis, Principis Pacis, Patris futuri ſæculi, *b* & aliorū, quę S. Scriptura aut homines ipſi tribuerunt, non aliud aſſumpſerit ac ſeruarit niſi IESVS, voluerítque ſibi morienti ad crucem ſupra caput affigi, ac ſentiunt aliqui, cùm moribundus SS. Caput inclinauit, eum honorem SS. ſuo Nomini hàbuiſſe : quin ſunt etiam, qui putent, hoc admirandum Nomen & nunc eſſe & olim in omnem æternitatem appariturum ſacroſanctæ fronti adorandi Capitis inſcriptum, ac ob raram admirandámque pulchritudinem, in cælo vnam è gratiſſimis oculorum noſtrorum illecebris fore. Ob eandem cauſam IESV amatores tantopere hoc Nomen celebrârunt, amâruntque : S. IESV Nomen, ait S. Bernardus *c* eſt mel in ore, in aure melos, in

a *Iſa. 7.* b *Iſa. 9.* c *Serm. 15. in Cant.*

corde lætitia: IESVS, ait idem, Nomen eſt amabilius, quàm patris, matris, ſponſi, fratris, tutoris, paſtoris; an non hæc omniâ nobis IESVS eſt? hoc Nomen in ſe continet, quidquid dicere, vel cogitare poſſum. S. Franciſcus adeò illud cordi habuit, vt ſui ordinis hominibus iniunxerit, vbicunque in imaginem aut chartam incidiſſent, in quâ depictum aut inciſum, alióue modo expreſſum illud Nomen eſſet, id honorato loco reponerent, ſi humi aut alio quouis indecenti aut vili loco reperiſſent. S. Ignatius Patriarcha noſter, eouſque id deperibat, vt Ordinem & Societatem ſuam nollet alio quàm IESV Nomine inſignire: deſiderabátque maximopere, vt eius alumni hoc glorioſum Nomen redderent toto orbe intérque omnes nationes celebre. Obſerua, hoc Nomen eſſe præ cæteris myſteriorum plenum: an non S. Chryſoſtomus aſſerit, hoc fuiſſe in ſummitate ſceptri Ioſephi inciſum; *a* Iacobúm-

a *Geneſ. 48.*

búmque patrem eius cum morte jam luctantem, se ac vires iterum collegisse, quamprimùm illud adorâsset? Non dissimilia Philo Iudæus commemorat, dum in describendo Dauidis cum Goliatho duello versatur: quando enim Dauid turrim illam carneam deiecit, *a* præter pastoritium pedum & quinque silices in perâ nihil secum habuit; ac vni quidem lapidi nomen Moysis inscripsit, alteri Abraham, tertiò Isaac, quarto Iacob, postremò verò, cuius fatali jactu hosti cerebrum elisit, nomen Iehoua incidit, vnde IESV Nomen deductum est: vnde ei exprobrans, tu, inquit, aduersus me instructus armis venis: at ego loco amorum omnium Nomine Domini me obarmaui. Memineris hoc SS. Nomine nullum vnquam fuisse significantius, magis proprium, similius, ac rei per nomen expressæ cōformius: solus IESVS mensuram sui Nominis impleuit: vbi est reperire hominem, quantumuis præclaro nomine

a 1. Reg. 17.

mine superbiat augusti, clementis, pij, maximi, & similium, cui obijci non possit, quod sanctus quidam Doctor cuidam præstanti nomine glorianti occinuit: *Nomen habes & facta non habes?* Solus IESVS nemine refragante Nomen Seruatoris ac Redemptoris generis humani, & consequentes verissimos charósq; fructus eius redemptionis & salutis obtinuit. Admirare denique, quòd hoc Nomen sit omnium maximè dulce & fructiferum. S. Bernardus, S. Bonauentura, alijq; SS. Patres aliud nihil loquuntur; quibus experientia ipsa adstipulatur. Auila præteriti sæculi ac Hispaniæ oraculum in litteris, quibus magni nominis matronam animi corporísque malis miserum in modum conflictantem solari conatus est, ita loquitur: Cuperem vehementer, te hominem religiosum nancisci, qui explicare tibi emolumenta posset, quæ in IESV possides; experireris profectò, solâ eius Nominis mentione mœrores tristitiásq; omnes illicò euanescere

nescere ex animo tuo, ac locum lætitiæ solidǽque tranquillitati mentis facere; corporis etiam ægrimoniam aufugere, aut magnis solatijs mitigari.

Hagiophile, istæ considerationes, momenta & animaduersiones circa præcipua encomia laudésque admirandi Nominis IESV, quod tam teneris animis complecteris, imò lectio sola eorum, quæ attuli, facilè tibi sufficeret ad explendum defectum prætermissi officij suprà memorati; si quidem eius copia tibi deesset.

EXERCITIVM VIII.

Pro 8. Ianuarij.

Quacunque occasione honorem SS. Nomini IESV habere: exemplo S. Bernardini Senensis.

QVANDOQVIDEM dilectissimus Seruator noster ad te se omnibus diuini amoris indicijs demisit per omnes cælestis œconomiæ, quæ in

eius Incarnatione fuit, partes ſuum in nos affectum teſtatus, ad ipſum vſque Nomen, quod ſuſcepit; nos quoque decet mutuâ illi charitate reſpondere, omnémque in nobis amorem accendere, ad honorandum, quidquid ad eum aliquâ ratione ſpectat, modo quo fieri poteſt optimo, ne Nomine quidem præterito: ita enim eadem monetâ amorem illi pro amore, honorem pro honore perſoluemus. Quam in rem præter ea, quæ modò attulimus, obſeruo, hanc conſuetudinem IESV amantes tenuiſſe; neque, quantum ad SS. eius Nomen attinet, quidquam prætermiſiſſe, quod ei eſſet honorificum, ac mortales docuiſſe, nullum venerationis genus meliùs eſſe collocatum poſt id, quod tribus ſupremis vniuerſi venuſtatibus, puta, Corpori, Animæ, ac Diuinitati IESV exhibetut, quàm illud, quod conati ſunt eius SS. Nomini deferre, idque operâ perquam facili; vt faciliùs imitari omnes ij poſſent, quos ſplendor coruſcantis Nominis

IESV oblectaret, quem illi ceu diuinum gratissimúmque solem adorant.

Talis nostro æuo eximius Præsul Geneuensis Franciscus Salesius fuit: quoties in suis chartis & litteris præfixit, *Viuat IESVS?* sed quis numerum ineat, quoties in congressu, in suis precibus, in animi mœrore, & multò magis in diuinis consolationibus, diuersísque occasionibus dixerit: *Viuat IESVS?* Nunquid, Hagiophile, res est minimè operosa, & solatij plena, idem experiri? eius igitur Antistitis exemplo sæpius hoc saltem die, qui de octiduo est impositioni adorandi Nominis sacro, hæ voces, *Viuat IESVS!* in linguâ, in fundo cordis, in apice calami, ac deníque illic versentur, vbi esse documento queant, hunc esse scopum omnium longè dignissimum, ad quem omnes tui exquisitiores amores colliment: ne vlla tibi littera elabatur, in qua hoc thema, *Viuat IESVS,* non legatur. Pius & Dei tantopere amans Raymundus Lullus si in epistolam aut

chartam fortè incidiſſet, in cuius fronte nomen IESV aberat, vehementer ob id cruciabatur, dicere ſolitus, Sarracenos maiori pietate Mahometem, flagitioſum hominem colere, cuius nomen in capite omnium litterarum collocent, quàm multi Chriſtianorum Redemptorem ſuum afficerent. Nunquam calamum experiaris, quin per hæc verba, *Viuat IESVS*! inities; nec vocem arenæ animi causâ inſcribas, quin primò omnium exarâris: *Viuat IESVS*!

Non diſſimilis huic ſub ſæculi huius initium P. Thomas Sanchez è Societate noſtrâ fuit, qui non contentus, ſecum SS. IESV Nomen geſtâſſe, etſi diuerſis modis exaratum haberet, voluit tamen ſuâ manu deſcriptum penes ſe habere. Hoc factu perquam facile, & in vſu eſt, vt ſuperfluum ſit, ad id te inſtigare: alij in ſacro cereo illud portant, alij SS. Reliquijs addunt, alij è Coronâ in numiſmate gerunt, alij inter pias imagines precatorijs libellis

inſerunt: neque verus IESV amicus reperitur, qui non glorioſum, felix & auſpicatum ſibi putet, vnicè ſibi dilecti Nomen penes ſe ſeruare.

Horum numero illos accenſeo, qui magnæ ſibi religioni ducerent, ſi genua non flecterent, caput non ſubmitterent, aut aperirent, reuerentiæ ſignũ non ederent, aliáque eiuſmodi honoris genera prætermitterent, quando ipſi pronunciant, aut efferri ab alio SS. IESV Nomen audiunt. Atque hi venerationis ac adorationis exterioris ſunt actus, quos Chriſtiani non negligunt quidem; verùm viri Sancti longè magis in hac re aſſidui ac celebres fuêre; quòd non frigidâ conſuetudine, vt plerique ſolent, eos percurrerent, ſed animum quoque operi applicarent, cultum externum interno quoque proſecuti, qui ſoli DEO perſpectus, hominum ſenſus fugit: in quorum tamen coniunctione perfectio veri honoris conſiſtit.

Porrò

Porrò incomparabilis in hoc obsequij genere S. Bernardinus Senensis fuit, qui præterquam quòd è superiori loco verba nunquam facere sustineret, quin aliquam concionis partem in laudes, amorem, ac commendationem SS. huius Nominis deriuaret, inter dicendum quoque pictum in tabulâ praeferebat; adeò cupiebat, id in omnium animis, ore, ac honore esse. Et verò quantopere DEVS hoc serui sui studio delectaretur, gratíque sermones ac dissertæ Nominis sui laudes eius diuinæ Maiestati essent, satis testatum fecit eo prodigio, quod Sancto ardentéque huic SS. IESV Nominis præconi euenit. Cùm enim Romæ pro concione tam exquisita oratione honorem, qui SS. Nomini debetur, exaggerâsset, vt quidam offensi crederent eum in dicendo modum excessisse, ac inde occasionem captarent, ei hæresin impingendi; postridie non sine prodigio ingens lux multis radijs, quibus SS. IESV. Nomen splendebat, distincta concionantem è

cathe-

cathedrâ circumfulſit, omnibus, qui aderant, miraculum ſpectantibus: quæ cauſa fuit, cur & præſentes, & omnes ij, quibus narratum eſt, diſcerent, DEVM illos honores & pia ſtudia, quibus S. Bernardinus alijque SS. eius Nomen celebrarent, ſuâ auctoritate approbâſſe. *a* Quod verò cuidam opifici contigit, non minùs ad faciendam rei fidem valuit. Is lucello viuebat, quod è luſorijs chartis corraſit: interim S. Bernardinus vehementi oratione in chartarum luſum ita inuehebatur, vt mox eius fructus íſque tantus pateret, vt, cùm eum luſum omnes damnarent, nemo deinceps infelicis artificis merces licitaretur: vnde ille ad incitas redactus, vt cui cum quæſtu etiam vitæ ſubſidia erant ſubducta, coactus eſt, S. Bernardinum conuenire, eíque non ſine lamentis exprobrare, quòd ad eam ſe inopiam redegiſſet, vitæ poſthac ſuſtentandæ alimentis frau-

a Ex Molano lib. de imaginibus & hiſtoriâ picturarum.

fraudatum. Cui Vir Sanctus, vt eius paupertati consuleret, non aliud remedium aut responsum dedit, nisi quòd IESV Nomen radijs circumquaque illustratum ei manu describeret, juberétque eiusmodi exemplaria vendere: quæ mercatura illi tam feliciter successit, vt inde opes pararet, ac tunc longè magis acquiesceret, quàm, quando è profanis chartis officinam instruxit.

CAPVT



CAPVT II.

QVADRAGINTA SEX PIETAIS EXERCITIA ERGA DEI Filium, ad recolenda SS. Passionis ac Mortis eius mysteria, pro totidem Quadragesimæ diebus assumenda.

EXERCITIVM I.

Pro die Cinerum.

Manè & vespere, formato in fronte, ore, ac pectore S. Crucis signo dicere : IESVS Christus Crucifixus sit in actionibus meis, exemplo Alexandri Lusacij.



HAGIOPHILE, vide sis, quid deinceps tibi pro argumento amoris, quo IESVM dilectum tuũ prosequaris, depromas; quando

quando nihil ita nobis amore dignum eum repræſentat, quam Mors ac ſupplicia, quæ pro animarum noſtrarum ſalute ſuſtinuit. Eius amoris tam potens eſt argumentum, vt S. Auguſtinus fidenter pronuntiârit, eum, qui habitâ Creationis ratione, DEVM non amet, inferni æternos cruciatus promereri; eum verò, qui IESVM DEVM Hominem ob illa tormenta, quæ ad nos redimendos perpeſſus eſt, non dilexerit, dignũ eſſe, cui nouus infernus creetur, cuius tormenta ſint centies millies acerbiora illis ipſis, quibus modò damnati apud inferos manes excruciantur: illi vnus infernus ſufficit, huic duos fabricari oportet, & ita quidem, vt vltimus ſit priore longè tetrior ac formidabilior.

Viciſſim quid non ij merentur, qui adorant, admirantur, magni faciunt, gratíque tantum amorem agnoſcunt, qui Chriſtum in ipſam infamem crucem adegit, vt illic probroſam mortem obiret? quid ſuorum cruciatuum amanti-

mantibus non facit, non indulget? illi certè gratiosi apud eum sunt omnémque in se benedictionem prouocant. Quodam die cùm B. Angelica de Fulginio more suo animum in expendendis IESV amoris sui tormentis occuparet, illico vocem eius exaudijt, sæpius hæc verba iterantem: Benedicat vobis Pater meus, quicunque acerbissimos dolores meos commiseratione prosequimini! cælum in vos omnia dona depluat, quotquot meos cruciatus amatis! Benedico vobis, Cruci meæ deuotis! qui pluris Martyrum meorum Cruces, quàm vniuersi orbis gloriam ac delicias æstimatis. Quàm verò grata illi eiusmodi exercitia essent, in eo ostendit, quod S. Francisco Seraphico euenit, qui nulli alteri rei intentus, quàm qui Christo se redderet acceptum, die quadam, IESV mi! dicebat, quid præstare tibi gratum, quam pietatem, quod exercitium ego vnà cum fratribus meis exhibere tibi possum, quod tibi volupe sit? vix verba finijt,
cùm

cùm arcano ſtimulo ſenſit excitari iuberíque ſe, Miſſarum volumen aperire, quod cùm ter tentâſſet, eadem ſemper hæc illi verba non abſque Numine occurrerunt: *Paſſio Domini noſtri IESV Chriſti*: vnde intellexit, Dei Filium percupere, ſe ſuóſque magnâ pietate eius SS. Paſſionem recolere.

Hac ferè ratione omnes IESV præcipui amatores hiſce diuinis myſterijs ſe addixerunt: eorum cogitationes, corda, ſtudia & amores omnes diuinæ tolerantiæ impenderunt. *Hæc mea*, inquiebat S. Bernardus, a *ſublimior philoſophia, ſcire IESVM, & hunc crucifixum.* S. Paulus magnus ille Apoſtolus gloriabatur; b totam Theologiam ſuam non niſi vno articulo abſolui, qui eſt, *ſcire IESVM, & hunc crucifixum*: eius Academia fuit Hieroſolima, eius ſchola Mons Caluariæ, eius cathedra Crux, eius litteræ, vulnera & cicatrices IESV, eius liber apertum latus Magiſtri ſui. Nihil obſtat, Hagiophile, quo minùs

a *Serm. 43. in Cant.* b *Ad Philip.*

nus & tu velis ex horum numero esse: atque idcirco vt te sensim in hoc negotio erudiam, hoc capite per singulos huius Quadragesimæ dies IESV amatorem tibi sisto, ac eius SS. Passioni deuotum, quem imitari die à me assignato poteris, aut sæpius, prout animus te feret, quem erga sanctas eorum actiones, & amoris inuenta in gratiam dulcissimi Redemptoris excogitata, & imitatu facilia concipies.

Ac hodie quidem Alexandri Lusæcij nobilis Itali pio ac feruenti studio in Christi Passionem, æquè facili ac proficuo, initium facio. Is quotidie manè inter surgendum, & vespere, quo tempore ad capiendam quietem se disponebat, signum Crucis in fronte expressit, adiectis his verbis: *IESVS Crucifixus sit in cogitationibus meis*; tum idem ori imprimens addebat: *IESVS Crucifixus sit in verbis meis*; & postremò pectus illo muniens dicebat: *IESVS Crucifixus sit in operibus meis*: quod tam religiosè obseruabat, vt nunquam ei excideret:

cideret: & optabat, hoc de se passim sciri; neque obscurè id insinuabat, sed suis amicis detexit, palámque litteris consignauit, hanc sanctam consuetudinem se mordicus tenere; ac tum addebat: ô vt IESVM Crucifixum perfectè amarem! & quid queam in hac vitâ excellentius præstare? quidquid de me vulgò dicatur, in IESV Crucifixo omnes difficultates & hostes meos triumphabo; in eo spes omnis mea versatur; in eo salutem & gloriam omnem repositam volo.

Hagiophile, hoc est demum sapienter loqui, hoc est rectè facere: quæso te, eius exemplum imitare & in hoc pio exercitio magnum desiderium concipe, IESVM Crucifixum totámque tormentorum eius seriem amandi: neque dubita, quin omnes tuæ cogitationes, verba, & actiones sensim se ad meliorem amussim compositurae sint, seriúsque aut citiùs sanctimoniam spiraturæ; DEVM illis modò Indubiè propitium, & olim liberalem remuneratorem

rem fore. Nunquam verè Christi Passioni addictus fructu & consolatione caruit; nunquam animi bona, quæ sunt præcipua, & sacræ mentis diuitiæ ei deerunt. Si dubitas, quæso tibi graue non sit legere, quod me cogitantem gaudio complet, gratias scilicet sanctæ animæ exhibitas, quæ cogitationes, verba, actiões omnes frequenti recordatione Mortis ac Cruciatuum Filij Dei, desiderióque eam debitâ pietate afficiendi, ceu condimento aspergebat.

Ea est S. Clara de Montefalconis, de quâ loquor, ex Ordine S. Francisci. Hæc sancta Virgo dies noctésque secum Redemptionis mysteria expendebat, neque satis illi temporis aut otij vnquam fuit, se eorum consideratione pro animi voto exsatiandi, quæ Iesvs Dei Filius pro ipsâ mortuus, & tam acerba passus ei suppeditabat: hę omnes tam sanctæ & frequentes meditationes adeò eius cor penetrârunt, miraculosâ cælaturâ diuinitus id longéque præstantiùs, ac nostra scalpella solẽt, agẽ-

te, vt cùm post eius obitū dissectū cor esset, in vnâ eius parte imago Crucifixi Christi probè admodum expressa vnâ cum lateris præter modum rubentis vulnere appareret: ex alterâ verò parte corona è spinis, lancea, tres claui, spongia arundini præfixa, columna, virgarum fascis, & funiculorum aliquot extrema viderentur; atque hæc omnia è cordis pulpâ veluti cælata eminebant, re qualibet natiuum sibi colorem referente, eâ soliditate ac duritie, quam quælibet exigebat; vt nihil ad viuam repræsentationem omnium SS. instrumentorum Patientis Christi deesset, adeò quidem, vt Vicarius Episcopi jussus in rem præsentem venire, ac in tabulas referre, cùm curiositate tactus lanceam attrectaret, senserit eius se cuspide offensum: neque hìc miraculum substitit, sed vlterius continuatum etiam in sanguine, qui per diuisi cordis vulnus promanabat, visum est: cùm enim esset ampullâ exceptum, singulis posthæc annis, SS. Crucis inuen-

tae

tæ anniuerſario die, cui ipſa ſingulariter ſe impendit, natiuum colorem reſumere, ac ebullire cernebatur: quod toties inſuper accidere cõſueuit, quoties Montifalconis, in quâ ciuitate pretioſum corporis eius pignus aſſeruatur, aliquod malum ac infortunium imminet. *a* O vt poſſes, Hagiophile, tanto amore ad IESV Chriſti dolores exardeſcere, gemino S. Claræ, ac pij Alexandri Luſacij exemplo illectus; vt Angelis in cælo ſtudium inijceres, à DEO poteſtatem poſtulandi, quò eis liceret in fundo, & meliori portione cordis tui omnia Chriſti Patientis ac Morientis myſteria inſculpere; vt nihil exinde amares, niſi eum, qui quidquid habuit, ne vltimâ quidem ſanguinis guttâ exceptâ, tibi donauit; iſque tibi in animo dies ac noctes verſaretur, qui à primo Conceptionis ſuæ momẽto, vſque ad ſupremum ſpiritum non deſijt ante oculos ſibi omnia crudelitatis exempla, & extrema tormenta

a *Annal. Minor. p. 3. ad annum 1308.*

proponere, quæ decreuerat tolerare, vt magnitudinem vehementiámque amoris sui tibi testatam faceret!

EXERCITIVM II.

Pro 2. die quadragesimæ.

Christi Crucifixi imaginem in cubiculo, aut alio loco habere, vbi videri ac incidere in oculos possit, exemplo S. Bonauenturæ.

HAGIOPHILE, non credis, quàm vltra modum me affligeret si aulas, cubicula, conclauia, & ambulacra, quæ necesse est me adire, ingressus, illic lasciuas tabellas, picturas inhonestas, & statuas aut effigies, turpi nuditate conspicuas animaduerterem. Animo excrucior, cùm talia mihi fortè occurrunt; neque persuadere mihi facilè possum, eos patres aut matresfamilias esse Dei amantes: non enim tunc inducere in animum possem, Deum non grauiter offendi, ac eiusmodi iu-

uenes,

uenes, qui illic locorum versantur, vbi huiuscemodi picturarum offendicula seruantur, animi puritatem non obscurare, tam pudendis simulacris, & scurrilibus ideis, ex earum intuitu menti obuersantibus : videntur autem hoc infelici sæculo mortales nullâ eius mali religione tangi : sed erit olim, cùm sanguineis lacrymis detestandos oculorum nictus, quos in probrosas imagines coniecêre, deplorabunt: & tam illi, qui causam præbuerunt, quàm qui domos & ambulationes ijs instruxerunt, magno pulchritudinis internæ, ac intuētium damno, quòd animos nefario obtutu fædârint, incredibili dolore cruciabuntur, rigidũ tribunal & formidabile justúmq; Dei judicium subituri.

An non satius est in aulis, alijsque locis, in eorum ædibus, qui Christianum nomen profitentur, decētes imagines, piásque pendere, præcipuè tabulas mysterijs Redemptionis, quorũ caput Christus Crucifixus est, insignitas? Hagiophile, me auctore cura, vt in domo tuâ aliquo loco Crucifixi ima-

gines oculis exponas: si queant pluribus reponi, bene est; si etiam cubile & Oratorium occupent, tantò meliùs. Certè amantes sponsæ non omittunt in conclauibus effigiem casti amatoris collocare: at mens tua non minùs spōsa est diuini amatoris, qui in Canticis magnum diem sui in Crucem ascensûs diem desponsationis *a* indigetat: en! cur non & tu dilecti tui effigiem penes te custodias? Nobiles & magnates felices se putant, si in oculis domi saltem Regem suum picturâ adumbratum habeant, quando eum perpetuò coràm in aulâ intueri non possunt: nónne & tu magnæ nobilitatis es, eius, de quo nobis sermo, pretioso sanguine vindicatæ? an non & tu è domûs DEI purpuratis es? velles ergo absque aliquâ illius imagine viuere, qui tam venustum se tibi exhiberet, maiori olim gloriâ tibi conspiciendus?

Verùm tu idipsum moliris, quod tecum disputo: & si aliquid in hoc à te pec-

a *Cant.* 3.

peccatum fuit, ab hoc die deinceps id abolebis: tam religiosa illorum imitatio, ad quam exemplo amatorum IESV fuisti inductus, huc te adduxit. Ad hanc S. Bonauentura tibi viam sternit, in cuius vitæ historiâ legimus, eum in oratorio Crucifixum habuisse, eúmque illi grandis instar voluminis, imò Bibliothecæ loco fuisse: quòd si aliquam scientiam esset consecutus, ex hoc illum fonte hausisse: si in scientijs addiscendis quæstio ei dubia incideret, aut in quauis câusâ anceps hæreret; hoc eius oraculum fuisse, à Christo in Crucem affixo eum responsa exspectâsse. Idipsum S. Thomæ Aquinati coæuo suo fassus est, se videlicet quidquid doctrinæ haberet, hoc magno Doctore didicisse, digito in Crucifixi effigiem, vnde profecisset, intento. S. Lutgardis Ordinis Cisterciensis eandem in Sacello suo præfixit, ad quam in omnibus corporis, quas acerbissimas tolerabat, molestijs reccurrebat: solus eius aspectus ita mentem illius ad Deum

 rapuit,

rapuit, vt omnium dolorum sensum amitteret. B. Victoria grauiùs nihil tulisset, quàm alicubi diuertere, vbi IESV in Crucem affixi imago non esset: hinc maximus vsus, quam in hoc pio argumento erat nacta in extremo morbo ei dictauit, vt juberet duas eius imagines lecto affigi, vt quoties latus mutaret, sponsum suum obuium in oculis ex omni parte haberet: vnde contigit, vt illâ cum morte luctante, Dæmon non nisi ad cubiculi januam progredi sit ausus, quòd tantùm animi non haberet, vt oculos in iconem sponsi B. Victoriæ conijceret. Iam dixi, omnes IESV amantes publicis locis Crucifixum exposuisse, aut in oratorijs collocâsse, siue vt, quoties præterirent, eum salutarent, vti solebat B. Iacobus Sextius ex Ordine S. Dominici; siue vt illic & breues & prolixiores preces persoluerent: hoc S. Margaretæ filiæ Regis Hungariæ solenne fuit, quæ ante Crucifixi imaginem sibi præ quouis simulacro charam ab exortu diei ad pran-

dij

dij tempus demorabatur. Quin adeò piè curiosi ac solliciti alij fuêre, nec vnquam ex eorum seu morientium, seu mortuorum oculis subduceretur; vt peregrè profecti non rarò studuerint, aliquo loco suffigere, vnde videri posset: id facere Margareta Lotharinga Alensoniæ Princeps consueuit; si enim iter inijsset, semper è lecticâ Crucifixi imago pendebat. Gabriela Gadaignia Comitissa de Cheurieres idem factitabat, si quando Masconem, aut inde reuersa Lugdunum secundo Arari proficiscebatur: tunc enim Crucifixum in eâ parte nauigij statuit, ad quam ipsa & comites omnes conuertere vultum possent.

At nunquid animaduertis, Hagiophile, dum te ad Christi in Crucem suffixi iconem varijs ædium angulis affigendam adhortor, sensim me ad quædam eximia emolumenta & fructus ex ea consuetudine enatos tibi digitum intendisse, qui totidem potentes stimuli sunt, ad JESV, amantium exem-

plum, te excitandi? Commoda inde orientia permulta sunt, non solùm quòd supremum Magistrum ad latus habeas, à quo diuinas veritates docearis, vt S. Bonauentura consueuit; aut quòd præstantissimum Medicum præstò ad nutum habeas, cui detegere minimos & maximos morbos queas, vt S. Lutgardis solebat; aut quòd ad bene moriendum seruiat, dum ante oculos suos in hoc vltimo conflictu pro spectatore mentium nostrarum consolatorem, & amatorem earundem videant, qualis felicitas B. Victoriæ contigit: sed etiam hac ratione ex solo Christi è Cruce pendentis intuitu alia insuper multò ampliora bona, eáque omnis generis obtinemus. Solus Crucifixi aspectus curare omnia mentis nostræ vulnera potest, ac longè feliciùs, quàm serpens olim æreus in solitudine seintuentes restituit; quandoquidem rigor ille amore plenus, quo DEVS Pater in proprium Filium animaduertit, ad exsoluenda nostra debi-

ta

ta pænásque nostris criminibus destinatas se offerentem, nos seriâ cogitatione percellit, DEVM nihil in nobis dissimulaturum, ac pro culparum modo nos castigaturum; postquam tam acerbè suum Filium, & vnum cum ipso Deum corripuit. Sola Christi Crucifixi species tam aptè, & in tempore cuipiam potest accidere, vt hominem à Christo alienum & obstinatum possit ad frugem reuocare. Quid ad salutis tramitem Placidum, quem modò Eustachium appellamus, adduxit? sola Christi Crucifixi imago, inter cerui, quem in venatione insequebatur, cornua prominens, Non equidem negârim, hoc eum potissimùm impulisse, quòd Christum inde sibi loquentem, & cur se persequeretur, rogantem audierit: at etsi verba hæc foris miraculosè prolata nobis promittere non queamus; verissimum tamen est, Christum in Cruce fixum, quem in transitu collocamus nobis clarâ satis voce mentis nostræ aures pulsare, eorúmque nos

intus admonere, quæ agenda nobis incumbunt. Crux vnica illic exposita, vbi versabimur, sufficiet ad nos in officio continendos, ab indecenti actione absterrendos, ac insolentiam quamuis compescendam: hic intuitus, hęc præsentia JESV in Cruce positi amabili vi nostra verba, actiones, ac ipsas adeò cogitationes coërcet. Quam in rem maximopere memorabile illud est, quod quibusdam immodestis accidit, qui finito Completorio locum, vbi Christi è Cruce pendentis imago prostabat, insolenti risu complebant. Historia Ordinis S. Francisci *a* commemorat, Crucifixi imaginem confestim ingentem clamorem edidisse; cúmque illi oculos mox in simulacrum illud conijcerent, deprehendisse vultum eius excanduisse, oculósque irâ fuisse accensos; veluti JESVS illis succensuisset indignatus, tam paruam sui in effigie illâ præsentis rationem haberi: neque

a *Tom 1. Annal. Minor. ad an. 1220. in domo Oxomensi.*

que hîc finis minarum ſtetit; omnes enim illi riſores & inuerecundi cõgerrones inde reſipuerunt, ac vbicunque obuiam eiuſmodi ſuæ Redemptionis imaginem haberent, ad ſingularem ſe modeſtiam compoſuerunt: illi verò, qui inter ipſos inſolentiores tunc erant non diu ſuperuixêre; viſi enim ſunt in omnium oculis contabeſcere, omnéſque intra paucos dies vitam abſoluêre. Plurimæ ſunt eiuſcemodi vtilitates, quas expediet ſequentibus Exercitijs reſeruare, quæ aliquam cum iſto affinitatem habent. Vt caput hoc claudam, quod agit de Crucifixi imagine ſibi exponendâ, ſiue ea in ambulatione ſiue cubili, aulâ, ſiue conclaui ſpectetur, omnia dixi, ſi dicam, nobis per omnia prodeſſe etiam in difficillimis & intricatis negotijs: eius tibi exemplum adduco, & finio.

Religioſa Virgo Angelica ex Ordine tertio Minimorum, vt eius Ordinis hiſtoria recenſet, raræ virtutis, quæque Virginitatem omnibus mundi opibus

anteferebat, cùm Milaſſi degeret, quæ illius patria fuit, ob eximium formæ decus à pluribus ad coniugium expetebatur: & parentes iam cõiectis in familiam oculis, omnes machinas ei admouebant, quibus eam poſthabito virginitatis ſeruandæ decreto, ad ineundum cum quodam proco matrimonium inducerent. Sed illa ſemper ſibi ſimilis cùm videret ab omni ſe parte vrgeri, non aliud eis reſponſum dedit, quàm, ſtatuite, inquit, de me, quod vultis; ſpero interim Deum rebus meis opportunè conſulturum: quo dicto coram Chriſto Crucifixo proſtrata, eum obteſtata eſt, ne ſibi in hac causâ opem negaret; ſibi certum fixúmque eſſe Virginem viuere & mori; ſe hactenus omnes vires parentum conatibus oppoſuiſſe; eius modò diuinæ bonitati ſe cętera permittere, num ſupremam manum addere ſuis conſilijs velit, immiſſo fortè obſtaculo, quod procis occaſionem præbeat, ſententiam mutandi. Vix preces illa finierat, cùm quamprimum

primum pleuritide corripitur: quo morbo durante, votum Virginitatis edidit, se habitum ac cingulum tertiæ Regulæ S. Francisci de Paulâ assumpturam. Hoc edito voto statim conualuit, ac vt, in votis ei fuit, tirocinium Religiosæ vitæ adijt. Sed neque voti sanctimonia, neque religiosa vestis parentum potuit importunitatem remorari, quâ eius nuptias vrgebant: veterem illi cantilenam identidem occinebant, sanctámque puellam prioribus postulatis adoriebantur: vicissim illa ad eadem remedia recurrebat, iterúmque humi ad Christi Crucifixi pedes prouoluta, alijs precibus primarum similibus longè jam feruentiùs instabat, mille potiùs morbos, cruces ac supplicia, quàm matrimonij jugum subitura: se alium præ illo sponsum nolle, qui esset *speciosus formâ præ filijs hominum*; a ac tametsi in Passione ac Morte suâ esset miserè defædatus, nihilominus postquàm resurrexerit, ac in cælos ascende-

a *Psalm.* 44.

ſcenderit, pulchritudinis eum miraculum factum, Angelorum ciuiúmque cæleſtium oculos voluptate complere. Etiam ſecundas famulæ ſuæ preces IESVS exaudijt: & ecce mox tetro carcinomate obſeſſa eſt, quo eius pectus corroſum, ac venuſtas omnis ita fuit deturpata, vt nemo mortalium de eius coniugio ſomniaret: ita mortalium amoribus & mundi pedicis exſoluta nihil aliud cogitauit, quàm quâ ratione tam præclarâ occaſione ad virtutem vteretur, & magna ſibi apud Deũ merita compararet: quod illa ipſis viginti, quibus ſupererat, annis incredibili patientiâ præſtitit, ſemper cum moleſtiſſimo eo morbo colluctata, qui eam tandem ad vltima deduxit: inde ad dilectum ſponſum ſuum euolauit, illic eius aſpectu fruitura, ac immortalem gloriam captura, quæ totam æternitatem exæquent. *a*

a *In hiſt. Minimor. lib. 8.*

EXER-

EXERCITIVM III.

Pro Fer. VI. post diem Cinerum.

Christi in Cruce fixi imaginem secum ferre, exemplo S. Francisci Xauerij.

HAGIOPHILE, superest adhuc, quo testeris, te per omnia Christi amantem, præcipuè verò in Cruce pendentis studiosum esse: vbi omnia immensi amoris in te documenta dedit: hinc rectissimè ages, si tecum aut in chartâ Breuiario impositâ, aut è Rosario in numismate, aut in Reliquiarum thecâ in Crucis modum efformatâ, aut alio quouis modo Crucifixi imaginem gestes. Non jubeo te maiorem crucem & in omnium oculis præferre: Eremitam enim tunc te vulgò dicerent, argueréntque te hominum de te sermones aucupari: illud Religiosos decet, qui talia profitentur. Minus aliquid à te posco, & vt communem pluribus morem secteris, qui nemine

minae, nisi solo DEO & Cælitibus conscijs, Crucem circumferunt. Noui magnæ nobilitatis Matronam, quæ perpetuò penes se paruam è solido auro prope sinum habet: è religiosis aliam scio eam portare lipsanothecæ supernè incisam, quę in Crucis figuram facta est; ita quidem, vt eâ Cruce è funiculo & collo suspensâ, Christi Crucifixi imago noctes atque dies cor pulset ac obsideat. Hodie omnes propè Deiparæ cultores (& quis non est?) charissimæ Reginæ suæ imaginem secum ferunt: an patiemur nos argui, hoc idem studium nos IESV denegâsse, qui millies, quàm MARIA, est amari dignior, *speciosus formâ præ filijs hominum, a* gloria Angelorum, & æterni Patris delicium? Ferunt, *b* Boleslaum IV. Hungariæ Regem parentis sui effigiem è collo in aureâ lamellâ pendulam asseruâsse; ac si quid maioris momenti dicendum agendúmque fuit, arreptam imaginem illam osculari, ac dicere solitum:

a *Psalm. 44.* b *Cromer. lib. 50.*

litum: Chare pater! æquum eſt, me cauere, ne quid agam tibi ingratum, tuóque nomine indignum. An non putas, eadem nobis dici? ſi enim Crucifixi imago nobiſcum eſt, quàm fortunata occaſio, eum quoties libebit adorandi & oſculandi, eius auxilium implorandi, eius benedictionem & eximios fauores poſtulandi! Tuum erit, num velis in grauioribus per diem negotijs, & noctu, quoties euigilas, ijs delicijs vacare: ita conſolatio tibi ſemper præſtò, ac ſummum remedium aduerſus quodcunque infortunium in promptu erit.

Hîc tibi S. Franciſcum Xauerium vt præclarum exemplum propoſui, neque retracto, ac potiùs prodigij te admoneo, quod illi accidit, indubitatum ſingularis approbationis ſignum, quâ IESVS gaudet penes nos Redemptionis noſtræ icones videre. Is igitur ex Inſulis Molucis, vbi tunc erat, ad aliam inſulam duorum dierum internallo diſſitam commeare decreuerat: dúm.

dúmque ita mari vehitur, insana tempestas nauim adoritur, eíque ac nauigantibus naufragium minatur: ei malo S. Franciscus Xauerius, vt magnâ fide ac fiduciâ in Christum amorem suum præditus, non aliud remedium attulit; quàm vt paruum Christi crucifixi sigillum collo, vnde pendere solebat, detractum digiti ferè longitudine, in furens mare demitteret; vt ad præsentiam imaginis potentissimi amatoris sui rabiem procellæ ponerent. Sed interea, dum è manu in sæuientes vndas Crucem demergit, è manibus illi elapsa maris fundum petijt: quod seruo Dei perquam doluit; sed vix elapsis viginti quatuor horis abstersus illi mæror fuit: quippe postridie cùm litus attigisset, ídque secundo cursu raderet, ad oppidum Iamel, vbi exscensionem parabat, iturus, vix octauam leucæ partem confecit, etsi pluribus leucis ab eo loco, vbi Crux ei exciderat, abesset; cùm cancrum marinum conspicatur, inter chelas paruam eius

Crucem

Crucem sursum erectam præferre, qui vndas egressus, magnâ festinatione rectà ad ipsum contendebat; quem vbi satis fuit assecutus, cursum stitit. S. Xauerius ob miraculum prorsus attonitus, ac dilecti Magistri sui bonitatem veneratus, in genua procidit: interim cancer exspectat, dum ille pretiosum hoc pignus, cuius restituendi causâ fuerat eò ablegatus, è chelis eximat: quo facto, cancer viam ad mare relegit, natiuo iterum elemento redditus: quid vir sanctus tunc non egit, vbi seruatoris sui Crucifixi iconem recuperauit? historia commemorat, eum centena ipsi oscula impressisse, ac sæpissime magno animi sensu amplexum; humi quoque abiectum, brachijs in Crucis modum diductis, arctéque pectori admouentem horæ dimidio pro tanto beneficio precibus ac gratijs persoluendis illic hæsisse. Socius eius, qui spectator eius miraculi aderat, idem fecit, gratijs diuinæ bonitati habitis, quòd

quòd ei licuiſſet præſenti tam præclaro beneficio intereſſe. *a*

Hagiophile, nondúmne planè perſuaſus es, de paruo Crucifixi ſigillo tibi proſpicere, quod ferre facilè tecum poſſis? quid ſi & te ſimile periculum inuolueret? Quid muſſas? nempe hoc rectè à Religioſis, è quibus S. Franciſcus Xauerius erat, & in clauſtris fieri; hoc ſcilicet pallio frigidum amorem diſſimulare te dixerim, quem ei præſtas, qui immenſo ſuo amore adactus, pro te agi in Crucem voluit, vt ex Inferno te pridem eò condemnandum eriperet. Sed num hoc ſolùm agitur, vt nihil à te præter vulgi profani morem fiat? teneo te, dummodo me velis adhuc patienter, de alio miraculi genere, quod in gratiam puellæ cuiuſdam IESV amantis patratum eſt, dicentem audire. E Societatis noſtræ Hiſtoriâ *b* habemus, Braſilam puellam Chri-

a *Ex relatione factâ in conſiſtorio in Canoniz. S. Xauerij à Cardinali à Monte, cap. de miraculis.*

b *Hiſt. Soc. tom. 2. lib. 2. ad an. 1558.*

Christianâ fide imbutam, ac diuino instinctu penitùs persuasam, perpetuò Virginitatem colere, cùm esset quibusdam Christianis parùm pudicis vendita, ab eorum vno tam importunè fuisse ad flagitium sollicitatam, quà minis quà blanditijs adhibitis; vt misera puella propè, quò se verteret, ignoraret, nisi vt ad lacrimas conuersa, vultum deformaret, sui fastidio insidiatores repulsura. Semper illa quidem victoriam tam ab hoc, quàm ab ijs, qui perpetuò eam infamibus postulatis vrgebant, referebat: nihilominus quòd præuideret, huic incommodo finem nullum fore, hoc consilium arripuit, quod & successus fortunauit: vt videlicet Crucifixi imaginem, si quam posset nancisci, è collo suspenderet: ídque re ipsâ effecit, persuasa, quandoquidem heri sui se pro Christianis venderent, illam se, cùm opus foret, depromere, ac herilem insolentiam retundere posse. Habes igitur puellam Christo Crucifixo deuotam ex eorum numero,

mero, qui eum secum retineant. Nihilo tamen seciùs dęmon non desistebat, impuras faces impiorum hominum cupiditati subdere, qui pudendis moribus voto eius viuebant, eousque, vt vnus illorum per speciem procurandæ rei familiaris generosam hanc puellam juberet in villam concedere, vbi & ipse mox aderat, eámque grauiùs quàm vnquam ad nefas pelliciebat, ídque tantâ cõtentione, vt casta hæc ouicula conspicata se solam à rapaci lupo deprehensam, actum de se crederet; nisi sponsus eius IESVS auxilio foret; quod optimâ fide præstitit: nam puella extracto Crucifixo, nefario homini se obiecit, eúmque per Christum in Cruce pendentem obtestata est, ne pergeret vim inferre: tum etiam ante eius genua procumbit; in oculis lacrimæ, in manu Crucifixi effigies, in animo IESV & puritatis amor versatur: precatur per eius pretiosum sanguinem & supplicia, quem illi hærentem in manibus exhibeat, ne labem suo pudori inferat:

rat:

rat: addit minas & infortunia, quæ eum maneant; IESVM ipsum vltorem sceleris fore; crimen nimiùm enorme esse, aliquam eius sponsam illi abstrahere: atque hæc tantâ constantiâ & magnanimitate perorabat, vt tandem infelix homuncio manus dederit, ac scelere abstinuerit; quin fidelitate virtutéque Christianæ huius Amazonis victus eam à se dimissam alibi collocauit; vbi ipsa quosdam alios insultus in eadem causâ pari semper victoriâ perpessa, à nobilibus aliquot matronis adiuta est, quæ illam in tale domicilium transtulerunt, vbi periculi expers reliquum vitæ sanctè exigeret: quod illa eximiè præstitit, gratijs quàm maximis Christo suo Crucifixo actis, cui bis libertatem suam deberet.

EXERCITIVM IV.

Pro Sab. poſt diem Cinerum.

Amabili obtutu Chriſtum è Cruce pendentem intueri, exemplo S. Gertrudis.

S. GERTRVDIS quondam conſilium accepit quouis auro pretioſius; & quod magis admiremur, non niſi de vno nictu oculi & blando aſpectu in eum defigendo res eſt, qui aliunde mereretur rerum omnium creatarum oculis æternùm conſiderari. Filia, inquiebat Seruator noſter, qui amanter Crucifixum in viuis intuetur, eum amanter reſpicere Crucifixus in horâ mortis dignâbitur. *a* Nullus dubito, quin ex eo tempore S. Virgo amantiſſimo ſit oculo Crucifixum intuita, cuius fructum in incredibili conſolationum affluxu ſub felicem obitum perſenſit.

O Ha-

a *Ex Bloſio.*

O Hagiophile! quantillo impendio poteſt beata mors parari! nimirum vt feliciter fidentérq; liceat nobis ad cæli portas pulſare, cæleſte Sanctuarium ingreſſuris, vbi Diuinam faciem palàm Deus ſpectandam exhibebit, non aliud eſt agendum, quàm vt amanti aſpectu Crucifixum reſpicias, qui aut ſponte in oculos incidet, aut in tuo oratorio alióue loco defixus eſt: vnius amoris plenus oculorum annutus in tam amabilem ſcopum noſtræ Redemptionis, coniectus, rapere DEI cor poteſt. Diuina Sponſa fructum diuini amoris nõ promeruit, nec IESV adorandi ſponſi ſui Cor amorémque poſſedit, niſi poſtquam amantes in eum oculos contorſit. *Vulneràſti cor meum, ſoror mea Sponſa, in vno oculorum tuorum.* a Nec cauſari poteris, laborem quem tibi defero ac propono, eſſe operoſum: quid enim facilius, quàm oculos attollere, blandéque illos obliquare? Noui, hæc nullo abs te labore fieri, ac centies eos

a *Cant. 4.*

te respecturum, in quos animo propendes; qui tamen longè sunt minùs amabiles, quàm IESVS, pulchritudinis idea, & nostrorum cordium expugnator. Scio, oculis tuis te discrimen obseruare, blandóque & sereno oculo te dignari, quos, & quando voles. Caue, ne hîc te difficilem præbeas, néue supremo mortalium amatori IESV, qui est ipso amore amabilior, Cæli & terræ decus, in quem desiderant Angeli prospicere, deinceps oculorum tuorum blanditias deneges. Sed reprehendi merear, quòd te in re tam facili ac tantis rationibus nixâ tantopere vrgeam: satis est, me tibi denuo inculcare, IESVM tibi in horâ obitûs tui mitem amabilémque vultum polliceri, quem mecum pluris facies, quàm amores omnes rerum conditarum, & in totas mundorum myriades concessum imperium.

Id vnum restat, quod dicam, ad sæpe studioséque iterandum Christi Crucifixi aspectum, siue in transitu, siue aliter

liter id fiat, te inuitaturus; videlicet, vt in memoriam reuocem, quod ante viginti circiter annos cuidam amicorum meorum à viro fide digno, qui tunc Romæ degebat, perſcriptum eſt. Obijt eo tempore in vrbe Sacerdos quidam magnâ cum ſanctitatis opinione, vir Chriſti imprimis Patientis vnicè amans; hinc ſumma eius voluptas fuit, eum in Cruce ſuſpenſum cõtemplari: huc oculos tam blandè defigebat, vt poſſent vel Angelos rapere; id quod fieri neceſſe fuit, quando ipſum adeò DEVM rapuêre. Cùm animam ageret, Sanctorum more obijt, ridenti vultu ac ſereno, qui ad pietatem incitaret; placidúſque inſtar Angeli apparuit: nempe peractæ vitæ par ſolet mors accidere. Cúmque jam eſſet vita functus, neſcio quam ob cauſam apertum defuncti corpus eſt; jámque ad ſedem cordis deuentum anatomiâ fuit, vt illic explorarent, num aliqua cauſa mortis lateret; cùm deprehenſum eſt cor abeſſe: chirurgi ac

medici protſus attoniti, quòd hominem reperiſſent corde carentem, nullam poterant rei tam inſolitæ cauſam, aut quidquam aliud afferre; ac mutuò ſe intuiti rem miraculo tribuebant: hæc tota illorum philoſophia erat. Verùm interim dum admiratione pleni tam inuſitato euentu percelluntur; præſentium vnus fortè dilapſis ad Crucifixi effigiem oculis, quæ erat ſupra defuncti Oratorium in eodem conclaui, vbi ſectio fiebat collocata, animaduertit, ad Crucifixi pedes cor jacere: eò quamprimum omnes accurrunt, cognitóque, quòd hoc ipſum cor eſſet, à ſe deſideratum, altâ voce, miraculum! miraculum! ingeminant; virum tam ſanctum amorem ac Cor non alteri habuiſſe quàm IESV deuotum; hinc DEVM nolle Cor eius etiam poſt mortem à ſe diuelli. Vulgò aiunt, oculos amoris nuntios eſſe, & à corde illuc ablegari, quorſum pertingere, ac jungere ſe amanti pro libitu ipſum non poteſt: hoc ipſum ſancti Sacerdotis

cor

cor totâ vitâ facere consueuit: cúmq; amoris sui metam contingere non posset, sufficiebat illi, oculos eò deriuare; postquam verò & oculi hoc officium ei negârunt, deficiente nuntio cor ipsum hanc viam suscepit, ac post mortem bonâ dilecti sui veniâ & potestate fecit, quod in vitâ efficere nunquam potuit: vt inde discamus, si oculi sint Cruci affixi, & veluti semper in illud latus obliquati; hoc idcirco fieri, quòd oculi in rem nullam adeò sint proni, quàm quæ magis cordi est: ac Patientis IESV amatores sibi relictos, corda mox suis sedibus euulsuros esse, vt ea ponè Christi Crucifixi pedes deponerent, eíque se arctissimo, quo fieri in hac vitâ potest, modo coniungerent; dum arctiorem ac beatum nexum in alterâ præstolantur.



EXERCITIVM V.

Pro Dom. 1. Quadrag.

Fixis oculis Crucifixum intueri, exemplo S. Elisabethæ, filiæ Regis Hungariæ.

NVnquid sancta & laude digna illa curiositas erit, scire velle, quid demum prosit, oculos adeò tenere in Crucifixum intentos! sunt alij, qui horæ quadrantem, qui horas integras velut immobiles persistant, oculo nunquam ab hac amoris illecebrâ dimoto. DEVM bonum! quid tantopere ac tamdiu obseruare in tantillo spatio, simplicique mortui hominis imagine possint; quæ cæteroquin parùm habet venustatis, vtcunque sit eleganti manu elaborata? Cuperem sanè ab vno illorum doceri, quænam dulcia illa alloquia, quæ cogitationes eis forent; & num in eâ picturâ aliquam pulchritudinis & miraculi lineam deprehendegent, quam vulgus ignoraret.

Hagio-

Hagiophile, vis dicam, quid eiusmodi spectator mihi responsi daret? prorsus id, quod olim excellens pictor cuidam importuno cauillatori respondit, qui eum contemnebat ex eo, quòd tam præstantem picturam venum exposuisset. coram illâ diu moratus, eam contemplabatur, stupebat, laudabat, ingenti summâ argenti oblatâ eam licitatus; & secum mussans, hem, inquiebat, pictorem malè sanum! Ita binæ horæ elabuntur, quas ille in considerandâ tabulâ defixus perdebat, nunc hac nunc illâ parte curiosus: nunquam vidi hominem isto ineptiorem; & quod accedit, eam imaginem quocunque voluit pretio comparare, totúmq; aurum è crumenâ illi obtulit: ego sanè nihil in hac picturâ inuenio, vel oculo, nedum auro, dignum. Pictor, vt erat vir prudens, tandem illi respondit: Ex Æliano *si oculos meos haberes, hoc non diceres.*

Ah! Hagiophile, quis oculos nobis dabit illorum similes, qui diu at-

tentéque Crucifixum reſpiciunt? nam illius aciei defectu, quâ illi ſunt præditi; miramur, eos tamdiu circa hoc adorandum ſpectaculum hærere: & tamen vero verius eſt, mundum vniuerſum nihil eo dignius noſtris oculis obijcere poſſe. S. Franciſcus Seraphicus, qui præ animi dolore aut conſolatione totus lacrimis madebat, in eius contemplatione de oculis periclitabatur, quem cùm medicus vellet ab illâ aſſiduitate abſtrahere, per ſpeciem oculos ſeruandi, qui vi lacrimarum diffluerent, ah! deſine, reſpondit vir ſanctus; malo luminibus carere, quam vt dum illis parco, meipſum voluptate, quam ex aſpectu IESV Chriſti Crucifixi capio, defraudem.

Et tametſi intuitus ille non eſſet, tam digno argumento plenus; ſolus tamen IESV morientis in Cruce obtutus, maiorem nobis conſolationem afferet, quàm pectus humanum quomodocunque affectum poſſit ad hoc deſiderare, vt omnis generis calamitates

euadat, & ad plenam libertatem aſpiret. Hoc arcanum illud eſt, quod olim pius quidam Sacerdos S. Liduuinæ detexit: illa à quatuor jam annis lecto affixa acribus morbis cruciabatur, qui non parùm eius patientiam labefactabant: Sed Sacerdos ad illam aliquando inuiſens eam conſolatus eſt, monuítque, vt importunas feminarum, quę eam accederent, viſitationes abrogaret, ac deinceps ad Chriſtum Crucifixum confugeret, hîc veram ſolidámque conſolationem ei obuenturam. Paruit illa, ſimúlque illud ſolatium, quod ei erat promiſſum, conſecuta eſt, accedente animo deſiderióque prorſus heroico, tantò maiores poſthàc cruciatus Iesv Chriſti amore perferendi. Et reuerà vbi quæſo plus conſolationis poſſimus vſpiam reperire, quàm in hoc diuino amatore, ſanguine, & vulneribus operto? aduerſa te premunt? video; ſed ille grauioribus exercetur: felix & tranquilla tibi mens eſt? bene habet; ſed hæc tibi ſupplicijs & boni-
 tate

tate DEI Hominis parta est: honorem tuum inuadunt, aut dedecore & ignominiâ te onerant? commiseratione dignus omnino es; sed nullum probrum; nulla contumelia potest esse tam enormis, quàm Filij Dei ad Crucis stipitem affixi, penitùs in totius Ierosolymæ oculis nudi: honores es consecutus, ac maiores olim in sede gloriæ exspectas? tantò meliùs; sed quis eos tibi promeruit, nisi amantissimus hic Redemptor, quem coràm intueris opprobrijs oneratum? hæc omnia tibi consolationis materiem suggerent, si Crucifixum aspicias: ac sentio, eos, qui sæpe, ac pensiculatè eum contemplantur, plenè sapere, nihilque sic eis expedire.

Veruntamen nondum omnia dixi: Crucifixi aspectus præclarum theatrum magnæ admirationis mortalibus est: hoc loco rectè pronuntiârim: *Non alibi miranda magis.* Et quis non admiretur, Deo in Cruce conspecto? quòd doloris ac mortis expers pro illis ipsis dolere ac mori velit, qui auctores mortis

tis fuêre? quis non obstupescat, quòd hominum omnium tenerrimus doloribus ac tormentis excrucietur, qualia nemo mortalium tolerauit? quod innocens pro reo moriens, sententiâ judicis cogatur inter duos latrones mori?

Planè mihi persuadeo, hos ipsos sermones, consolationes, admirationésque bonarum mentium esse, qui tanto studio conspectum Amoris sui crucifixi & mortui sectantur. Ego quidem non video, quid arguam, si illic tres quatuórue horas diutiùs aut breuiùs hæreant; quin potiùs miror, eos tam subitò inde discedere, tantus ibi videndi campus est. Laudandus profectò amor in Iobi amicis est; ij enim *septem* ipsis *diebus sederunt cum eo in terrâ, & nemo loquebatur ei verbum*, a tunc cum maximis calamitatibus premeretur; qua de causâ? vt contemplarentur mirarentúrque hunc Principem ac amicum suum, qui nuper tam secun-

a Iob. 2.

dam fortunam, tantos honores, tam illustre nomen habebat, cui opes ceu Regi, reuerentia ceu Monarchæ habita; at nunc è gradu honoris deiectum, exutum fortunis, ſpoliatum liberis, fædis morbis oppreſſum ac omnis generis miſerijs cumulatum. Sed quid toto illo ſeptiduo egerunt? oculos in eum continuè defixerunt: hoc vnum vnicum agebant: mirati ſunt ſcilicet tam raram metamorphoſin, animo viri innocentiam reputabant, mirabantur patientiam, humanitatem, animum diuinæ voluntati conformem, & alias eius virtutes: ſed interea ſemper vultus eorum in lobo hærebant, oculis nunquam ab hoc miſerando ſpectaculo alienatis. Inuadat me iam aliquis, ac rationem à me poſtulet, aliquantò prolixiori tempore Crucifixum contuendi; ſufficiat me dixiſſe, amicos Iobi, qui Chriſti patientis imago fuit, ſeptem continuos dies ad eum conſiderandum oculos impendiſſe: vnde diſcimus, quòd, qui ſeptem totos dies, ſe-

ptem

ptem hebdomades, & annos Christum Crucifixum in oculis habuerit, semper nouum videndi ac mentem pascendi sit argumentum reperturus. IESV in Cruce positi magnus amator S. Franciscus longiùs progressus, videndo, aiebat, IESVM in maximo suppliciorum suorum, hoc est, in Crucis lecto versantem, satis occupationis ac consolationis ad vsque mundi finem habeo, si Deus mihi tamdiu vitam prorogaret.

Fortè voles multò accuratiùs indagare, ac ex me quærere, quo loco maximè oculi sint occupandi; an in capite spinis coronato? an in facie grumis sanguinis opertâ? an in Cordis vulnere? aut alijs partibus? vbi tandem? nõ est meum, hæc tibi edicere; Spiritûs sancti est, talia dictare: satis est, te scire, omnia hîc esse tuis oculis digna, aptáque ad cor emouendum, ac lacrimas ex oculis eliciendas cum firmissimo decreto, eum amandi. Audi, quid S. Augustinus a dicat, & disce, quid intue-

a *Lib. de Virginibus.*

intueri te deceat, & quam ob causam. *Inspice vulnera*, inquit, *pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices surgentis: Caput habet inclinatum ad osculandum, Cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplectendum, totum Corpus expositum ad redimendum: hæc quanta sint, cogitate; vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in Cruce.* Nunquam finirem, si percensere vellem, quęcunque hîc possunt oculis seruire: quando aliud nihil restaret videndum, nisi quatuor dimensiones, latitudo, longitudo, altitudo & profundum, de quibus S. Paulus loquitur, *a* quæ omnem facultatem creati intellectûs excedunt, quòd scilicet ijs IESVS CHRISTVS sit significatus in ligno Crucis in longum ac versùs quatuor mundi plagas extensus; satis amplum profectò campum haberent oculi, diu piéque se detinendi, agnosceremúsque, si Caput ad Orientem vertit, pedes in Occidentem demisit, manus

a *Ephes. cap. 3.*

manus hinc in ſeptentrionem, inde in Meridiem protendit, hoc idcirco factum, vt nos ac orbis vniuerſus eius amoris vehementiam, ac deſiderium reciproci erga ſe amoris à mortalibus cunctis eliciendi, intelligamus.

Etiamnum à me doceri geſtis, ad quid tam obfirmati obtutus faciant, quid commodi afferant. Credo id jam pluribus me locis tradidiſſe: quod ſi nondum tibi ſufficiat, en reliquum, quod tibi ad omnem vſum præſtò ſit. Religioſa Mater Tereſa de Buyſſonrond, ſiue de Rubo rotundo, ex ordine D. Bernardi, adhuc puella parùm fuit pietati addicta; cúmque nihil minus quàm de illo vitæ genere, quod deinde arripuit, cogitaret, tam opportunè ac in tempore oculos in Crucifixi imaginem conuertit, animo etiam oculum ſequente, (& erat fortè Icon Longini Chriſti latus lanceâ aperientis) vt animitus dolorem conciperet, Deóque cor tam latè explicaret, vt viſum ſit, eum exinde intro receptum perpe-

tuam

tuam illic ſedem captâſſe: fuit enim illa mox penitùs mutata, omníque prauo in res creatas ſtudio abſoluta; neque aliud niſi cælum ſpirabat, nihil niſi de ſalute ſollicita: tantam felicitatem vnicus Chriſti Crucifixi ſerius obtutus attulit. At fortè nimis tibi recentia obtrudo: habe igitur paulò antiquius exemplar; ex quo ille fructus enatus eſt, vt omnis faſtus & mundi vanitas contempta calcaretur, visâ voluntariâ Regis Cæli & terræ, qui nudus in Cruce obijt, paupertate. S. Eliſabetha Princeps & filia Regis Hungariæ ſolenni quodam die ſuperbo veſtitu ſplendidè ornata in templi ingreſſu Crucifixi imaginem conſpicata eſt, quam magno ſuo bono tantiſper fixis luminibus cõtemplata, mox manantibus lacrimis ſenſit ſibi animum emolliri: & quid? inquiebat, ecce *ſplendor paternæ gloriæ & figura ſubſtantiæ eius* a mei amore prorſus eſt deformata; & ego me comam? ecce Cæli terræque do-

a *Hebr. 1.*

dominus nudus in Cruce pendet; & ego misera aureâ telâ vestiar, instar nymphæ exornata? IESVS Seruator meus transfossas manus gerit; & ego integras mollibus ac pretiosis chirothecis contegam? Ita Princeps nostra loquebatur, ita videbat; cùm ex animi commiseratione viribus deficit, intérque gynæcei manus linquente animo collabitur. Vix deinde ad se redijt, ac statim professa est, nihil sibi deinceps cum superbo vestium apparatu fore, nec vnam fimbriam non necessariam se in corpore passuram; simplici se cultu vsuram, ac pro festiuis diebus non aliam cultiorem togam quàm Christianæ matronæ modestiam admissuram: atque illud animi decretum tantâ fide exsecuta est, vt maiori non potuerit: ex eo tempore cyclade vtebatur perquam modestâ, sub quâ sæpe asperum cilicium occultabat: quòd si Dux eius maritus extra ditionem esset, tam crassâ telâ se amiciebat, vt vilissima

ma ciuium erubuiſſet, ſimili habitu in-
cedere. *a*

a *Surius 19. Nou.*

EXERCITIVM VI.

Pro die Lunæ I. hebd. in Qua-
drag.

Amanter Chriſtum Crucifixum precari ac alloqui, ſiue explicanda ſint ei noſtra deſideria, aut faſtidia, ſiue poſtulanda ſit eius benedictio & approbatio eius negotij, quod ſuſcipimus, exemplo B. Thomæ Villanouani.

B. ANGELA de Fulginio cùm quondam coram cæleſti ſponſo ac Seruatore ſuo adſtaret; ille, Filia, inquit, in oculis tuis tormenta mea frequenter feras; contemplare me Cruci affixum, & attende, num aliud in me quàm amorem ſis conſpectura. Hagiophile, ſi res ita ſe habet, quis alius erit precãdi modus, aut Crucifixo loquendi ratio, quàm phraſis mellea, quàm

quàm verba amoris ? in promtu tibi blandæ voces adſunt, cùm voles: hic igitur collocandæ ſunt; proinde in genua prouolutus ad Crucifixi pedes, ei amanter detege, quidquid animo verſas, ſiue deſiderium illud ſit, ſiue faſtidium; non ſecus atque ſi illud in amici, aut etiam tuorum parentum aures effunderes. Mihi crede, amantiſſimus IESVS tam ambabili ſimplicitate admodum delectatur: hæc dulcia verba eius cor faſcinant, vt honeſtè non poſſit noſtra vota reijcere; ac illius manus conſtringunt, quò minùs in nos, ſi criminũ rei ſimus, animaduertere queat.

Si perſpecta mihi tua minora poſtulata, ægrimoniæ, moleſtiæ & mentis curæ ac inopia foret, breues huc in vſum tuum formulas, cum Chriſto Crucifixo loquendi, afferrem: ſed quoniam certum illud eſt, nullum oratorem eſſe amore diſertiorem; quantulumcunque illius habes, aurum loquêris, vbi reipſa ſancto amore Crucifixum alloquêris: vt compendio dicam, ſi

doce-

doceri cupias, quid alij hoc in negotio facere ſoleant, quos maiori ſiduciâ & ſecuritate imitari queas; non grauabor equidem tibi aperire, quid illis in vſu fuerit: obſerua, & imitare.

Pius Latro, qui primus omnium Crucifixum piè allocutus eſt, pauca ſed bene ac bono animo dixit: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* a Age nuncquid laboris habet, tantundem nudè dicere? O IESV delicium animæ meæ; nolo Infernum adire, & hoc vis me nolle; timeo purgantes flammas, faſtidio mundum, te videndi deſiderio langueſco; in Paradiſum me admitte!

S. Laurentius Iuſtinianus in hunc ferè modum Seruatori ſuo in Cruce poſito loquebatur: Magiſter bone! memento mei, non ſolùm, vt obtineam regnum tuum; ſed vt compatiar doloribus tuis, ac in partem veniam dolorũ tuorum: noui enim probè, ſi particeps tuorum tormentorum ſim futurus,

a *Luc.* 23.

turus, me Regni tui quoque consortem fore. O vt Sanctum hunc Antistitem imitatus nonnunquam ita diceres! O Iesv amor amoris mei! fiducia mea! & bonum vnicum, quod suspiro! ecquando mihi volupe erit, aliquantum, imò multum tui amore perpeti?

S. Franciscus maximo ardore precabatur: *Absorbeat, ô bone IESV! mentem meam ignita ac melliflua vis amoris tui; vt amore amoris tui moriar: qui amore amoris mei dignatus es mori.* Nullus tibi dies elabatur, quin his, aut breuioribus etiam verbis exclames: O Iesv vita vitæ meæ! hoc mihi seriò in votis est, cùm dico, tui amore mori me velle.

S. Ignatius Societatis nostræ Patriarcha, in piâ breuíque suâ ad Christum Crucifixum oratione, quæ plures in se continet, nobis exemplaris loco est; sine vllis verborum lenocinijs, alijsque verbis, quàm quæ necessitas & animus dictat, Crucifixo loquendum esse. Operæ pretium est, eam hîc apponi; cùm digna sit, quam memoriâ

teneas,

teneas, ac millies milliésque in vitâ repetas. Quando igitur Crucifixi imagini præsens erat, ita orabat:

Anima CHRISTI sanctifica me,
Corpus CHRISTI salua me,
Sanguis CHRISTI inebria me,
Aqua lateris CHRISTI laua me,
Passio CHRISTI conforta me,
O bone IESV! exaudi me,
Intra tua vulnera absconde me,
Ne permittas me separari à te,
Ab hoste maligno defende me,
In horâ mortis meæ voca me,
Et jube me venire ad te,
Vt cum Sanctis tuis laudem te
In sæcula sæculorum. Amen.

Ex eo, quod modò dixi, facilè sententiam feres, quâ breuitate, amore, nouitate ac modo sit vtendum, quibus interdum Christum, vt præclaram pietatis nostræ illecebram, compellemus: Dei Filius animum potiùs, quàm quidlibet aliud spectat; ac prout ille bonus ac sincerus est, tantùm postulatis fauet ac tribuit. Vir pius è Societate nostra,

ſtra, *a* quoties Sacerdotum habitu ſe ad peragendam in conſpectu Crucifixi rem diuinam induebat, atque illa verba, quæ dici inter aſſumendam ſupremã veſtem, ſeu Caſulam, conſueuerunt, pronuntiaſſet: *Domine, qui dixiſti: jugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue; fac vt iſtud portare ſic valeam, quòd conſequar tuam gratiam:* non nimis leue eſt, aiebat, non nimis, Domine! ſentio planè ſatis difficile ac moleſtum; ſed gratiâ tuâ fretus ad finem vſque durabo. Exiſtimo equidem, hæc paucula verba ab amanti animo in dilectiſſimum Seruatorem profecta, præ aliâ prolixâ precatione illi arriſiſſe. S. Hedwigis Poloniæ Princeps, ſolitudini ſtudióque orandi vnicè addicta in Monialium monaſterium ſeceſſit; vbi per otium precibus ſe dabat: cúmque Religioſæ Virgines in Odeo cantum peregiſſent, illa plerumque iſthic remanſit, pluréſque inibi horas inſumpſit. Interim ſanctimonialis quædam iunior, quæ diui-

G nare

a *P. Bernardus Colnago.* 1628.

nare non satis potuit, quæ res illam posset tantopere detinere, die quodam finito cantu occultè illic delituit, vt inde actiones, motúsque omnes Principis exploraret: & sanè materiam inuenit, suam curiositatem pascendi: vidit enim S. Hedwigem omnia subsellia obire, in quibus Moniales canebant, ac postea omnia vestigia osculari, quæ illæ suis pedibus reliquissent; postremò coram Christi è Cruce pendentis imagine prostratam, simplicibus & affectu plenis verbis ita precatam: Amantissime IESV! obsecro te, tam pijs, quotquot hîc degunt, mentibus perseuerandi gratiam præsta; sponsæ tuæ & fideles famulæ sunt. Tum Monialis illa, quæ ad omnia erat intenta, animaduertit, imaginem Crucifixi moueri, ac dextro brachio à Cruce exsoluto sanctæ Principi bene precari, claráque voce ita illi loqui: Filia; exauditæ sunt preces tuæ. O quantum prodest, cum amore ac fiduciâ IESVM in Cruce compellare, & res ad salutem vtiles ab eo postulare!

Age!

Age! satis in hanc rem dictum est; Opto tamen, vt quæ hucusque sunt allata etiam intelligas in mæroribus, rebus aduersis, molestijs, morbis, & ærumnis nostris vsurpari posse: hæc Christo Crucifixo in Oratorio nostro, aut alio loco explicanda sunt; nunquam queri de aduersis, quæ nobis accidunt, de contumeliâ, quâ proscindimur, de quotidianis incommodis apud alium nos oportet, quàm apud Filium Dei, præsertim in Cruce fixũ, cui fidenter nostras querimonias aperiamus. Hæc non eò dixerim, velut non liceat eiusmodi leuiores animi ægritudines conscientię moderatori, aut superiori, alteriúe prudenti fidóque amico detegere: sed denuo affirmo, esse certas quasdam molestias & offensas quas amantissimo Magistro & amico vnicè dilecto, IESV insinuasse sit satis. Hoc reperio à pluribus sanctis factitatum, quos inter S. Petrus Martyr ex Ordine S. Dominici eximius fuit; is enim ignominiosè habitus, ac quodam Ordinis

ſui domicilio eiectus, apud mortalium neminem ſuum caſum deplorauit, niſi quòd poſt duos demum annos ab illâ ſibi aſpersâ labe, Chriſto, magno animi ſenſu, ac diuinæ voluntatis approbatione, explicaret. Hiſtoria eſt admodum grata, vt & reſponſum, quod illi Crucifixi imago reddidit: ſed hoc loco prętereo, quòd cogitem rem hanc alibi afferre. Verùm hinc ego pedem moueam, priuſquam tibi exponam, quod B. Thomæ Villanouano, Valentiæ in Hiſpaniâ Archiepiſcopo, ex Ordine S. Auguſtini accidit? quæcunque res illum affligeret, eius aſylum Chriſtus Crucifixus erat, aut vt inde remedium ac ſolatium peteret, aut vt ſua penès eum lamenta deponeret, amantérque expoſtularet, cur ſeruum adeò fidelem pateretur tam malè haberi. Fortaſſe, quòd DEI Filius nunquam eum fuiſſet reſponſo dignatus, crediđiſſes, hunc agendi modum ipſi diſplicuiſſe. præſertim quia identidem alijs ac alijs moleſtijs vexabatur; at prorſus

ſus contrarium euenit. Quippe cùm anno 1555. feſto Purificationis B. V. die ante Crucifixi iconem de more precaretur, ac magno candore illum compellaret, O IESV, inquiens, Domine & Gubernator mi! niſi eſſes DEVS meus, arguerem te culpæ reum, quòd toleres, tantopere me à meis ouibus exerceri: ah! ab eo die, quo fui Præſul inauguratus, nulla mihi paulò lætior hora illuxit: & ſi conqueri mihi liceret, ſi te non amarem, in voces erumperem, bilem tibi moturas: expedit quidem, vt, quod vis, ego quoque velim; ſed, auſim & ego te monere? tu quoque poſſes aliquantò mitiùs me habere. Eo ipſo tempore imago Crucifixi os diduxit, eíque locuta, macte fili! inquit, ad me venies præmia moleſtiarum tuarum accepturus eo die, qui Matris meæ Natiuitati ſacer eſt: atque ita euenit. Huic miraculo aliud acceſſit; nam illa Chriſti pendentis imago ſemper deinceps ore diducto viſa eſt, etſi antehac compreſſo fuiſſet,

dentésque apparebant tam elaborati, vt peritissimi quique artifices ac sculptores admirati, negarent similes à quoquam effingi posse.

Tali cum amore ac ratione, quisquis Crucifixo deuotus, eiúsq; honoris studiosus est, affectus nihil vnquam paulò maioris momenti agendum suscipiat, quin eum consulat, velut modestè ac cum fiduciâ eius sententiam, placitum, & benedictionem postulaturus, nihílque abs eius arbitrio aggressurus: quandoquidem Magister noster est, cupimúsque, quidquid nos attingit, penitùs ab eius voluntate ac sapienti administratione pendere. Iudica nunc, an fieri aliquid meliùs posset, & an nō Christianos omnes deceret eius vsum sibi conciliare, ob rem imprimis memorabilem, quam scriptor Historiæ & Annalium Ordinis S. Francisci tradidit. a Viginti quinque circiter annis ab eius Religionis incunabulis Doctor Parisiensis in eâ vrbe huic se Ordini adiun-

a *Tom. 1. ad annum 1232.*

adiunxit: interea cùm mater post aliquantum temporis à paupertate premi se videret, cognati & amici vltra modum ei instabant, vt in animum induceret, Religioni valedicere, ac matris inopiæ succurrere; ad hoc ipsi adeò Religiosi eum vrgebant: ac tam importunè ex omni parte petebatur, vt inde commotus in eam sententiam venerit, pedem se relaturum. Porrò obseruandum est, eum nihil aggredi, aut exequi grauius consuêsse, quin priùs eius potestatem ac benedictionem à Christo Crucifixo flagitaret: tunc quoque solenne suum tenuit: jámque humi genibus nixus eadem petebat, recénsque animi decretum Crucifixo exponebat; & ecce vocem audit minimè exspectatam: Christus enim pauca hæc illi verba reposuit, quæ facilè sistere fugiturum possent, ac ille intelligeret, postulati se repulsam ferre: *Fili! ego te chariùs nutriui, quàm mater tua; quare non me deserere debes, propter matrem tuam.* Hagiophile, quorsum censes

hunc hominem, absque hac pietatis exercitatione fuisset, præcipitandum? sed quid tecum fiet, nisi tecum statuas, te modo illo, ac loco, quem tibi notauimus, facultatem ac benedictionem velle petitum ire?

EXERCITIVM VII.

Pro die Martis I. hebd. Quadrag.

IESVM in Cruce precari, Crucifixum manibus tenendo, exemplo B. Magdalenæ de Pazzis.

HAGIOPHILE! quàm præclarus in IESV Christi amante is gestus est, si Crucifixum brachijs aut manibus complexus hominum, Angelorum, ac DEI amorem ac admirationem in se prouocet, qui tam grato spectaculo æquè, quàm quouis alio, delectantur! Nonnunquam videre est in vtroque sexu homines magni nominis eo habitu indutos, qui hunc actum deceat, nudis pedibus in Sodalitatum, in

in quibus ſuum nomen profitentur, ſupplicationibus Chriſti Crucifixi ſimulacrum præferre. O quàm res eximia eſt, optimíque exempli plena! Porrò quid poteſt eſſe tam pium, quàm B. Petri Luxenburgenſis inceſſus? Tunc cùm ſolennis ſupplicatio Pariſijs fuiſſet à Canonicis B. V. inſtituta, is qui geſtare Crucifixi imaginem debuit, ad ſubterfugiendum hunc laborem ſe ſubduxit, ratus probroſum ſibi id, ac indignum ſuâ conditione fore: eius ſuperbi Thraſonis perſonam occupaturus, mox B. Petrus ille, qui paulò antè ijs Canonicis accenſus eſt, adfuit, nullâ ſummæ nobilitatis habitâ ratione: neque refugit, infimum officium in Dei domo adire, probè gnarus, nihil poſſe ſibi magìs glorioſum accidere, quàm ſi delicias ſuas, & amabile noſtrę ſalutis vexillum manibus ſuis vniuerſæ ciuitatis Pariſienſis oculis præferret: quod ſpectaculum cunctis intuentibus ingentem delectationem attulit, humilitatem, decentiam, ſanctitatem, rarám-

rámque pietatem in eo admirantibus, qui ſacroſanctum Labarum triumphantis Seruatoris noſtri circumferebat.

Metuíſne, Hagiophile, ne ad paria te exempla, & ſupplicationẽ inuitem, vbi debeas Crucifixum manu ſuſtinere? non id ago: quòd ſi etiam hoc fuiſſem conatus, faceſſere me juberes: adhæc non ignoras, me percupere, vt paulò tenerioris pietatis exercitia non alium teſtem, quàm DEVM & Angelos habeant; Hoc à te in iſtum diem, aut alios, imò ſæpius interdiu ob conſolationem, inde tibi oborituram, fieri poſtulo, vt Crucifixum manu tenendo, aut genu nixus, aut erecto corpore, aut modeſtè ſedens, aut piè aliquoties conclaue obiens, Deo & Angelis priuatim ſpectaculum præbeas: at leges tibi præſcribere, quoties id, quod manu tenes, oſculari, quo verborum melle Chriſtum in Cruce pendulum compellare debeas, meum non eſt: item te admonere vt lacrimis omnes habe-

nas laxes, mentémque in teneros affe-ctus, sancta proposita alijs deinceps moribus viuendi, ac doloris sensus à pœnitudine ob Dei tam boni offensam conceptos, effundas, absit, vt hoc in me recipiam; perspecta tibi antè mea mens est: docere te, num diu in hoc situ sit persistendum, & num omnia tunc sint effundenda, quæ amor tibi suggeret, quáue formulâ sit vtendum, ingratum id tibi foret; dulcis tibi, nimiúmque cordi tua libertas est.

Hoc vnum assero, qui modò eiusmodi sancto exercitio delectatur, eiusque aliquem sibi vsum comparat, vehementer in horâ mortis Crucifixi aspectu recreatum iri, cùm ei exhibebitur, vt ita ad bene moriendum animetur; neque facturum, quod stultus ille aurifer fecit; qui eum, à quo sibi in supremo morbo aurea Crucifixi imago porrigebatur, vt Dei memor eius misericordiam imploraret, rogabat, quanti vnciam venderet, animo ac cogitatione illius in rem nullam nisi auri

argentíque, qnod totâ vitâ manibus terebat, pretium intento: & quod omnium miserrimum fuit, nullæ potuêre ab ipso aliæ voces extundi. Illi verò, qui per omnem vitam pietatis ergò Crucifixum tractare, ac in manibus habere consueuerunt, non ita vitam claudũt; sed eo prorsus animi sensu, qualẽ in suis Oratorijs ac pietatis feruore senserunt. Maria Stuarda Galliarum ac Scotiæ Regina ipso mortis articulo, etsi in tristi theatro pro Dei causâ posita, Crucifixum manibus stringens, memórque, quid ipsa toties illi loqui esset solita, his ipsum verbis allocuta est, quæ extrema precantis fuêre: Quemadmodum, dulcissime Domine IESV CHRISTE! tua brachia sunt in Cruce distenta, ita me quoque in extensa brachia immensæ misericordiæ tuæ recipe: adhæc identidem Christum Crucifixum, quem semper manibus tenebat, exosculata est: vnde è Caluini scholâ astantium aliquis indignatus, eum honorem Cruci ab ipsâ exhiberi, affirma-

affirmabat, cultum illius animo duntaxat circumferendum; at illa ſtatim, & animo & manibus hoc agendum, reſpondit.

Si lubet addam & hoc: B. Magdalena de Pazzis ſæpe ſæpius Chriſti Crucifixi imagine manibus inſertâ precabatur; quin imò nonnunquam Monaſterium percurrebat in crebra amoris ſuſpiria erumpens, quibus ſuarum Monialium mentes amore IESV accendebat: ac ſæpe, ô amor! exclamabat, ô amor! ô amor! nunquam deſinam te amorem, ſpem, & omnia noſtra vocitare: deinde ad Sorores conuerſa, quid? aiebat, ſcitis, dilectæ Sorores, IESVM noſtrum nihil niſi merum amorem eſſe? inter dicendum verò Crucifixum, quem manu ferebat, eis oſtendit: mox ad Chriſtum illic pendentem verſâ oratione, Domine mi, dicebat, tam contentioſam ac ſonoram mihi vocem indulge, vt quando te amorem nomino, ab Oriente in Occidentem, & omnes mundi plagas, ipſúmque adeò infer-

num penetret; quò te cognoſcere omnes, amare, tibi gratias referre, vt vero amori, poſſint: quas non blanditias Christo Crucifixo adhibuit? hunc brachijs adſtringebat, hunc amplectebatur, hunc pectori arctiſſimè apprimebat; ſudorem quoque & ſanguinem eius velo ſuo, aut ſtrophiolo abſterſit, ſed euentu tam mirabili, vt poſtea reperta ſint linteamina illa penitùs madefacta, non aliter quàm ſi reuerà id officij genus Seruatori noſtro in Cruce mortuo præſtitiſſet. DEVS meus! cur non & me ſancto tuo amore imbuis, vt tam ſanctæ Virginis exempla ſequar? hæc tui amantium facinora mihi pectus non emollient? Aiunt, Annam Bellouacenſem Vrſulinam inter ſummas delicias habuiſſe, ſi ſæpe Crucifixum in manus ſumeret: quem quotidie in primo religioſæ vitæ ardore ſuo velo ad nitorem tergebat. Aliunde mihi de viro religioſo ac pio narratum eſt, eum ita continuò Crucifixum manu tractare, tenendo, oſculando, blandiendo,

diendo, vt ad finem anni, quòd in tam perpetuo vsu eum vtrunque sordidâsset, necesse esset, alio vti, aut certè geminum ad vices permutandas procurare. Alium noui, cui magnam consolationem affert, Crucifixum sustinere eo prorsus situ, quo tenere illum moriturus postulat; ac perbeatos illos existimat, qui in feretro, quo efferuntur, locati, hoc felix ac triumphale salutis suæ signum in manu habent. O vt pari simus affectu præditi, vt in partem quoque consolationum & insignium præmiorum, quæ sunt illis destinata, cum ipsis olim veniamus!



EXER-

EXERCITIVM VIII.

Pro die Mercurij I. hebd. Quadrag.

In transitu, aut aspectu Crucifixi IESVM precari vt per agonia sua merita velit nobis in horâ mortis adesse, exemplo pij ac Religiosi viri ex Ordine Cistertiensium.

MICHAELE Comneno Orientis Imperatore à Turcis deuicto, barbari illi vniuersas vrbes depopulati, igne ferróque obuia quæque deuastârunt, exceptis aliquot Christianorum familijs, quas in vincula & seruitutem abducendos reseruabant. Ex illo numero ætate, genere, ac virtute florentes binæ Virgines, eæque Sorores, erant; in quarum raris dotibus ea non postrema fuit, quòd se mutuò arctissimo amore complecterentur: nunquam orta inter illas fuit leuissima contentio; nulli vnquam verborum aculei,

aculei, nihil æmulationis, aut inuidiæ, aut morositatis illis excidebat: omnia erant mutui amoris plena. Sed ingens calamitas miseras Sorores afflixit: & vt clariùs dicamus, hoc amantium Sororum par diuersos heros nactum est; vt necesse fuerit, eas à se mutuò auelli: tunc demum amor extremum lusum dedit, videréque fuit reciproci amoris, quo vtriusque animi ardebant, miraculum. Quid? Soror charissima! natu maior dicebat, ergo te deseram? ergo à dulcissimâ Sorore auellar? & quod est scelus meum, supreme Iudex Deus! quod tam seuerè in me plectis? Tum natu minor: quid? amantissima Soror! quid hoc est? vt ego reliquum vitæ sine te transigam? sine te, quam meipsâ chariorem habeo, à cuius amabili consuetudine mea vita & Spiritus pependit? ah! non sum mei potens; quin memetipsam vltroneâ morte à miserâ ac solitariâ seruitute expedio! At egóne desperem? absit, vt ego æternum Numen offendam, ac vnâ DEVM meum, ani-

mam & Sororem meam amittam! num verò Sororem deseram? & quî possim sine illâ viuere? vale Soror mea? vixi, si te perdidi. Altera Soror resumptâ voce ac spiritu, ô delicium meum! inquit, fuit olim, cùm ad seruitutis nomen exhorrui; at modò eam in delicijs & felicitatis parte pono; dummodo sine te mihi non contingat: summum mihi supplicium, & crudelissima captiuitas erit, te caruisse. Consulamus in medium, rationémque excogitemus, qua seruire simul vni hero possimus: sit ille sanè crudelissimus orbis tyrannus, & aliqua ex orco furia, nihil formido; satis mihi libertatis ac solatij erit, tecum viuere. Tu quidem hæc aptè, respondit minor, sed poteróne tolerare barbariem illam, quâ tractaberis? ah! jam antè mortuam me video, si quæuis minima tibi molestia inferatur: verùm idipsum satiùs est, quàm tui jacturam perferre; hoc saltem solatij morienti supererit, in tuis me oculis, ac brachijs mori. Cui maior, mitte quæso hos me-

tus:

tus: ibo nunc barbarorum animos exploratura; fortaſſis ad clementiam lacrimis meis flectentur: pedibus eorum aduoluta, hoc vnum ab illis beneficiũ ſupplex poſtulabo, ne nos diuellant; de cætero tyrannide aduerſum nos vtantur, quâ volēt: tu interim vſu diſces meas calamitates tolerare; ac tum vnà has omnes miſerias IESV Seruatoris noſtri ac Sponſi amore perferemus. Si quis vnus vtramque volet ſeruituti addicere, disertè illi pollicebimur, vtilem illi magìs vtriuſq; operam fore: poterit ipſe facilè, factâ permutatione, geminas nanciſci, ſi in herum incidat, cui perinde erit, quæcunqne ipſi puella ſeruiat. Ad hæc minor; ſapienter hæc tu quidem: at num poteris hominem ſuâ linguâ compellare? ad noſtram enim ſurdus & mutus eſt: quànto expeditius eſt, nos citò diſiungi, ac vitam hanc paulò pòſt finire, in cælo nos reuiſuras! ego quidem languore contabeſcam, ac intra triduum funus ero: idem judico, natu maior reſpondit, jam-

jámque ſentio me animo deficere: ſequamur, quocunque nos heri rapient: dummodo nobis mors non lenta contingat, ac in cælo mutuo frui aſpectu non multò poſt queamus, bene nobiſcum agetur, imò meliùs; illic enim ſemel junctæ nunquam diſiungemur. Atque hæc amantium ſororum pia contentio fuit; cùm interim ſingulæ ſunt viſæ, ſuos heros ſequi; cùmque nullus eis plura loquendi locus, ſed amplexandi tantùm ſpatium ſupereſſet; amor, qui vtriuſque corda conſtrinxit, illarum brachia diduxit, quibus in amplexum coëuntibus extremum ſibi vale dicerent; vbi & ſuſpiria & oculi lacrimis pleni præcipuas in illâ cataſtrophe partes egerunt. Quâ in diſceſſione res imprimis memoranda mihi supereſt: igitur ſe mutuò amplectuntur, & in ipſo amplexu, audebóne triſtem hiſtoriam percenſere? & in ipſo amplexu, ſed num fides habebitur narranti? quis vnquam dixiſſet, tantum juris amorem atque triſtitiam in noſtra

ſtra corpora obtinere? & in ipſo amplexu, at vos crudeliſſimi tyranni! poteſtíſne lacrimis imperare, neque ad triſte hoc ſpectaculum vos animus deficiet? ſed ſemel perrumpendum eſt: in ipſo amplexu ob ægrimoniæ doloríſque magnitudinem, quâ ob illam auulſionem conficiebantur, eodem loco ac momento vtraque ſimul exanimis concidit. O amantium ſororum par nobile! quarum amabilis pugna meretur inter Annales æternitatis referri. O geminum amoris miraculum! ô vt veſtro exemplo mortales, caſto fidóq; amore præditi diſcant, nunquam ſe mutuò, aut datam ſemel fidem deſerere! ô admirandæ fidelitatis ſorores! vt æternum in cælo ſancti laudandíque amoris fructum percipere, vobis conceſſum ſit!

Hagiophile, probéne duarum ſororum, imminente diſceſſu, triſtitiam & angores obſeruâſti? Atqui ſcias velim, hæc omnia eò à me fuiſſe allata, vt te docerem, paulò profundiùs dolores

res, tormenta, & afflictiones, quas IE-SVS moriturus in Crucis arbore sustinuit, tecum expendere: erat is tunc in eo articulo, quo eius SS. Anima debebat à corpore separari: hæ binæ substantiæ ceu geminæ sorores erant; spatium triginta trium annorum sine contentione, sine offensâ, sine rebellione, incredibili amore, Diuinitati Verbi increati simul junctæ vnà exigebant: quod vni gratum erat, id alteri quoq; placebat; quidquid SS. Animæ visum fuit, hoc pretiosæ quoque Carni ratum erat: & hic reciprocus amor eò grandior fuit, quòd hæ essent geminæ ac præstantissimæ Orbis vniuersi pulchritudines. Porrò oportebat illas disiungi, oportebat, inquam; ita enim Pater æternus decreuit: oportebat; ita enim IESV fixum erat, nostrâ causâ mortem oppetere, id quod fieri nisi in duarum sororum diuortio non poterat: oportebat; ita enim Iudæi furore pleni, omnésque illius hostes in eius mortem pruriebant; jam venditus à pro-

proditore Iudâ, jam viginti quatuor horas dirissimis omnis generis supplicijs excruciatus erat: quî posset igitur fixus in Cruce omni profuso sanguine vitam tueri? hinc cùm supremum à se discedendi momentum instaret, tunc pars vtraque dolores, mærores, acerbitates, ac horrores incredibiles persensit. Et poteróne à te auelli? anima mea! sacrosancta Caro aiebat, anima mea! quæ es anima vitæ meæ? anima mea! quæ es anima vitæ cuiusdam diuinæ? vix inducor, vt te deseram: quid! patiárne dici, me, quæ tot annis cum illâ diuinam vitam exegi, modò formâ cadaueris deformari? & qualis hæc permutatio? animabas formâ immortali, quæ exemplar erat omnium venustatum, quæ DEVS non essent: & jam post tantam felicitatem ac honorem, formam mortalem ac perituram, sociam vitæ omnis ac sensûs expertem, penitùs deturpatam admittam? O DEVS cordis mei! quàm inaudita hæc permutatio est! Vicissim SS. Anima Fi-

lij DEI pro suâ parte; ergo te desero, aiebat, pars mei tam chara, tam fidā? te, inquam, cum quâ mihi viuere volupe erat? post amorem illum, quo in DEVM ferebar, cui æquè fui ac tibi coniuncta, nihil ita vt te amaui. O DEVS votorum meorum! an diu erimus à nobis diuulsæ? Talis lucta amoris inter gloriosam animam, & adorandam carnem Seruatoris nostri fuit; quæ pugna permagna, ac dolore plena erat; quandoquidem IESVS vnicè suam vitam diligeret, quæ in coniunctione & coagmentatione admirandarum partium istarum consistebat: & vt rem quamlibet pro suo pretio ac merito æstimabat; hinc in se post Diuinitatem nihil ita, vt vitam suam, dilexit, quòd ea vita esset DEI, carne & humanâ naturâ prædití. Vnde facilè conijci potest, quàm DEI Filio formidolosum fuerit, vitâ exui: si enim sola vnius è nostris animæ à corpore discessio, luctuosa ac dolore digna, atq; sufficiens tristandi argumentum habetur, vt facilè

cilè illud è morientium, ac eorum qui eos circumstant, gestu ac vultu colligimus, longè potiori jure Corporis ac animæ Iesv Christi Verbo per vnionem hypostaticam junctorum, quæ in sacro gloriosæ Virginis vtero per S. Spiritûs obumbrationem coaluêre, dissolutio centies millies erit acerbior. Certè sola Corporis ac animæ Filij Dei separatio, etsi non nisi quadraginta horis duratura esset (neque diuturnior fuit) sola, inquam, illa separatio tantilli temporis maioris tristitiæ materies fuit, quàm alterius cuiusque animæ è corpore migratio, etsi illa totâ æternitate nunquam esset ad corpus reditura. Plus dicam, solum videlicet animæ Christi à sacrosancta carne discessum, licet ad quadraginta solummodò horas protensum, maiorem jacturam, atque idcirco sine comparatione digniorem mœrore fuisse, quàm mortes & emigrationes omnium animarum, quæ vnquam fuêre, aut futuræ sunt; quamuis illud diuortium æter-

num foret: ſola quippe IESV vita, quòd DEVS eſſet & homo, erat infinities maioris meriti ac pretij, quàm mortalium ſimul omnium vitæ ſint.

Hæc igitur cauſa triſtitiæ ac acerbitatis fuit, quòd diſſoluendus adeò amabilis nexus, & facienda jactura tam diuinæ vitæ foret, ob quam IESVS ad extremum ita in luctam deſcendit, quæ omnis generis doloribus erat accumulata, corpori ſimul ac animæ infeſtis; quales erant ſpinarum puncturæ, quæ ſacroſanctum eius caput penetrabant, claui, quibus manus ac pedes erant confoſſi, debilitas ac pondus corporis aliquot horas in arbore Crucis dependentis, vulnera flagris inflicta, adſtantium ludibria, interior Diuinitatis hominem ſibi relinquentis diſſimulatio, conſolationis in corpus ab animo deriuandæ ſubtractio, ſummi in voluntate mœrores ob tot iniurias DEO illatas, ob tot hominum interitum, ob exiguum fructum, quem maior eorum pars è tam copioſâ Redemptione

ptione erat relatura. Hæc omnia incredibilem, inauditam summámque in eo pugnam excitabant, ac talem, qualem tibi modò exhibui; vt intelligas, Hagiophile, quid sentiendum tibi deinceps de Christi agone sit, cùm ad obuium Christi Crucifixi conspectum preces perages, ac eum per agonem illum in arbore Crucis susceptum obtestaberis, vt tibi olim morituro opem ferre dignetur.

Hoc est, quod hodie, & posthac nonnunquam, à te fieri cupio. Si igitur Crucifixi effigiem conspicaris, submissâ voce ac mente dic: IESV mi amantissime! in horâ mortis miserere animæ meæ; hoc per agoniam tuam, ac omnes acerbas in eâ luctas Cordis tui te rogo. Vir Religiosus è Cistertiensium familiâ, vt refert Cæsarius, *a* quòd hoc exercitium familiare sibi fecisset, hanc gratiam consecutus est, vt ab obitu suo rectà ad cælum euolaret, nullo Purgatorij igne afflatus: quemadmodum

a *Lib. 8. cap. 13.*

ipſemet totus ſplendore ac pulchritudine cæleſti conſpicuus vni amicorum ſuorum ſignificauit, cui poſt paucos ab eâ felicitate ſibi conceſsâ dies videndum ſe præbuit. Quid ſi & tibi DEVS cupiat eiuſmodi bonitatis ſuæ fructum offerre; modò eius agoniam exemplo illius Religioſi breuibus precatiunculis ac ſuſpirijs venerari conſueſcas?

EXERCITIVM IX.

Pro die Iouis I. hebd. Quadrag.

Coram Chriſto Crucifixo auſcultare, quid IESVS è Cruce nobis loquatur, exemplo S. Gertrudis.

INCREDIBILEM conſolationem affert, in conſpectum Chriſti Crucifixi ſe dare, ibique cordis auribus auſcultare, quibus IESVS ad nos verbis vteretur, ſi loqui nobis vellet. Cuique exploratus mentis ſuæ ſtatus eſt; & hinc optimè omnium poteſt ſtatuere, quibus vocibus DEI Filius eum compel-

pellaret, ac quibus de rebus maximè admoneret. Tuum igitur est, Hagiophile, IESV aures commodare, atque cum Samuele dicere: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* *a* Verùm quid loqui tibi poterit? id scilicet, quod olim S. Gertrudi: quiuis hominum, ait ille, visâ Christi Crucifixi imagine sibi persuadeat, IESVM amanter his verbis intus se alloqui: vides, anima dilecta, quemadmodum hîc sim Cruci affixus, amore tui, prorsum nudus, contemptus, per corpus vniuersum plagis opertus? præter hæc tamen omnia tanto adhuc tui amore flagro, vt, si necesse foret, contingerétque, te aliter salutem consequi non posse; pro te solo paratus essem omnia illa tormenta perferre, quæ pro genere humano vniuerso sustinui.

Fortassis in eundem omnino sensum tibi denuo loquetur, quo olim S. Brigittam compellauit, cui dixit: Ego sum ipsa charitas; quidquid facio, ex amo-

a *1. Reg. cap. 3.*

re facio: etiamnum tanto amore homines depereo, qualem habui, cùm vitam & sanguinem ad eos redimendos profudi: quin si fieri posset, vt toties crudelissimâ morte afficerer, quot in Inferno animæ damnatorum crucientur, vt inde illas eximerem, paratissimus essem; & pro qualibet earum promtissimè iterum supplicijs ac cruciatibus me obijcerem, quæ pro mundo vniuerso quondam toleraui.

Vtique ab hoc diuino ore intelliges, quod pius Raymundus Lullus initio suæ conuersionis percepit, cùm primis desiderijs stultos suos amores pœnitentiâ eluendi ageretur: eo tempore hanc à DEO gratiam consecutus est, vt perpetuò sibi audire vocem Crucifixi videretur, dicentis: Raymunde sequere me: & mox mens eius nouis desiderijs ardebat, è numero seruorum tam clementis Domini censeri.

Et cur non ijs quoque te verbis adoriatur, quibus aliquando B. Angelam de Fulginio detinuit? ipsa de se refert,

sibi,

ſibi, cùm à DEO poſtularet rationem doceri, quâ ei ſe gratioſam redderet, Chriſtum è Cruce pendentem apparuiſſe; & cùm eâ ſpecie ſe mihi, inquit illa, exhibuiſſet, jubebat me oculos in SS. eius vulnera conijcere; quo tempore mihi oſtendit, ſe mei amore omnes eos dolores perpeſſum; atque ea mihi detegendo, adiunxit: quid poteris præſtare, quod meo in te amori reſpondeat? Quo audito Angela tenerè lacrimata, tam calentes lacrimas fundebat, vt genas illi adurerent, ac neceſſe fuerit, eas frigidâ recreare, ad eum flentis ardorem mitigandum.

Si generoſum aliquod facinus pro eius gloriâ ſuſcepiſti; poſſes eum fors audire, tacitè tibi gratias perſoluentem, ac dicentem: Benedictus ſis à Patre meo: ego quoque pro opere tam ſancto tibi gratias ago, promittóque centuplo te remunerandum. Nunquid his propemodũ verbis S. Thomæ fuit locutus: *Bene ſcripſiſti de me Thoma, quam mercedem vis?* cui S. Thomas, *non aliam mercedem*, reſpondit, *quàm teipſum.*

Si nunquam eius mortem considerato Crucifixo deplorâsti, reprehẽsionem jure potes exspectare, tibi seriò exprobrantis: Anima ingrata! & pectus marmoreum! saltem hoc momento vnam lacrimulam profunde, quando vides DEVM tuum in tam tristi & miserabili statu repræsentatum, vndíque suo sanguine fœdè depictum, coronatum spinis, deformatum sputis, manus pedésque clauis perforatum, lanceâ pectus vulneratum, & tam crudeliter tui amore occisum. Crede mihi, Hagiophile, saxo durius ei pectus sit, necesse est, qui auditâ tam justâ hac obiurgatione siccis adhuc oculis persistet. Quorumdam doctorum sententia fuit, Adamum protoplasten tum primò omnium seriò suum peccatum agnouisse ac deplorâsse, cùm Abel Filius eius mortem obijt: tunc enim contemplatus vultum tam elegantem esse mutatum, pallidum, & luridum, oculos extinctos, sanguinem è venis profluere, totum corpus rigidum & immobi-

mobile; ita fuit inde consternatus, vt, cùm secum memoriâ repeteret, eius infortunij causam se ob neglectum Dei imperium fuisse, vbertim lacrimas profunderet. Ah! si inspecto Christi Crucifixi sigillo attentè consideramus, eum, qui est nostris oculis expositus, qui vnum à nobis suspirium poscit, & lacrimarum tantillum postulat, è Cruce pendere, eúmque tam dira supplicia ob nostram improbitatem perpeti, quæ ad violandam Dei legem nos inducit, ac nos ei tormentorum causam esse; non pauculas tantùm lacrimas, sed centenas, post quas etiam sanguis erumpat, profundemus.

Si verò tam capitales eius inimici sumus, vt iterum vitæ sceleratæ noxis, aut supinâ in actionibus nostris tepiditate, eum in crucem agamus; forsan ijsdem nos verbis inuadet, quibus quot annis die Parasceues queritur: *Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristaui te? responde mihi.* An non simili ratione Deus te arguet, quisquis hæc

legis, vbi ad ea, quæ Christus Crucifixus tibi dicturus est, aurem admoueris? an non amanter in hunc modum tecum expostulabit? O ingrate mortalis! nonne vltra omne meritum te beneficijs ornaui? & quidem quoad animi dotes corpus tibi dedi, præstantissimum opus manuum mearum, & mundum in paruum compendium redactum; adhæc animam mei imaginem ac ectypon quoddam, capacem gloriæ meæ: addidi elementa pro domicilio peregrinationis tuæ, cælum verò pro loco commorationis tuæ: Angelos tuæ custodiæ præfeci, jussíque earum curam habere, quæ tuo sunt imperio subiectæ: in nullo horum de te malè sum meritus: cur ergo tam iniquè mecum egisti, ac Cruci affixisti? responde mihi. An idcirco malè tibi à me consultum arguis, quòd annum tam diuersâ temporum ac tempestatum vicissitudine distinxerim! an hyemis inmodica frigora, an nimij æstatis calores ita te offendunt, vt à me sis

alie-

alienus? verùm quod hîc egi, publico vniuersi orbis bono à me factum est: aliter enim terræ germina proferendi vis ac vigor defuisset; nec messis maturari, nec legi fructus in tempore potuissent. An aëris intemperies, grandines, tempestates & tonitrua aduersum me bilem tibi mouerunt? aut fortassis noctis ac diei alternæ vices ac tenebrarum varietas tibi displicuit? aut certè nocturna cæli lampas opinione votóque tuo obscurior est? aut optâsses stellas à me fieri maiores, ac maiori luce illustratas? At in his omnibus quid aliter à me fieri potuit, si consulere toti mundo ordine tam exacto vt auctor naturæ volebam? Ita mihi visum, hunc ordinem cunctis rebus statuendum esse: & sanè sint à me quædam profecta, quæ à tuo ingenio abhorreant; sed quandoquidem tot alijs rebus sum voluptati tuæ obsecutus; num ob imaginarias molestias præpostero tuo capiti obortas fui tot malis afficiendus, tantáque cum ignominiâ & crudelitate

in Crucem agendus? Reſponde mihi. An peſti, quæ ſubinde gliſcit, ſuccenſes? an carniuorarũ beſtiarum im̃anitati, aquarum exundationibus, incendijs, bellis, & eiuſmodi, quæ homines formidant? an ob ea mihi bellum moues! & cur! an non oportuit, conceptæ iræ ac poteſtatis meæ documenta orbi exhibere, vt docerem vos, meam potentiam agnoſcere, ac metu Inferni percellerem, qui malis multò grauioribus redundat? cúmque hæc omnia veſtro bono egerim permiſerímque; num propterea hæc odia promerui, vt innocens corpus in jus & ad pœnam vocaretis, quod fędiùs, quàm purulentum hominis leproſi cadauer lacerâſtis? cur tantâ in me ſæuitie vſi eſtis? reſponde mihi. Dic obſecro, in quo te contriſtaui? an quòd corpus tibi nudum, malis obnoxium, ſubiectum ſenio & morti dederim? hinc ergo me in Cruce nudâſtis, & ad flagella in Prætorio, & hîc ad clauos & ſpinas condemnâſtis? an eo facto in me veſtræ vin-

vindictæ litâstis? Sed facti mei rationes expende: ratione te ac industriâ instruxi, vt tegere corpus ac munire aduersus omnia incommoda posses: neque ea tolerat, nisi qui vult: quòd si nonnunquam secùs eueniat, promerendi in cælo præmij materies illa est: at nempe voluisses in terris æternum viuere? ah! iguoras, quid dicas, neque pro dignitate cælestia bona; quæ tibi destinaui, consideras. Quando igitur tot modis pro tuâ felicitate ac commodo laboraui; quid est, quòd me tot malis ac ærumnis opprimas? responde mihi. An non liberalissimè te gratiæ donis ornaui, vt sunt Sacramenta mea, virtutes supernaturales, diuinæ illustrationes? aut in Regno meo omisi æternam tibi gloriam conciliare? atque ita quot gratię dona, quot ad obtinendam gloriam præsidia tibi subministraui; totidem amoris mei miracula exhibui. Et tu pro summis hisce amoris ac bonitatis meæ prodigijs, non nisi tuâ causâ patratis, hæc opprobria

 mihi

mihi rependis? hos contemptus, iniurias, ſupplicia reddis? hæccine merui? reſponde mihi: & quod ad mali ac triſtitię meæ cumulum accedit, tu me iterum Cruci affigis, id agentibus peccatis tuis, & tam ſegni emendatione vitæ tuæ. *Nónne ſatis per te vulneratus ſum? nunquid pro iniquitate tuâ afflictus ſum? cur addis afflictiónem afflicto? magìs aggrauant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.* a

An tu, Hagiophile, propitio Deo, ex eorum numero non es, qui vulnera & IESV dolores renouant: nihilominus quacunque virtute præſtes, tecum reputa, eum noſtrâ, causâ tantum laboráſſe; vt, quantumcúnque contendas, poſt omnia deprehenſurus ſis, nihil à te factum eſſe, actiones omnes proprij amoris plenas, proprijs commodis, ingratóque animo inquinatas: vt ideò meritò te ſic poſſit è Crucis arbore compellare:

a *S. Bernard.*

O homo

O homo! vide, quæ pro te patior:
Non est dolor, sicut quo crucior.
Ad te clamo, qui pro te morior:
Vide pœnas, quibus afficior,
Vide clauos, quibus confodior:
Cùm sit dolor tantus exterior,
Interior est planctus grauior;
Cùm te tam ingratum experior.

EXERCITIVM X.

Pro die Ven. hebd. I. Quadrag.

Coram Christi Crucifixi imagine, corpore in Crucis modum conformato, precari, exemplo B. Roberti Salentini, Religiosi Cælestini.

HAGIOPHILE! videris mihi aduersum me hoc loco vultum corrugare, admiratione defixus, quòd sustineam, eum tibi corporis situm præscribere, à quo multùm abhorreas, quique corpusculi tui teneritudini minùs conueniat: nimis acerbum & doloris plenum esse, eo habitu-

ſe continere; ac brachia contra murum aut pauimentum in Crucis modum diducere. Verùm in promtu reſponſum erit, rem hanc ingentis meriti eſſe, neque te aliquid facturum, cuius exemplar IESVS non exhibuerit, ſed doloribus longè alijs, ac morâ diuturniori, quàm tu ſis toleraturus. At his tu viciſſim reſponde, quidlibet te nolle, vt in hoc exercitio pietatis à quoquam ſuperueniente deprehendereris: obijcient illi, decere, pro amore IESV id experiri, omniáque audere, quæ illius amantes ſunt aggreſſi: his tu os obtura, & dic, non poſſe te hoc ſitu orare. Quieſce modò, poſtquam tuam ego cauſam egi: ne faxis, quandoquidem tam difficile id tibi eſt: quòd ſi cupido eius tentandi te inuadat, januam cubilis diligenter occlude, ne quiſquam te in hoc geſtu exploret: neque ita multas horas perdura, quemadmodum Seruator noſter. Si tibi tunc orationi vacare moleſtum eſt, Pſalmum L. *Miſerere* vtique memoriâ tenes? dic quanto

to tuo commodo potes: etiam orationem Dominicam calles? itera sexies, si lubet. Nimis tibi parcus videor? dic igitur decies ac quinquies: si verò id tibi molestius subinde accidat; hortare brachia tua, te id IESV amore perferre, téq; paratum esse, duriora eius causâ sustinere. Si verò animus tibi crescit, ad aliquid amplius audendum, Sanctorum exemplis te hîc anima.

B. Magdalena de Pazzis expensis tormentis, quæ Sponsus eius IESVS pro ipsâ toleràsset, vnam manum primò extendit, deinde & alteram, non aliter ac si reuerà Cruci esset clauis affixa: tum in pedes erecta, nullo genu flexo, muro aduerso se applicuit, velut planè esset in crucem acta: eóque habitu diu morabatur, omnes eas voces prolocuta, quas IESVS in Cruce pronuntiauit; ac tandem (quod nolim te imitari) non secus atque si defectum corpus anima destituisset, ceruicem submisit, caput inclinauit, & in pauimentum collapsa est, vt corruentis strepitu excitæ

Si nunquam eius mortem considerato Crucifixo deplorâsti, reprehēsionem jure potes exspectare, tibi seriò exprobrantis: Anima ingrata! & pectus marmoreum! saltem hoc momento vnam lacrimulam profunde, quando vides DEVM tuum in tam tristi & miserabili statu repræsentatum, vndíque suo sanguine fœdè depictum, coronatum spinis, deformatum sputis, manus pedésque clauis perforatum, lanceâ pectus vulneratum, & tam crudeliter tui amore occisum. Crede mihi, Hagiophile, saxo durius ei pectus sit, necesse est, qui auditâ tam justâ hac obiurgatione siccis adhuc oculis persistet. Quorumdam doctorum sententia fuit, Adamum protoplasten tum primò omnium seriò suum peccatum agnouisse ac deplorâsse, cùm Abel Filius eius mortem obijt: tunc enim contemplatus vultum tam elegantem esse mutatum, pallidum, & luridum, oculos extinctos, sanguinem è venis profluere, totum corpus rigidum & im-

mobi-

mobile; ita fuit inde consternatus, vt, cùm secum memoriâ repeteret, eius infortunij causam se ob neglectum Dei imperium fuisse, vbertim lacrimas profunderet. Ah! si inspecto Christi Crucifixi sigillo attentè consideramus, eum, qui est nostris oculis expositus, qui vnum à nobis suspirium poscit, & lacrimarum tantillum postulat, è Cruce pendere, eúmque tam dira supplicia ob nostram improbitatem perpeti, quæ ad violandam DEI legem nos inducit, ac nos ei tormentorum causam esse; non pauculas tantùm lacrimas, sed centenas, post quas etiam sanguis erumpat, profundemus.

Si verò tam capitales eius inimici sumus, vt iterum vitæ sceleratæ noxis, aut supinâ in actionibus nostris tepiditate, eum in crucem agamus; forsan ijsdem nos verbis inuadet, quibus quot annis die Parasceues queritur: *Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristaui te? responde mihi.* An non simili ratione Deus te arguet, quisquis hæc

legis, vbi ad ea, quæ Christus Crucifixus tibi dicturus est, aurem admoueris? an non amanter in hunc modum tecum expostulabit? O ingrate mortalis! nonne vltra omne meritum te beneficijs ornaui? & quidem quoad animi dotes corpus tibi dedi, præstantissimum opus manuum mearum, & mundum in paruum compendium redactum; adhæc animam mei imaginem ac ectypon quoddam, capacem gloriæ meæ: addidi elementa pro domicilio peregrinationis tuæ, cælum verò pro loco commorationis tuæ: Angelos tuæ custodiæ præfeci, jusśique earum curam habere, quæ tuo sunt imperio subiectæ: in nullo horum de te malè sum meritus: cur ergo tam iniquè mecum egisti, ac Cruci affixisti? responde mihi. An idcirco malè tibi à me consultum arguis, quòd annum tam diuersâ temporum ac tempestatum vicissitudine distinxerim! an hyemis immodica frigora, an nimij æstatis calores ita te offendunt, vt à me sis

alienus? verùm quod hîc egi, publico vniuersi orbis bono à me factum est: aliter enim terræ germina proferendi vis ac vigor defuisset; nec messis maturari, nec legi fructus in tempore potuissent. An aëris intemperies, grandines, tempestates & tonitrua aduersum me bilem tibi mouerunt? aut fortassis noctis ac diei alternæ vices ac tenebrarum varietas tibi displicuit? aut certè nocturna cæli lampas opinione votóque tuo obscurior est? aut optâsses stellas à me fieri maiores, ac maiori luce illustratas? At in his omnibus quid aliter à me fieri potuit, si consulere toti mundo ordine tam exacto vt auctor naturæ volebam? Ita mihi visum, hunc ordinem cunctis rebus statuendum esse: & sanè sint à me quædam profecta, quæ à tuo ingenio abhorreant; sed quandoquidem tot alijs rebus sum voluptati tuæ obsecutus; num ob imaginarias molestias præpostero tuo capiti obortas fui tot malis afficiendus, tantáque cum ignominiâ & crudelitate

in Crucem agendus? Reſponde mihi. An peſti, quæ ſubinde gliſcit, ſuccenſes? an carniuorarũ beſtiarum imanitati, aquarum exundationibus, incendijs, bellis, & eiuſmodi, quæ homines formidant? an ob ea mihi bellum moues! & cur! an non oportuit, conceptæ iræ ac poteſtatis meæ documenta orbi exhibere, vt docerem vos, meam potentiam agnoſcere, ac metu Inferni percellerem, qui malis multò grauioribus redundat? cúmque hæc omnia veſtro bono egerim permiſerímque; num propterea hæc odia promerui, vt innocens corpus in jus & ad pænam vocaretis, quod fędiùs, quàm purulentum hominis leproſi cadauer lacerâſtis? cur tantâ in me ſæuitie vſi eſtis? reſponde mihi. Dic obſecro, in quo te contriſtaui? an quòd corpus tibi nudum, malis obnoxium, ſubiectum ſenio & morti dederim? hinc ergo me in Cruce nudâſtis, & ad flagella in Prætorio, & hîc ad clauos & ſpinas condemnâſtis? an eo facto in me veſtræ

vin-

vindictæ litâstis? Sed facti mei rationes expende: ratione te ac industriâ instruxi, vt tegere corpus ac munire aduersus omnia incommoda posses: neque ea tolerat, nisi qui vult: quòd si nonnunquam secùs eueniat, promerendi in cælo præmij materies illa est: at nempe voluisses in terris æternum viuere? ah! iguoras, quid dicas, neque pro dignitate cælestia bona; quæ tibi destinaui, consideras. Quando igitur tot modis pro tuâ felicitate ac commodo laboraui; quid est, quòd me tot malis ac ærumnis opprimas? responde mihi. An non liberalissimè te gratiæ donis ornaui, vt sunt Sacramenta mea, virtutes supernaturales, diuinæ illustrationes? aut in Regno meo omisi æternam tibi gloriam conciliare? atque ita quot gratię dona, quot ad obtinendam gloriam præsidia tibi subministraui; totidem amoris mei miracula exhibui. Et tu pro summis hisce amoris ac bonitatis meæ prodigijs, non nisi tuâ causâ patratis, hæc opprobria

mihi rependis? hos contemptus, iniurias, ſupplicia reddis? hæccine merui? reſponde mihi: & quod ad mali ac triſtitię meæ cumulum accedit, tu me iterum Cruci affigis, id agentibus peccatis tuis, & tam ſegni emendatione vitæ tuæ. *Nónne ſatis per te vulneratus ſum? nunquid pro iniquitate tuâ afflictus ſum? cur addis afflictiónem afflicto? magis aggrauant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.* a

An tu, Hagiophile, propitio Deo, ex eorum numero non es, qui vulnera & IESV dolores renouant: nihilominus quacunque virtute præſtes, tecum reputa, eum noſtrâ causâ tantum laboràſſe; vt, quantumcúnque contendas, poſt omnia deprehenſurus ſis, nihil à te factum eſſe, actiones omnes proprij amoris plenas, proprijs commodis, ingratóque animo inquinatas: vt ideò meritò te ſic poſſit è Crucis arbore compellare:

a *S. Bernard.*

O homo

O homo! vide, quæ pro te patior:
Non est dolor, sicut quo crucior.
Ad te clamo, qui pro te morior:
Vide pœnas, quibus afficior,
Vide clauos, quibus confodior:
Cùm sit dolor tantus exterior,
Interior est planctus grauior;
Cùm te tam ingratum experior.

EXERCITIVM X.

Pro die Ven. hebd. I. Quadrag.

Coram Christi Crucifixi imagine, corpore in Crucis modum conformato, precari, exemplo B. Roberti Salentini, Religiosi Cælestini.

HAGIOPHILE! videris mihi aduersum me hoc loco vultum corrugare, admiratione defixus, quòd sustineam, eum tibi corporis situm præscribere, à quo multùm abhorreas, quique corpusculi tui teneritudini minùs conueniat: nimis acerbum & doloris plenum esse, eo habitu

ſe continere ; ac brachia contra murum aut pauimentum in Crucis modum diducere. Verùm in promtu reſponſum erit, rem hanc ingentis meriti eſſe, neque te aliquid facturum, cuius exemplar IESVS non exhibuerit, ſed doloribus longè alijs, ac morâ diuturniori, quàm tu ſis toleraturus. At his tu viciſſim reſponde, quidlibet te nolle, vt in hoc exercitio pietatis à quoquam ſuperueniente deprehendereris: obijcient illi, decere, pro amore IESV id experiri, omniáque audere, quæ illius amantes ſunt aggreſſi: his tu os obtura, & dic, non poſſe te hoc ſitu orare. Quieſce modò, poſtquam tuam ego cauſam egi: ne faxis, quandoquidem tam difficile id tibi eſt: quòd ſi cupido eius tentandi te inuadat, januam cubilis diligenter occlude, ne quiſquam te in hoc geſtu exploret: neque ita multas horas perdura, quemadmodum Seruator noſter. Si tibi tunc orationi vacare moleſtum eſt, Pſalmum L. *Miſerere* vtique memoriâ tenes? dic quanto

to tuo commodo potes: etiam orationem Dominicam calles? itera sexies, si lubet. Nimis tibi parcus videor? dic igitur decies ac quinquies: si verò id tibi molestius subinde accidat; hortare brachia tua, te id IESV amore perferre, téq; paratum esse, duriora eius causâ sustinere. Si verò animus tibi crescit, ad aliquid amplius audendum, Sanctorum exemplis te hîc anima.

B. Magdalena de Pazzis expensis tormentis, quæ Sponsus eius IESVS pro ipsâ toleràsset, vnam manum primò extendit, deinde & alteram, non aliter ac si reuerà Cruci esset clauis affixa: tum in pedes erecta, nullo genu flexo, muro aduerso se applicuit, velut planè esset in crucem acta: eóque habitu diu morabatur, omnes eas voces prolocuta, quas IESVS in Cruce pronuntiauit; ac tandem (quod nolim te imitari) non secus atque si defectum corpus anima destituisset, ceruicem submisit, caput inclinauit, & in pauimentum collapsa est, vt corruentis strepitu ex-

citæ

citæ Sorores Religiosæ accurrerent, eámque iterum attollerent.

Religiosus vir P. Antonius de Regibus ex Ordine S. Francisci de Paulâ in cubili suo ingentem è ligno Crucem habuit, cui acclinis totum in eâ se extendit, tanquam esset cruci affigendus, jussis sæpius Nouitijs, quorum cura penes ipsum erat, crassis funibus eius pedes ac manus Cruci adstringere, quos in hanc rem paratos habebat, ita quidem, vt se mouere nequiret; atque hoc situ nonnunquam tres quatúorue horas perdurabat, imo dimidium quandoque diem hærebat, donec denuo illum exsoluerent: vbi etsi ossa haberet penitus luxata ac emota ob corporis deorsum prementis pondus; nihilominus tam alacer ac viuidus inde surgebat, veluti in molli lectulo quieuisset.

B. Robertus Salentinus, discipulus S. Petri Cælestini cùm prope Monasterium suum fortè in arborem incidisset, formam Crucis exhibentem, è quâ bina

na

na brachia instar furcæ in altum surgebant; eam in suum cubiculum pertraxit, geminóque fune ad vtrumque cornu inserto, seipsum illis restibus alligauit, totâ corporis mole dependente, vt affixus cruci videretur: neque hoc semel tantùm tentauit, sed quotidie hoc se supplicio tamdiu mactauit, quamdiu decies Orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam recitaret: quas preces ille tam lentè persoluebat, vt antequam eas finiret, alius centenas deproperâsset. Porro dolor ille adeò fuit vehemens ac intensus, vt totus sudore, ac lacrimis etiam per ora manantibus difflueret; quas quidem illi consolationes expresserant: vt eo illicio altero die hesternam Crucem resumeret, quam ceu suas delicias amabat. Paulò antè, quàm moreretur, eandem amplexari voluit, eius jussu allatam; quamuis prægrauis illa & inconditæ molis esset.

Hagiophile, nimis austera pro te isthæc exempla sunt; nihil vltra de ijs dice-

dicemus: vt compendio dicam, imitari hæc potes, ſi crucifixi more brachia diducas; ac quoad modum B. Magdalenam de Pazzis imiteris. Sed noli per omnia eam ſectari: illa enim viginti ſex horis ita perſtitit, velut eſſet cruci affixa; tu longè citiùs abrumpe, paruóque ſpatio conare, præmeditatis calidíſque precibus, aut quas DEVS tibi dictabit, multum promereri.

At ſaltem IESV in Cruce morientis exemplo extenſis brachijs mortem oppetere, conſolationi foret: ita P. Salentinus obijt, vt ſuprà diximus: ita B. Bonaiunta eſt mortuus, ſecundus Seruorum B. V. Generalis. Ita mori expedit; ita hinc emigrare, ſolatio plenum eſt. In viuis nonnunquam eâ corporis compoſitione precari, magni ſatis meriti res eſt, & memoriam refricat eorum, quæ IESVS tolerauit: ſed vitam agere, quæ nihil niſi virtutes & imitationem IESV in Cruce ſpiret, vt, qui nos viderit, nos non ſecus ac Crucifixi effigies intueatur, hoc ſupremæ felicitatis & ſum-

summæ in hac vitâ perfectionis est; quo DEI Filius mirum in modum recreatur, vt eiusmodi amatoribus, & sui Crucifixi imaginibus ingentia præmia in cælo decernat.

B. Stephanus, de quo fit mentio in prato Spirituali, *a* fratrem habuit, cui IESVS in Cruce videndum se, ac vnà fratrem eius similiter Cruci affixum exhibuit: cúmque alterum Christus videret attonitum, quòd fratrem suum Stephanum hac formâ intueretur, eum allocutus, *Ecce!* inquit, *in quâ gloriâ frater tuus est*? ille enim mores suos meis penitùs conformauit, meas virtutes ac dolores in animo imitatus; cùm nihil ita animo, quàm mea supplicia & mortem versaret: superest, vt mihi quoque sit in gloria non dissimilis, quam ei asseruo. Intelligis, Hagiophile, quid velim: si tam difficile tibi est, ei exercitio vacare, quod postremis pagellis adduxi, omitte; quis te cogit? verùm vt prorsus Christo in Cruce pendenti per studium

a Sophronius.

ſtudium virtutis patientiæ, mortificationis, humilitatis, charitatis & aliarum te ſimilem exhibeas, vt, qui te viderit, eius in te imaginem agnoſcat; hoc eſt, quod te facere velim: éſtque hoc maximè inter omnia pietatis exercitia præſtans, quæ Chriſti Crucifixi causâ quiſquam poſſit ſuſcipere.

EXERCITIVM XI.

Pro Sab. I. hebd. Quadrag.

Viſâ Chriſti Crucifixi imagine, à Dei Filio præteritarum noxarum veniam poſtulare, exemplo B. Ioannæ Luſitanæ.

B. JOANNA Luſitaniæ Princeps, quoties obuium Crucifixum cōſpicata eſt, cum ſuſpirijs ac dolore de peccatis aduerſus diuinam Maieſtatem admiſſis, dicebat: *Domine Deus miſerationum, auerte faciem tuam à peccatis meis.* Præclarum ad nos erudiendos exemplum, qui vitam non eâ innocentiâ,

centiâ, quâ hæc ſancta matrona vixit, exegimus: idem poſthac & ſæpe vſurpemus, atque in eiuſmodi occaſione demiſsè à Deo de præteritæ vitæ noxis veniam rogemus. Filius, qui parentem ſuum contumeliosè adeò habuiſſet, vt eius pectus etiam pugione confoderet, etſi patris vulnus foret penitùs curatum, milliéſque ac iterum millies pater execrandi ſceleris veniam filio daret, nihilo ſeciùs, ſi tantillum bonæ mentis ac probæ indolis haberet, per omnem vitam dolore torqueretur, neque parentem ſine rubore ac pœnitudine poſſet intueri. Quid nos, qui multò grauiùs hoc filio aduerſum amantiſſimum Patrem noſtrum deliquimus, ad conſpectum imaginis facere oportet, quando illa nos admonet, nos ſceleribus noſtris illum in Crucem fixiſſe, eúmque noſtri amore in infami ligno tormenta perpeſſum! Hæc cogitatio tam altè cor B. Angelæ de Fulginio penetrabat, vt ad conſpectum cuiuſcunque IESV CHRISTI patientis iconis recorda-

cordata, se suis peccatis suppliciorum illorum causam præbuisse, tota pudesieret, ac interdum tantopere doleret, vt morbum contraheret: vnde ex eius monialibus vna omnes ei imagines Christi Patientis ab oculis subducebat, quò illi eiuscemodi ægrimoniarum occasiones amputaret. Non necesse est, nos ad extrema delabi; suauiorem hîc viam teneamus, & amantissimo Seruatori nostro dicamus: O amabilis Redemptor meus! ignosce, quæso, peccatis præteritæ vitæ meæ! aut: ô DEVS misericordiarum, ne memineris iniquitatum mearum! vltra omnem modum doleo, te fuisse à me offensum, te, inquam, tam bonum Dominum, omni obsequio & amore dignum. Aut: IESV mi dulcissime! obsecro te, ignosce mihi! vellem potiùs illicò mortuum me fuisse, quàm te mortali noxâ offensum: aut more huius Principis: Domine Deus misericordiarum, auerte faciem tuam à peccatis meis; aut exemplo S, Teresiæ, quæ confide-

siderans, quid dilectus eius suâ causâ sustinuisset, séque tam ingratam eius beneficijs esse, iterum iterúmque repetebat: ô amor meus! ô amor meus! nunquam ampliùs, ampliùs nunquam peccabo.

Hi exigui sancti amoris conatus, sæpe ac opportunè iterati, totidem erunt coram Diuinâ Maiestate deprecationes, nouǽque restitutiones iniuriarum, quas ei intulimus, totidem gratiarum & meritorum ingentia incrementa, totidem nostræ salutis fideiussores; cùm fieri vix possit, vt inter tot animi dolentis suspiria, quæ profundimus, non quandoque talia nobis erumpant, qualibus nos oblitterare nostra peccata oportet: totidem erunt remedia, non solùm offensarum jam commissarum, verùm etiam totidem medicinæ & antidota, quæ nos deinceps à lapsu cohibeant: is enim, qui toties Deo profitetur, se maximopere dolere, in eum se peccâsse, qui toties repetit, se illũ toto

corde diligere, longè abest, vt denuo in antiqua mala relabatur, Hagiophile; num hoc exercitium pro te satis est facile? satísne eius emolumenta assequeris? quid jam! metuísne, ne etiamnum tam molestam tibi velim operam, vt præcedenti loco, iniungere?

EXERCITIVM XII.

Pro II. Dominic. Quadrag.

Amare, & venerari quinque Christi Crucifixi plagas, exemplo B. Hermanni, ex Ordine S. Dominici.

HAGIOPHILE, an non & tu velis è pio illorum numero esse, qui peculiari amore in quinque Christi vulnera ferantur? en tibi plures quàm duodecim! neque opus est te in omnibus eorum exempla sequi: noli tamen committere, vt ea prætereas, quæ tibi, hodie præsertim, possunt vsui esse.

B. Hermannus, natione Germanus, Domi-

Dominicanus, qui an. 1245. viuebat, quotidie ad honorem quinque Vulnerum Crucifixi hunc versum recitabat: *Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.* Porrò quoties hæc verba proferebat, genua in terram vsque demisit, adiectâ toties Oratione Dominicâ; precatúsque Deum, sancti amoris ac timoris gratiam sibi concederet, osculum semel terræ infixit. Cui Christus significauit, piam ac sanctam hanc consuetudinem esse: quippe die quodam ei vultu perquam blando se ostendit, & amanter ad sacrorum Vulnerum suorum osculum inuitauit: quod ille summâ animi demissione, ac reuerentiâ, tantóq; fructu fecit, vt nihil eum postmodum recrearet, quàm DEI meminisse, aut eius causâ laborare. *a*

S. Vincentius Ferrariensis eiusdem Ordinis solitus inter studendum Crucifixi imaginem coram se habere, studia

I 2

a *Ex Chron. PP. Dominic. p. 1. l. 1. c. 61.*

dia ſubinde interpolabat, vt adoraret, intueríque Domini ſui vulnera poſſet. S. Margareta Hungariæ Princeps eiuſdem familiæ, etiam cùm adhuc Principis gradum tuebatur, quotidie manè ante Crucifixum precibus intenta, nunquam pranſa eſt, quin priùs eius manibus, pedibus, ac pectori oſculum impreſſiſſet. B. Maria de Incarnatione, Carmelitana, nunquam cubile ſuum ingreſſa eſt, quin ſub ingreſſum magno ſenſu SS. vulnera oſcularetur. S. Hieronymus tunc idem factitabat, cùm importunis laſciuiſque cogitationibus à Dæmone impeteretur. Margareta Arbuſia Antiſtita Monialium Ordinis S. Benedicti in valle gratiæ magnum honorem SS. Chriſti Vulneribus habuit; nihilominus ob animi demiſſionem nullum niſi pedis oſculo contingebat: cúmq; monialis alia, quæ viderat illam curru peregrè vectam in Crucifixi pedibus hærere, hortata eſſet, vt altius oſculum tentaret, me non decet, inquit illa; hoc priuilegium

ſpon-

sponsę solùm permissum est, non mihi.

Ioannes II. cognomine Magnus, Lusitaniæ Rex tantopere has Seruatoris nostri plagas deperibat, vt voto se obstringeret, nihil se negaturum, quidquid eius amore rogaretur: hinc accidit, vt, cùm femina ei ad templum contendenti obuia, per IESV Christi Vulnera illum precaretur, vellet marito suo, jamiam capite plectendo vitę gratiam facere, libenter se eius postulatis obsequi, Rex responderit: qui, inquit, si quid à me grandius petijsses, promtè tibi annuissem. Ob eandem causam, Dominus quidam, inopiam ei pro generis sui conditione questus, magnam ab eo vim æris cum totâ supellectili argenteâ obtinuit. *a*

Carolus Flandriæ Marchio, Martyr & filius S. Canuti Regis, in honorem quinque Vulnerum Seruatoris sui, quotidie quinque pauperes recèns vestiebat, qui per annum mille octingentos viginti quinque efficiunt. *b*

 S. Me-

a *Vascon. Sell. anac. 16.* b *Ex Molano in indiculo Sanctorum Belgij 20. Mart.*

S. Mechtildis Christo quinquies millenas centum triginta quatuor Orationes Dominicas obtulit, quas eius Moniales eisdem SS. plagis persoluerunt. Postmodum DEI Filius extensis brachijs, ac hiantibus vbique Vulneribus ei visus est, ac, filia, inquiebat, cùm essem in Cruce, Vulnerum meorum aspectus ita cor Patris mei occupauit, vt veniam peccatoribus largiretur: & quamuis modò sim in gloriâ, incredibili tamen gaudio perfundor ob eos honores, quos plagis meis deferunt, præsertim verò, si in eum finem quinquies dicant: *Pater noster, &c.* a

Alphonsus I. Lusitaniæ Rex nulli in hoc pietatis genere palmam concedit: atque ad hoc fuit magnopere inuitatus, cùm ei cum Ismaro Maurorum Rege confligendum esset; qui tam metuendum exercitum ducebat, vt crederetur, vni Christiano minimùm centum barbaros opposuisse. Eo die, qui pugnam antecedebat, Seruator ei apparuit

a *Ex lib. 4. gratia Spiritualis. c. 25.*

paruit Cruci affixus, eique pro insignibus quinque sua Vulnera obtulit, victoriam ei ac regnum pollicitus; quorum vtrumque feliciter est consecutus. Quantum ad insignia pertinet, beneficij maximi loco ea acceptauit; eius successores Reges deinceps retinuêre, etsi paululum immutata. Rex tamen Alphonsus profundiùs animo impressit, quàm gẽtilitio scuto fuêre insculpta. a

B. Ioanna in Gallijs, quæ Sanctimoniales Annunciationis titulo insignitas Biturigibus instituit, quinq; ex argento clauos propè cor gestabat: & cur hoc potissimum numero, nisi ad cultum SS. quinque Vulneribus exhibendum? oportet sanè, illam in horum amore excelluisse; nam Dei Mater eam edocuit, sæpius illa quinquies recitatâ Oratione Dominicâ salutare; idque suo exemplo, quæ dilectum Filium suum, olim in viuis adhuc versata eâ ratione salutauerit, ac quinque plagas eo honore affecerit.

a. *Vascon. lib. de rebus Lusit.*

His sanctis mentibus eorum præcipuos adiungamus, qui in corporibus suis plagas similes doloris plenas, etsi nõ eodem omnes modo, circumtulêre, ceu indubitatam notam, hanc partem esse aliquam remunerationis, ob SS. hæc stigmata religiosè culta. S. Franciscus Seraphicus ita ijs erat præditus, vt inde sanguis proflueret. S. Catharina Senensis easdem ferebat, sed diuinâ luce multísque radijs micantes. B. Luca Ferrariensis ea vulnera non nisi Feriâ quauis VI. sentiebat, cæterùm rubentia, velut æstuantem intus sanguinem, profusura. B. Gertrudis simili ferè gratiâ pollebat, septies per diem eodem omnino tempore, quo Sacerdotes de more septem horas diuini officij persoluunt, sic affecta; verùm id non nisi ab Hebdomade Maiore vsque ad Christi in Cælos Ascensionem durabat. S. Lydwina suorum quinque Vulnerum perpetuos dolores perpetiebatur; atque

Ex Bosio lib. 15. c. 3. Tristhemio in Chronico ad annum 1550. Rosuueido, Surio.

que ea per cutem liuidam tralucebãt, quomodocunque illa aſpiceres. Ecce! quantum pro memoriâ inſanium dolorum geſtum ſit, quæ IESVS CHRISTVS in ſæuiſſimorum Vulnerum hiatu ac neruoſis maioremq; ſenſum afferentibus membris tam teneri corporis perferebat! Reſtat, Hagiophile, vt intelligam, quid tu decernas: in mentem reuoca, quidquid antè paulò præmiſi, ac maturè ſtatue, quid ſuſcipere velis. Si me conſulis, quauis VI. Feriâ, dum viuis, pium aliquod opus pro SS. Vulnerum honore perages, gratijs IESV dilecto tuo peractis ob incredibiles dolores, quos exantlauit. Si ex toto B. Hermannum, cuius exemplum primo loco adduxi, ſectareris, ſufficeret. Si è litteratis es, ſtudia tua interrumpe, intuendo ſanguinem è glorioſis foraminibus defluentem; nullam temporis jacturam hoc diuerticulo facies; dixi, S. Vincentium Ferrarienſem iteratis id vicibus actitâſſe. Si caſu te quiſpiam vrgeret, vt pro SS. Vulnerum honore

pium opus aggredereris, noli denegare: cuius exemplum in Ioanne Lusitaniæ Rege vides. Si precibus ante prandium vacas, aut conscientiam examinas, aut aliud agis, antequam ad mensam te conferas; pedes Crucifixi exosculare: quod B. Ioanna solebat. Si assoles cubile aut conclaue ingrediendo, flexis genibus Dei Matris iconem osculari, etiam Crucifixi pedibus osculum impende: hoc agere B. Maria de Incarnatione consueuit. Si hoc genus pietatis reddere tibi familiare cupis, sæpe in actionibus tuis quinarium numerum obserua: quinquies Venerabile Sacramentum visita: quinquies Crucifixo fer osculum: quinquies tibi vim infer, quinquies terram osculare: quinquies suspiria mitte, & his similia: atq; hæc omnia quinq; IESV Vulneribus sacra sunto: Carolus Marchio Flandriæ hoc habuit: & hinc quinarius noster, cuius gratiâ quinque egentibus quotidie succurrebat. Remissionis studio nonnunquam solos pedes dissuauiare, ex-

emplo B. Margaretæ Arbusiæ. Si quid aduersi toleras, tibi ipsi occine, S. Franciscum & S. Lydwinam in suis stigmatibus, quæ gerebant, longè his acerbiora tulisse; IESVM verò grauiora passum, quàm tu, ac omnes ij, qui eius imitari tolerantiam amârunt. Voluisti audire sententiam meam: en habes!

EXERCITIVM XIIII.

Singulari cultu Vulnus lateris IESV CHRISTI prosequi, exemplo S. Elzearij Comitis Ariani.

VIDE-SIS, Hagiophile, sanctum domicilium & ordinarium receptum S. Elzearij: is cùm quodam domo abesset, coniunx eius Dalphina sollicitè cupiebat de illius rebus certior fieri; cui ille hoc tantùm per litteras significauit, se videlicet in SS. IESV CHRISTI latere commorari, in hac amoris plagâ se delitescere. Tibi quoque hunc cupio recessum, hoc sacrum

conclaue, hoc perfugium cordi esse, vt cum IESV colloqui, cum eo te oblectare, ac consequi eius amorem possis: amabilis & liberalissimus Redemptor latus voluit sibi lanceâ aperiri, cùm adhuc in Cruce penderet, vt mortales per externum hoc vulnus edoceret, se cor habere intus penitùs confossum & ipsorum amore saucium, útq; vicissim illos amore sui convulneraret; voluit hoc vulnus omnium postremum, ac post mortem accipere, vt intelligeremus, omnes vitæ illius labores, & omnia in morte supplicia ad amoris plagam spectâsse; atque vt suum eis amorem demonstraret, eorúmque sibi conciliaret: ob has ille rationes delectatur, si in amabile hoc lateris aperti vulnus cogitatione penetremus; è quo S. Mechtildis sacri amoris flammas vidit erumpere: cùm interim IESVS illam ad ingressum ac deambulationem intrò inuitaret, diceretque latum illic spatium esse, ob desideria & amores, quibus nos fuit totâ æternitate cõplexus; longum

longum verò ob immensam diuturnitatem infinitæ suæ ac æternæ bonitatis. *a* Aliàs cùm Dei Filius copiam illi faceret, in quo vellet Vulnere requiescere, ad captandum in acutissimis capitis, quos tolerabat, doloribus solatium, atq; illa quidquam definire nollet, eius diuinæ charitatis arbitrium secutura; Christus ei lateris sui vulnus ostendit, dixítque: huc intra, hîc quiesce; quod illa tantâ suâ consolatione fecit, vt nihil doloris in capite sentiret. *b* Sed alio loco longè certius nobis domicilium & sanctam sedem in Cordis sui plagâ, cùm esset in Cruce, assignauit; *c* vbi cùm manibus, quæ fuerant affixæ, digitum intendere in Sacrosancti Corporis sui locum, quò nostri oculi, cogitationes, ac sanctæ meditationes respicerent, non potuisset; eâ parte caput demisit, velut signum moribundus & mortuus dedisset, eò veniendi,

a *Lib. 1. gratiæ Spiritualis cap. 34.*
b *Ibid. cap. 22. lib. 2.*
c *S. Bern. tract. de Pass. cap. 4.*

niendi, ac in hac ſacrâ dilectionis fornace diuertendi; vt illic inſpiceremus, quid noſtrâ causâ fecerit ac pertulerit; & quantulum eius causâ nos faciamus ac patiamur : qui fructus eſt nobiliſſimus & vberrimus, qui ex diuini huius ac ſancti domicilij poſſeſſione ab IESV Patientis amantibus elici queat, quémque ego tantò pluris facio, quòd eum nobis eximijs quibuſdam beneficijs testatum fecerit, quibus ſæpe alios animauit, reſtituit, atque conſolatus eſt. Eius rei exemplar tibi appono, minimè ſpernendum.

Quidam nobili proſapiâ oriundus, qui pro generis ſui conditione foris voluptatibus ſe permiſit, in familiam S. Franciſci conceſſit, vbi quòd aſperior, quàm capere in liberâ vitâ ſolitus eſt, ei victus & veſtis accideret, ſtatuit deſertâ religione, ad ſuas delicias reuerti : quæ mentis turbæ adeò illum vrgebant, vt ijs excluſis in officio ſe continere nullis meditationibus poſſet. Nihilominus inter eundum, cùm

prate-

præterire illum eâ parte necesse esset, vbi posita Christi Crucifixi imago fuit, in genua pronus, eius opem ac misericordiam implorauit, eiq; se commendauit: ô ingentem Christi bonitatem! eo momento, quo breues has preces finijt, DEVS altâ contemplatione donatum in extasin sustulit; Deique Filius cum SS. Matre suâ ei conspicuus, caussam ab illo discessûs rogauit: cui ille candidè respondit, se lautitijs nuper innutritum, Ordinis rigorem perferre non posse. Eo responso accepto, Seruator noster sacrosanctum lateris Vulnus sanguine manans exhibuit, addidítque: huc brachia & manum admoue, eáque sanguine, qui è latere meo fluit, inunge; ac mox experieris, omnia tibi facilia iucundáque fore, quantumcunque alioqui difficilia videantur. Obsecutus est hortanti Nouitius, tanto suo bono, vt in rebus omnibus asperis ac tentationibus Christi Patientis & amabilis in Corde Vulneris memor, illicò experiretur, omnia in dulcedinem

nem & sanctas delicias verti. Mihi crede, Hagiophile, præter ea, quæ dicenda de cultu Cordi IESV CHRISTI exhibendo, cùm minorum molestiarum dolorúmque sensu tangeris, supersunt; sedem ac diuerticulum tuum in SS. latere seligere memineris: ô quàm dulce illic est commorari!

EXERCITIVM XIV.

Pro die Martis in II. hebd. Quadrag.

Considerare & amore prosequi Titulum, qui Christo attributus, & in eius Cruce fixus fuit, exemplo Alexandri Lusacij.

SERENISSIMA Philippa Geldriæ Princeps, olim Regina Siciliæ ac Lotharingiæ Ducissa, postmodum S. Claræ institutum amplexa, pro omnibus Monialibus, quibuscum degebat, pingi amœnum hortum curauit, in quo nihil desiderares; nec janitores aberant, nec hortulanus, neque hor-

tenses

tenses areolæ: amor IESV hortulani. Spes & Charitas ostiariæ partes agebant, curarum agmen sepem cõstituebat; descriptas ritè areas cogitationes ornabant, sed flammis ac ignibus cinctæ; quales in Olympo monte flores reperiuntur, quos pyrogonos dicas, qui excrescunt, quousque in igne consistunt, mox autem emoriuntur, quando flammæ illi subtrahuntur. Hagiophile, quid de hoc regio ac diuino horto sentis? egregium sanè fuit inuentum tam piâ Principe dignum; & crediderim, IESVM, qui olim S. Mariæ Magdalenæ in horto specie hortulani se ostẽdit, id ei suggessisse. Igitur quando cogitationes, quæ florum locum in hoc horto obtinent, nihil aliud sunt, quàm IESVS ipse, prout in eo variæ virtutes & excellentiæ considerantur; hodie Exercitiũ tibi adducam, quod nihil nisi flores redoleat: is S. Crucis Titulus est, in quâ IESVS pependit, vbi flos, ac floridus totus appellatur: id hac voce, *Nazarenus* significatur. In Cruce &

Cruci-

Crucifixo nihil eſt otioſum & amoris expers: & hinc cupio, vt hanc inſcriptionem colas, honorémque his quatuor vocibus habeas: *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum*: quæ nonnunquam reuerentiæ causâ legas, ac ſæpe magno pietatis & amoris ſenſu pronunties: quòd ſi ſtatueris abſque exemplo nihil ſuſcipere, neque aliâ niſi tritâ viâ incedere; cogis me, vt hoc loco tibi afferam, quod quōdam piæ moniali Carmelitanæ, ac nobili, pióque viro euenit: animum aduerte, ac Titulum Crucis ama.

In vitâ B. Tereſiæ *a* refertur, Catharinam de IESV, quæ antiſtita Veazenſis Monaſterij in Hiſpaniâ obijt, ad vitam ſanctam in hunc modum conuerſam ac pertractam fuiſſe. Ipſa tum puella quatuordecim annorum erat, tota vanitati & puellaribus ludis dedita; cùm fortè conſpectu Crucis, è quâ Chriſtus pendebat, Titulo, ita ſe ſenſit à Deo commotam, ad virtutem ex-

a *Ribera in vita S. Tereſia.*

Digitized by Google

exſtimulari, vt ex eo momento facto alterius vitæ propoſito, DEO Virginitatem vouerit, ſuóſque parentes toto trienio ad faciendam ſibi adeundæ religioſæ vitæ poteſtatem vrſerit: quam tamen illi pertinaciter negârunt, etſi eo ipſo tempore, quo Catharina viſo S. Crucis Titulo reſipuit, extraordinarium clamorem ad tabulatum eius cubiculi audiſſent; quo percepto, vt & ſubitâ morum illius immutatione, poterant intelligere, hoc Dei opus eſſe, aliquid de filiâ ſtatuentis. At eâ repulſa non obſtabat, quò minùs auſterum vitæ genus ageret; inter cuius aſperitates etiam illa fuit, quòd totâ Quadrageſimâ hamatum patris è ferro thoracem nudæ carni induceret: neque raró totas noctes inter preces exegit: aliàs vultum madefactum ſoli exponebat, vt eius ardore faciem deformaret. Tandem pater obijt; quo tamen mortuo illa non niſi poſt ſeptemdecim annos illud religioſæ vitæ inſtitutum capeſſere potuit, cui DEVS illam

destinabat; idque ob continuos ac vehementes morbos, quibus exercebatur: hos ipsa incredibili patientiâ perferebat: hæc recensui, velut fructus vnius tantummodò serij aspectûs in Crucis Titulum defixi.

Alexander Lusacius totâ quoque vitâ Titulum ac Nomen, quo IESVS in Cruce pendens insigniri voluit, eximiè colebat. Cùm adhuc puer esset, huic exercitio se addixit; atq; inter sex petitiones, quibus in eadem ętate Christum compellabat, sexta hæc fuit, vt gratia illi fieret, sępe in ore & semper in corde has duas voces habēdi, *Iesus Nazarenus*,

---

EXERCITIVM XV.

Pro die Merc. II. hebd. Quadrag.

Vespere ante somnum in fronte quatuor vocum in Titulo Crucis primas litteras formare, exemplo cuiusdam viri Religiosi.

ADRICHOMIVS in Theatro Terræ Sanctæ refert, Religiosum Christi

sti SS. Passioni perquam deuotum, quotidie antequam cubitum concederet, digito quatuor Tituli Crucis voces fronti inscripsisse: *IESVS Nazarenus Rex Iudaeorum*: cuius sanctam consuetudinem Deus, qui liberaliter solet remunerari, quidquid eius amore suscipitur, tantopere approbauit, vt, cùm vir ille pius diem obijsset, aureo charactere hęc eadem verba visa sint fronti inscripta. Auctor ille non satis clarè expressit, num initia duntaxat horum vocabulorum, quemadmodum plerùmque solent Crucibus præfigi, exarârit, an verò totas voces apposuerit: qui imitari hoc exemplum volet, vt securiori viâ incedat, modò hunc, modò alterum modum teneat; vterque probabilis est. Sed caue, Hagiophile, ne, dum idem agis, quod ille solebat, tibi persuadeas, tuam frontem simili olim gloriâ illustrandam; neque enim tanto fauore te dignum putes: satis est, per eius rei imitationem placere te Christo velle; num verò in cælo velit

fronti

fronti tuæ aliquando singulare decus conferre, illi relinque, vt & illud, num has quatuor voces velit illic splendido charactere cælari. Ego quidem nullus dubito, quin vir ille Religiosus in alterâ vitâ eo loco sit singulari splendore donandus, & fortassis eum ipsum diuini characteres inibi visendi, ei cōciliabunt: quin existimo, IESV amatores ampliori etiam priuilegio afficiendos, ac eum, qui eximium præ cæteris amorem ei testatum fecerit, eiusmodi gloriæ insignibus ornatum iri.

EXERCITIVM XVI.

Pro die Iouis II. hebd. Quadrag.

Frequenter S. Crucem adorare & colere, exemplo S. Mariæ Magdalenæ.

CREDI non potest, quantum emolumenti afferat, diuersis in locis Crucifixum collocari, siue in domibus id fiat, siue in oppidis, siue in vijs publicis, vt illo aspectu ei honor habea-

habeatur, qui nostri amore in eâ pendere Cruce voluit, imo vt & hostis humani generis, qui nihil ita vt Crucem odit, in fugam detur. Plenæ sunt historiæ probatis eius rei exemplis, quæ nos satis erudiunt, quanti referat, ne parci in defigendis Crucibus simus, sed illas varijs hinc inde locis constituamus: sufficiat hoc loco recensere, quod Maffæus enarrat. a Lusitani quidam in Iaponiam cōmerciorum causâ profecti, in heri cuiusdam domo diuerterant spectris vehementer infestatâ, & idcirco penitùs desertâ, vt appetente nocte nemo auderet eam ædem habitare. Tum ecce tibi! Lusitanis Mercatoribus serui ignoti, & maiori, quàm voluissent numero, adsunt, qui inuitis illis & nequicquam se opponentibus adstabant, ac ituris cubitum, officijs ex altero Orbe petitis, inseruiebant: neq; hîc terror stetit; sed grauior illos metus manebat: mox enim extinctæ lu-

cernæ

a *Lib. 1. epist. 1. S. Xauerij ad Socios in Europâ.*

cernæ fuêre, quæ mercatores illos horrore longè maximo consternabant: interim lemures illi horrendo clamore feralem concentum effecêre : ac quod erat omnium tristissimum, spectra illa Lusitanos adorta crebros ijs ictus inflixerant, qui nullo fructu salutem in gladio & sublato clamore quæsiuerunt. Inter eos vnus maximè omnium gnarus, quid esset facto opus, per januam elapsus, conquisitas tumultuariè Cruces totis ædibus per conclauia & portas defixit : quod vt primum præstitit, illicò domui restituta quies, securitas, & aduersus laruas illas parta victoria : ita tranquillam exinde noctem & somnum habuêre. Altero manè sparsâ eius facti per oppidum famâ, vbi ciues intellexêre, hoc esse certissimum ad expugnandum dæmonem præsidium, ipsi etiam adhibere hæc arma voluêre : neque domus vlla sine Cruce fuit; quam omnibus januis præfigebant.

Verùm his prætermissis, id afferamus,

mus, Hagiophile, quod ad pensum hodiernum pertinet, quod est, vt sis S. Cruci penitùs deuotus, longéque vltra comunem Christianorum sensum. Antè jam te artes Crucifixum venerandi edocui: hîc tibi similiter modum colendi Crucem tradam. Quapropter si Crucem tecum habes, deprome, ac sæpius illam adora, exhibitis ei reuerentiæ signis, aut flexis genibus, aut demisso capite & corpore, aut quouis alio modo: aut certè contemplare illam, & ceu tesseram tuæ redemptionis, aut currum triumphalem IESV CHRISTI, qui est mentium nostrarum amator, & tot victorijs aduersum Regnum tenebrarum clarus, agnosce: ac veluti coràm adesset, piâ illâ fidelium precatione ipsum alloquere: *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos DEVS noster.* Quæ formula prorsus facta est, ad Crucem, quocunque demum loco obuiam, salutandam: nisi potiùs hæc pauca verba malis vsurpare:

O Crux aue spes vnica!
Serua nos omni tempore.

Auge pijs justitiam,
Reisque dona veniam.

Cæterùm audio, quid dicas, te nempe jam antè Crucifixo honorem exhibere, quem antea tantopere tibi commendârim: rectè, hoc volo: quidquid verò hîc addo, id eo fine facio, vt pluribus locis discas Crucem collocare: adhæc alijs hæc loquor, qui faciliùs habere in promptu Crucem, quàm Crucifixum possunt. Quidquid id est, expedit illic Crucem esse, vbi versamur. S. Thomas Aquinas ne Cruce in turri illâ careret, in quam conijci eum stulta mater jussit, vt eum à Religiosâ vitâ deijceret, eam potiùs titione, quo ad fugandam impudicam feminam in perniciem suæ integritatis submissam vsus erat, in aduerso muro descripsit, atque in genua postea procumbens eam adorauit; cùm non aliud ei sacellum esset, quàm Crux hæc carbonibus depicta. S. Barbara, ne sine Cruce in superbo illo ædificio esset, quod ex voluntate parentis sui strui curauit, ipsamet

met in pariete Crucē pollice formauit; quo facto marmor, quod illa attingebat, diuinitus emollitum pollici eius cessit, vt ita pulchram ac prodigiosam inibi Crucem incideret. I nunc & sine Cruce incede, postquam nouisti, quid amicis DEI solenne fuerit; qui vtique intelligunt, quid sibi expediat.

Et ne putes, in eiusmodi tantùm necessitate prospiciendum tibi de Cruce esse; legimus Gonsaluum Syluerium è Societate nostrâ, qui Monomotapæ à Barbaris pro fide occisus est, in omnibus cubiculis, quæ ei pro habitatione obtingebant, si domi nostræ versaretur, ad quatuor parietes Crucē fixisse, vt eam sępius adoraret, dolorum Christi meminisset, ac ex eo aspectu consolationem caperet. Piaculum sanè committerem, si silentio S. Mariam Magdalenam præterirem S. Crucis tam studiosam, quæ triginta ipsis annis, quos in solitudine exegit, gratiorem occupationem non habuit, quàm Crucem intueri. Non abs re erit, te, quæ in

 hanc

hanc rem didici, à me doceri. Vir pius ex Ordine S. Dominici refert, a hoc Pœnitentium exemplar post Christi Ascensionem in desertum, quod est in Prouinciâ, secessisse, illícque dilectum Seruatorem suum rogâsse, vellet sibi significare, cui potissimùm exercitio in illo recessu vacaret, vt omnia maioris apud Patrem cælestem meriti, eíque acceptiora forent. Cui Christus, mox vt in eam speluncam concessit, S. Michaëlem Angelum submisit, elegantem Crucem afferentem, quam ad ostium cauernæ defixit; vt quoniam perpetuò in oculis eam Magdalena haberet, neque posset non intueri, occasionem inde caperet, eam adorandi, ac mysteria, quæ Crux illa menti ac memoriæ obijciebat, animo recolendi. Atque ita euenit: quippe per triginta annos, quibus illic com̃orata est, potissima & ordinaria eius cogitatio non alteri rei, quàm Morti & supplicijs inhærebat, quæ ipsa coràm vidit IESVM in Cruce suffer-

a *Siluester in Rosâ aureâ Serm. de S. Maria Magd.*

ſufferre; quemadmodum ipſamet te-ſtata cuidam ſibi deuoto viro eiuſdem Ordinis erat, vt refert auctor ſuprà citatus.

EXERCITIVM XVII.

Pro die Ven. II. hebd. Quadrag.

Secum Crucem ferre, etiam noctu ſomni tempore, exemplo Venerabilis P. Caſaris Buzai.

AD exactam pietatem neceſſe foret, magno animo & amore ſingula Chriſti Patientis inſtrumenta complecti, ea ſemper in ſinu & inter brachia, non aliter ac myrrhæ faſciculum, circumferre, aut fœdus irreuocabile cum S. Cruce, clauis, lancêa, & alijs IESV Paſſi monumentis paciſci, ea omnia in ſerti & gratæ voluptatis locum arripiendo, idque S. Bernardi exemplo, qui talibus armis inſtructus, eáque pectori antè adſtringens pingi conſueuit. Hoc, inquam, fieri à nobis expe-

direct: nihilominus, cùm fieri difficulter possit, vt debita attentio singulis ac diuersis instrumentis impendatur; existimo B. Guilielmi ex Ordine S. Augustini vestigijs nobis insistendum: is SS. Passioni admodum fuit deuotus, ac in eum finem, vt eam probiùs expenderet, omnem eius apparatum, eâdem prorsus mensurâ ac magnitudine, quâ olim erant, elaboratum in cubili seruabat; quâ in re pro solatio suo curiosè veram formam inquirebat. Porrò cùm nihil ita Seruatorem nostrum, eiúsque cruciatus, quàm Crux repręsentet, hinc eam omnibus alijs præferebat, ac ceu sponsam adamabat: atque vbicunque eam fuisset conspicatus, præter profundam corporis inclinationem, religiosè illam osculabatur, omnésque, qui ei tunc aderant, ad idem hortabatur; qui si semel eam fuissent dissuauiati, meâ causâ, inquiebat, adhuc semel osculum ei date. Idcircò auctor tibi sum, vt similiter pluris facias Crucem, ac præcipuam ei in animo tuo sedem

per-

permittas ; útque quandoquidem libenter ea penes nos habemus, quæ chariora ſunt, ſi quidem ferri ſine incommodo poſſint, ſemper tecum aut è collo, aut in ſacculo, aut Roſario, aut ſimul quolibet horum loco geſtes; quò magis illa tibi ad vſum præſtò ſit, cui ſancti & eius amantes illius honori vacàrunt. Quòd ſi alicui gratum ſit, manu illam tenere, facile tunc erit, eam inter ambulandum aut aliâ occaſione adorare, ſuauiari, ac diu manu retinere, exemplo Annæ de S. Bartholomæo, Carmelitanæ. Anna Bellouacenſis Vrſulina idem in more habuit, ac pluribus horis Crucem è Roſario pendentem manu ſuſtinuit, pręſertim quotieſcunque erat precibus intenta. Si è collo tibi pendet, poteris cordi apprimere; quemadmodum P. Cæſar Buzæus & B. Robertus Salentinus ſolebant, qui diu noctúque ſupra pectus, aut prope cor habuêre : erit illa tunc tali loco, vnde facilè noctu, cùm euigilas, eam corripere, oſculari, blandis verbis al-

loqui, oculísque admouere possis: ita B. Margaretæ, ex Ordine S. Dominici, filiæ Regis Hungariæ in more positum erat. Denique quocunque modo piè illam circumferas, pro felici tibi omine Crux esto; quæ portendere aut afferre nihil nisi cumulum felicitatis potest. Carolus Magnus Imperator nunquam sine illâ fuit, ei omnes successus ac victorias tribuebat, quam deinde ab euentu Crucem victoriæ appellârunt; tantáque in veneratione habetur, vt Galliarum Reges soliti sint eam juramentis applicare, se fœdera, quæ cum exteris Monarchis ac Principibus ineunt, optimâ fide tuituros: quale fuit Atrebatense pactum, & Pax Charantonia contactu eius pretiosæ Crucis stabilita. Maria Stuarda insignis illa Galliæ ac Scotiæ Regina magni pretij Crucem ferebat: cúmque illam etiam nunc imminente supplicio haberet, ac eam vellet in meliores digniorésque manus, quàm carnificis deuenire, id tamen efficere non potuit; quòd homo

bar-

barbarus nullâ eius habitâ ratione vi illam eriperet: vnde cùm vni è gynæceo suo donare Crucem illam non posset, vti constituerat, satis habuit, Crucis signum in fronte illius, vt supremum amoris argumentum, imprimere; quod virgini illi æquè pretiosum fuit, quàm quæuis Crux adamantibus distincta. Matthias Corninus Rex Hungariæ nunquam sine Cruce incedebat, quod sanè multum illi profuit; videsis quâ id ratione contigerit. a Postquam Turcæ illum pugnâ ad Bulgariæ fines commissâ deuicerunt, Matthias celeri equo vectus fugâ euasit, ac tres ipsos dies per inacessa loca cibi omnis expers vagatus, quarto demum in duos prædones incidit: tum vt erat pedes, deserto equo, qui planè succubuit, latronibus illis in prædam cessit, à quibus armis & reliquo corporis cultu exutus est. Dum verò inter se de vindicandâ sibi Cruce contendunt, quam eius collo detraxerant, Rex interim,

a *Bonfinius ad an. 1448.*

terim, qui nihil nisi fugam spectabat, promtè alterius gladium nactus, eundem suo ferro jugulauit; alteri deinde imminens, postquam vulnus ei inflixit, in fugam se coniecit: atque ita vitam Crucis cultu ac beneficio seruauit, bis Seruatoris Cruci obstrictus, quòd & vitam animæ, & corporis illi deberet.

EXERCITIVM XVIII.

Pro Sab. II. hebd. Quadrag.

Sub initium actionum signum S. Crucis formare, exemplo S. Edithæ Virginis.

SOCRATES ac Nicephorus commemorât, cùm graui terræ motu vrbs Antiochena concuteretur, vt incolæ jam de vrbe deserendâ cogitarent, Iustiniano Imperatori in mentem venisse, vt cubitalibus litteris scriptas hasce voces curaret singulis portis affigi: *CHRISTVS nobiscum, manete*, ac confestim terram moueri desijsse, om-

omniáque pro voto successisse. Qui Christum Patientem, & eius causâ Crucis, in quâ nobis exhibetur, signum amant, solent non in tristibus modò casibus, sed in præcipuis etiam actionibus signum Crucis, ceu Redemptionis nostræ insigne, ad ædium suarum portas, os puta, frontem, & pectus præmittere; inde metûs omnis expertes felices vbique successus experiuntur. Ita S. Iustina sibi consuluit, quæ ter signo Crucis Cypriani magi, qui eam volebat fascinare, postea per eandem viso illo miraculo ad fidem conuersus, incantationes exarmauit, diabolo respondente, illam vtpote Christianam, & signo Crucis, omnibus stygis conatibus fortiori armaturâ instructam, nihil sibi juris esse. *a* Parem fructum Fidelibus sexto post Christum sæculo vsurpatio Crucis attulit: annus enim quingentesimus nonagesimus primus adeò ferali flagello erat metuendus, vt alij sternutando, alij hiscendo subitâ

a Surius in eius vitâ.

morte corriperentur: vnde illa consuetudo inualuit, sternutantibus propitium Deum precandi, ac cùm quis hiat ore, illud Cruce muniendi: quo ritu adeò placatum Numen fuit, vt malum illud quamprimũ grassari desineret. a Eadem pietatis exercitatio S. Simeonem Styliten juuit: ei enim Sathanas illusit, jusso currum, quo velut alter Elias ad Cælos eueheretur, conscendere, vt illic laborum suorum mercedem acciperet: jámque pedem Simeon leuabat; cùm, quòd eodem tempore signum Crucis efformaret, omnes illæ pręstigiæ mox euanuerunt. Non tamen prætermisit ille suam in credendo nimiam facilitatem in se plectere, quando ausus est annum integrũ non nisi vno pede consistere. Maiori gloriâ S. Editha Virgo, filia Regis Angliæ hanc pietatem prosecuta est; non enim solùm Crucis signum fronti inscripsit, vt se à malis expediret, tentationes fraudesq; Dęmonis eluderet, sed om-

a *Ciaconius in Greg. I.*

omnibus actionibus ac earũ initijs eo ritu præludebat. Accidit verò, vt cùm aliquando ipsa templi, quod S. Dionysio struebat, dedicationi interesset, Archiepiscopus, qui illud consecrabat, (is erat S. Dunstanus) arrepto manûs eius pollice quo Crucis formam solebat effingere, illi bene precaretur, ne DEVS vnquam sineret eum pollicem computrescere: ac ratæ preces fuêre: ab eius enim obitu dum post trecentos annos eius corpus aliò transferunt, digitus ille adhuc integer comparuit. En! vt Deus huic operi fauet, ac sibi gratum illud esse, miraculis testatur; vt nos admoneat, quantam voluptatem tam piæ sanctæque consuetudines, & actiones eorum, qui Crucem amant, ei afferre soleant: vt adeò factu sit optimum, horum exempla sequi, neque rem paulò maioris momenti agendam suscipere, quin memineris ei Crucem præmittere. Atq; in hoc negotio cæteris decet accuratiores Religiosos esse: quod ipsum suis pro documento S. Eu-

ſtraſius Abbas inculcabat, *a* quos docuit, nnnquam pedem cubiculo vel inferre vel efferre, nõ ſigno priùs Crucis facto; hoc in votis Regio Vati fuit, cùm diceret: *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* *b* Joannes Baptiſta Tolomei Senenſis ex Ordine S. Dominici hoc ipſum permagni faciebat, neque penſi quidquam habuit, ſe ab alijs obſeruari: hinc domo egreſſus Crucis ſigno ſe muniebat, nihil moratus, num alij oculos in eum conijcerent; addebat pias haſce preces: *Auerte oculos meos, Domine, ne videant vanitatem.* *c*

Cauendum interim diligenter in hoc exercitio cuiuis eſt, ne carpere illos velit, qui ei ſe dedunt, aut ſæpius, quàm nos, illud frequentant. S. Coleta ſolita, quidquid aggrederetur, priùs Crucem efformare, eo die minimè prętermiſit, quo ſuperandus illi fluuius fuit, cuius tranſitus etſi credebatur peri-

a *Surius & Beda in eius vitâ.*
b *Pſal. 120.* c *Pſal. 118.*

periculo plenus; eius tamen pietas & magna fiducia, quam in hoc felici signo collocârat, securum iter Coletæ præstitit: quippe omnes eius comites, tam qui pedites incedebāt, quàm qui equis vehebantur, salui euasêre. Eodem tempore alij superuenerant, idem vadum tentaturi, sanctæque Virgini illudere ausi, audacter pergamus, inquiebant; si potuerunt hæ cruciariæ mulierculæ fluuium superare, quid vetat, nos earū vestigia sequi? tum vadum aggressi nullo Crucis signo, nullâ fide muniti, alueum adeò profundum sunt experti, vt aquis abrepti miserè interierint.

Audi me, Hagiophile, & hoc in alijs studium commenda, & ipsemet stude ex illorum numero esse: Et quantum quidem ad hoc exercitium attinet, quandoquidem SS. Trinitatis inibi nomina recoluntur, & memoria mortis Seruatoris nostri eo facto reuocatur, quàm potes frequentissimus in hoc exercitio esto. Senties profectò DEVM tibi & actionibus tuis, cùm minimè cogita-

Digitized by Google

gitabis, propitium fore. Historia Minimorum a recenset, B. Paulum de Paterno, cùm illius loci Monasterio præesset, amygdali nucleum casu reperisse, cúmque ad Monasterij ingressum plantâsse, signo S. Crucis priùs super eum ducto, vt ei in omnibus facere solenne erat: post aliquot abhinc annos prodigiosa arbor ex eo nucleo enasci visa est: nam sub veris initium quot annis tota Crucibus fuit obsignata, vt quælibet amygdala esset Cruce insignis, magnâ admiratione, simul ac solatio & incolarum & aduenarum, qui procul famâ exciti ad hoc prodigium & diuinum beneficium accurrebant, cuius initium à sanctâ consuetudine, signum S. Crucis cuilibet actioni præfigendi, erat profectum.

a *Hist. Min. l. 2. in d' atichy.*

EXER-

EXERCITIVM XIX.

Pro Dom. III. Quadrag.

Sape S. Crucis signum cordi imprimere, exemplo Religiosi viri è S. Dominici familiâ.

PRÆCLARA horum temporum ingenia, quæ extollere cordis, præcipuè quo Principes & Monarchæ sunt præditi, dignitatem ac excellentiam voluêre, nihil ei potuêre præstantius quàm coronam addere, quâ illud incingebant non aliter, quàm coronari Regum capita solent. In hunc modum aliquando in vnam trutinæ lancem coronatum cor immisêre, quod suo pondere alteram, cui duarũ drachmarum pondus inerat (quòd credatur, primis annis cor maioris ponderis non esse) longè præponderaret: eius emblematis sensum Hispanæ geminæ voces animabant: *mucho mas*, hoc est, coronatum cor præponderat. Vide mihi,

mihi, Hagiophile, elegans inuentum, quo discamus, cor alterum altero esse præstantius. Ego, qui S. Crucem omnibus coronis antefero, plurísq; ttiumphale IESV CHRISTI patibulum, (vt cum S Ambrosio loquar) quàm cuncta orbis Imperia facio, censeo, plus honoris cordi accedere, si solo Crucis signo coronetur, quàm si mille gemmis niteat, coronámque è puro puto auro gestet. Et quia Cor non iniuriâ Dei sedes vocatur, quam sibi pro pretioso vase, pro conclaui, pro Sacrario destinauit, in quo suum amorem reponat; inde tria hęc vocabula desumpta sunt, *Camera Omnipotentis Regis*, quorum primæ litteræ Latino idiomate COR efficiunt. Si res ita se habet, quid ei possit augustius Cruce imponi, in quâ IESVS Orbi miracula sui amoris exhibuit?

Atque idcirco te hortor, vt Cordi tuo quàm potes profundissimè hoc Amoris IESV vexillum infigas: neque alio labore opus est, quàm vt Crucis signum

gnum Cordi, aut prope cor imprimas, idque diu noctúque, in solitudine, in congressu, ac tam dextrè, vt omnium oculos fallat; siue id in rebus aduersis, siue lætis cogitationibus ab amabili Seruatore nostro immissis à te fiat. Illud quidem certissimum est, Signum Crucis magna emolumenta nostris cordibus, quibuscunque dæmonis insultibus petamur, conferre: hinc cùm S. Benedictus diuinitus cognouisset, Religiosum juuenem, qui tum ei inseruiebat, vanis quibusdam cogitationibus imorari, ac sibi ipsi occinere: quid hîc agis? vt huic homini ministres, generis splendore longè te inferiori? blandè illum contuitus, mi frater, inquiebat, quid animo voluis? Crucis signum cordi inscribe, & talia cogitare desine. Præcipuam nihilominus vim aduersus cogitationes puritati inimicas habet: ob eam causam multi illâ occasione hoc antidoto vtuntur, præsentem opem experti, quasi profiterentur: hoc Cor, & Cordis dominus IESV sacer est:

ecce

ecce Crucem, armaturam eius! facesse hinc Sathan cum sordibus tuis!

Alia æquè potens ratio est, cur in hunc modum deceat cor munire, ac isto præsidio tueri, nimirum honor & memoria Christo Patienti debita: quoniam ex omnibus sacris instrumentis, quibus Redemptionis nostræ negotiū fuit perfectum, Crux primas tenet, ac omnium facillimè à nobis exprimi potest; cùm nemo non digitum possit in illam formam ducere. Aiunt, si ex amygdalâ casu fortuito hiante nucleus in peritam manum decidat, quæ axioma, aut emblema aliquod in eum insculpat, téstæque postmodum includat, ita vt putamen adipe, chartâ putrescente, ac fimo obducatur, paulò pòst germinare, in caudicem ac lignum durari, ramos, flores ac deniq; fructus proferre: quòd si putamen incidatur, in mediâ medullâ singularum amygdalarum omnia videri, quæ primo nucleo plantatæ amygdalæ sunt insculpta. Corda nostra si Cruce vt coronâ

sunt

ſint redimita, nóſque ijs ſalutis noſtræ ſignum incidamus, non minùs felicia erunt, quàm omnes illæ prodigioſæ amygdalæ; quandoquidem amor IESV & eius SS. Paſſio illic incluſa, & inde in fundo mentium noſtrarum cum incredibili conſolatione cælata viſitur: nec aliquid deeſt, niſi vt miraculoſos Crucis ductus in corde videas, quos foris digitus expreſſit: ac tanta Dei bonitas eſt, vt eam rem voluerit nobis miraculis teſtari: horum vnum tuæ curioſitati obijciam. Vir religioſus è S. Dominici familiâ, Volandus nomine, qui vixit anno 1237. magnâ famâ ſanctitatis obijt; cuius oſſa poſt aliquantum temporis viſum eſt commodiori loco reponenda, ob eximiam opinionem, quam omnes de eius ſanctimoniâ concepêre: quod cùm fieret, prope Cor Crux deprehenſa eſt in oſſe probè cælata, & aliquantum eminens, circum quam lilia hinc inde ſparſa maiorem Cruci venerationem attulêre. Eo prodigio viſo præſentibus in memoriam

eius

eius pia consuetudo rediјt, quâ solitus est signo S. Crucis cor sæpius insignire, Redemptoris nostri supplicia ac mortem veneratus: meminerant insuper, eum instar Angeli pudicitiâ præditum vixisse, cuius gratiâ lilia comparerent. Hagiophile, cor sancti huius viri næ multò beatius amygdalarum nucleis dicam⁹, quibus pro arbitrio cuiuslibet incisum lemma fuit! omnino cor hoc fuit Cruci deuotum, quale posthac tuum erit.

EXERCITIVM XX.

Pro die Lunæ III. hebdomad. Quadrag.

Crucis signum in præcipuis corporis partibus exprimere, exemplo S. Theodori Martyris.

QVIS vnquam de feliciori ac ominis melioris partu audiuit, quam Brunonis Episcopi Tullensis fuit, qui postea Leo IX. dictus

Sancti

Sancti nomen promeruit, cuius festus dies 19. Aprilis recurrit? is in lucem editus est vndíque crucibus notatus, nec membrum ex vtero materno protulit, quod non esset IESV CHRISTI sigillo insignitum. a Hic tam sanctus ortus in mentem mihi sanctam mortem S. Theodori inuicti Martyris reducit, cuius Natalis in 7. Febr. incidit. Obijt ille sub Diocletiano Imperatore pro Christi fide peremtus; qui vt primum mortis nuntium percepit, ac mortis sibi obeundæ sententiam audijt, Crucis signo totum corpus obsignauit, ac tum carnifici collum præbuit; quæ res est notatu & imitatione digna. De alijs, qui studuerunt frontem Cruce notare, passim constat. S. Anysia tenera Virgo & Martyr Thessalonicensis hoc signo frontem armauit, cùm ab insolenti homine, qui postea ei visâ illâ Christiani hominis notâ vitam eripuit, in fidei negotio inuaderetur. Ipsa Dei Mater, cùm ad quempiam amicorum suorum

è cælo

a. *Ex Wiberto in vitâ S. Leonis.*

è cælo inuisisset, jámque inde discedere ac remeare in Cælum vellet, pro vltimâ consolatione ac valedictionis loco signum Crucis in eius fronte exarauit. a Alij Crucem oculis, cordi & ori apprimunt; quemadmodum S. Macrina S. Basilij Magni Soror ad extremum moribunda fecit. Aliquos spectauimns cordi illam inscribere. Sequenti Exercitio nonnullos adducemus, qui manum illâ signârunt. Sed qui per omnes præcipuas partes corporis iret, ac frontem, oculos, nares, os, caput, collum, cor, pectus, brachia, manus, humeros, coxas, tibias & pedes Cruce obarmaret, præter hunc Martyrem Thessalonicensem, nullum alium obseruaui; quem proin tibi exempli loco affero: tu non habitâ diei, quâ obibis, ratione, hunc diem imitationi decerne: quamuis beata mors illa foret homini, cui ea cogitatio ac spatium contingeret, vt cum his notis & characteribus amoris, victoríæque aduersus ho-

a *Poiranus in Triplici Coronâ.*

hostes tunc maximè insolentes certo præsagio mori posset. Sed perinde est, viuus an moriens hoc agas: expedit certè membra sua his IESV CHRISTI armis tegere; illa nobis solatium, hostibúsque nostris terrorem inferent. Has autem Cruces titulo armorum Christi affeci, non modò, quòd ille hostem suum hoc ligno profligârit, sed etiam, quòd S. Paulus jubeat Ephesios *induere armaturam Dei, a* vt insidijs ac tentationibus diaboli resistere possint: quod alij de IESV CHRISTO, & eius virtutibus dictum volunt, quæ vera DEI arma sunt; ego verò de Cruce & signo, quo illa repræsentatur, intelligo: quia etsi DEI Filius toto vitæ suæ decursu omnes eas virtutes diuinas patefecerit; nihilominus in Crucis arbore longè clariùs ac luculentiùs emicuêre. Vnde concludo, eximia Seruatoris nostri arma nobis fuisse in Cruce exhibita, atq; illâ membra nostra præmuniendo nós profiteri, quòd arma illa desideremus,

a Ephes. cap. 6.

ac cælo & terræ, hominibus & Angelis ſpectaculum faciamus; & quòd exinde omnes Crucis virtutis, & IESV CHRISTI aduerſarij capeſſere fugam, ac mutare ſedem cogantur.

EXERCITIVM XXI.

Pro die Martis III. hebdomad. Quadrag.

Signum S. Crucis in manûs volâ formare, cùm noctu euigilas, exemplo S. Petri Luxenburgenſis.

QVEMADMODVM preces matutinæ negligendæ non ſunt, vt Soli juſtitiæ animæ noſtræ feneſtras eo ipſo tempore aperiamus, quo ſpectabili ſoli, omnia ſuâ luce obeunti, oculos pandimus; ita non minùs nocturnis incumbendum, vt omnis aditus ſtygijs tenebris occludatur, neúe ad nos vllꝰ hoſti ſiue in corpora, ſiue animos noſtros ingreſſus pateat. Solent autem hæc bina exercitia per ſignum Crucis

Crucis inchoari, plurimùmque refert, neutro loco eam præterire. S. Edmundus nunquam omittebat: veruntamen quòd semel duntaxat ex obliuione prætermisisset, sub noctẽ signo sanctæ Crucis se obsignare, atque ita cubitum non postulato Numinis fauore se contulisset, nocte illâ graues insultus ac tentationes sustinuit: tum statim in mentem ei venit, id arripere, quod gladij & armorum loco esset, ac salutari signo vti: sed id exequi omnino non valuit, dæmone impediente, manúmque retinente; tandem serò eluctatus, postquam multis suspirijs DEI opem inclamauit, manum sui juris sensit: exinde vbi, quod cupiebat, effecit, hoste fugato, Edmundus victor euasit.

En! vt nihil rectiùs fieri omnino possit, cùm nox & somnus oculis imminet! At quid si dein somnus interrumpatur, quod quibusdam frequenter contingit, quid tunc facto opus? Censeo, ijsdem armis vtendum: & quoniam diabolus, damnatus ille spiritus,

& juratus noſter hoſtis nunquam dormit, ac mirè inuigilat, quî nos beneficio tenebrarum in inſidias deducat, inſtar lucifugæ noctuę oberrans, nobíſq; ſimulacra & cogitationes è ſuâ officinâ obtrudat; hinc ſtringendus eſt gladius; vti generoſus miles totam noctem imminente hoſte excubaret: illo gladio Crucis ſignum intelligimus, quo aut frons, aut pectus muniria, ut certè, vt enſis ille poſſit commodiùs manu teneri, volæ manûs imprimi poteſt, eo prorſus modo, quem S. Petrus Luxemburgenſis tenebat, qui noctu euigilans illicò S. Crucis ſignum mediæ manûs cauitati inſcripſit, vſus illis verbis: *Adoramus te, Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum*, ſimúlque eam in manu partem oſculatus eſt, in quâ Crucis figuram effingebat.

Hagiophile, credo, tuæ fuiſſe quæſtioni ſatisfactum: poſſem equidem plures tibi victorias huc referre, quibus DEI amici aduerſus potentes ad-

uer-

uersarios sunt potiti; sed illæ adeò jam sunt communes ac frequentes, vt præstet, otium tibi concedi, quo decernas, te exemplum B. Petri Luxemburgensis sectaturum, si quæ tibi occasiones obueniant. Ita sensim, nullo, aut leui impendio illa omnia perages, quæ Crucis & Passionis Christi amantes pro eiusdem honore conati sunt.

EXERCITIVM XXII.

Pro die Merc. III. hebdomad. Quadrag.

Cruces magis celebres & miraculis illustres, præsertim verò eius SS. Reliquias, in quâ IESVS CHRISTVS mortuus est, venerari, exemplo S. Coletæ.

HAGIOPHILE, iniuriam tibi facerem, si tibi ad hanc pietatem, & eiusmodi Crucis venerationem stimulos adderem, in quam tuâ sponte propendes; neque tibi longo ordine prodigiosas Cruces, diuersis locis vi-

ſendas, enumerabo: ipſe non ignoras, & paſſim viſuntur: Chriſtiani ſatis ſunt in hanc pietatem propenſi. Tu non omittes, ſi earum vna illic, vbi degis, ſeruatur, illam reuereri, frequentare & adorare, prout tibi commodum videbitur.

Quocirca non cogito, te aliter quàm in cultu pretioſæ Crucis Seruatoris noſtri, in quâ noſtræ ſalutis negotium peregit, occupare: hæc Crux eſt verè miranda, & præ omnibus alijs prodigioſa, non ob id ſolùm, quòd ſit à S. Helenâ reperta, & ob miracula, quæ tunc contigerunt, & etiamnum quotidie per adorationem, aut applicationem ſacroſancti huius ligni patrantur; ſed etiam quòd huius S. Crucis partes ita multiplicentur, cùm tot locis, tantáq; copiâ aſſeruetur, vt ſine miraculo fieri non poſſit, vt originaria Crux Chriſti ad eam craſſitudinem excreſceret, quam allatura diuerſa illius omniáq; ſegmenta eſſent, ſi in cumulum collecta iterum in truncum coaleſcerent.

Atque

Atque hinc Crucem istam prodigijs plenam, vt inter alias omnes Cruces imprimis adorandam, ac præ cunctis alijsReliquijs amore dignam, tibi commendare gestio. Si posses paruam eius particulam consequi, etsi tenue tantummodò sarmentum esset, nimis quàm felix fores: si verò aliquid eius habes, tecum habe; quod si etiam cordi admoueas, rectissimè ages. Elisæi ossa quondam mortuum ad vitam reuocârunt; S. Pauli sudaria & cingulum olim mira patrârunt: quid igitur huius SS. ligni contactus non efficiet, cuius virtus ac pretium pluris, quàm totum Regnum, fructus pluris, quàm cæterarum Reliquiarum simul omnium æstimetur? per has SS. Reliquias, velut per diuinum canalem, Deus in te occulta ac cælestia gratiarum fluenta deriuabit: qui has gestat, felicitatem secum habet. Vnde IESV amatores semper sanctè ijs inhiabant, ac eiusmodi thesaurum paruásque particulas comparare conabantur, quauis gazâ prestantiores;

tiores; quas si impetrâssent, secum circumtulêre. S. Macrina Virgo, Soror S. Basilij Magni, & S. Gregorij Nysseni, annulum proximè cor gerebat, cui de verâ Christi Cruce Seruatoris particula fuit inclusa; hunc illa, fratri suo S. Gregorio, ceu rem sibi prę cunctis opibus longè charissimam, dono dedit: quem si non jam morti proxima donauit, credibile est, aliquam eius particulam sibi reseruâsse. Nunquam legi, tantâ cupiditate quemquam aut alicui thesauro, aut scientiæ, aut cuicunque rei inhiâsse, quantâ S. Coleta S. Claræ imitatrix flagrabat, quantulumcunque de S. Cruce nanciscendi: ac tandem effecit, vt fieret sui voti compos; quam ob rem tantâ lætitiâ gestiebat, vt abhinc crederet se prorsus beatam. Sed mox propè tam graui dolore post rei adeò vehementer cupitæ possessionem afficiebatur, quàm gaudio erat plena; eò quod rem tam pretiosam pro dignitate, ac vt ipsa volebat, collocare nuspiam posset, quam illa toti orbi prætulit.

tulit. Cúmq; istis curis agitatur, ô miraculum! DEVS paruam illi Crucem ex auro submisit, tanto artificio elaboratam, vt aurifices operis admiratione defixi hærerent: & sanè è Cæli officinâ venit. Num verò illa eo dono fuerit contenta, & num omnes suos deinceps amores huic Cruci impenderit, satis intelliges, si quidquam de eius S. Virginis Sanctitate, ac animi ardore inaudieris.

Verùm sanctimoniâ, inquies, hæ probæ mentes clarebant, & hinc poterant talia penes se habere: ego verò vix auderem Reliquias tam sanctas mihi, præsertim noctu, arrogare: videtur enim hoc minimè decorum fore. Desine ita loqui; quisquis es, si eiusmodi habes, noctes atque dies perpetuóque ijs vtere: Earum vsus hostium ferociam compescet, modestiam te vbique necessariam docebit, diu noctúq; pias tibi cogitationes suggeret, somnum tibi tranquillum, & DEI beneficio suauem conciliabit, si tamen ad eum de-

decenter te componas: nihil hîc metue, dummodo interdiu nihil admittas culpæ, vnde ſol obſcurari aut erubeſcere poſſit; noctu verò operibus tenebrarum abſtineas: audacter tibi applica hoc diuinæ Chriſti charitatis pignus: ſi piaculum eſt, paratus ſum pro te reſpondere, ac eius criminis pœnam ſubire; quemadmodum etiam cupio in partem meriti venire, ſi feliciter tibi hoc negotium ſuccedat.

Vbi verò tam felix non eris, vt nanciſci & poſſidere aliquam eius theſauri portionem poſſis, non omitte, per annum aliquoties ea templa locáque ſacra venerari, vbi ſciueris huiuſcemodi aſſeruari: ac tecum ita ſtatue, Deum quouis honore ac fiduciâ delectari, quibus minima etiam fragmenta ſacroſancti huius ligni, quod Filium eius pro nobis mortuum ſuſtinuit, afficiemus. Ex hiſtoriâ S. Catharinæ Suedicæ, quæ fuit S. Brigittæ filia, habetur, Romæ Viduam ac juuenem matronam magnæ nobilitatis, quæ perpetuò ſingulis

gulis noctibus ab immundo spiritu vexabatur, quod tamen nulli mortalium audebat aperire, aliquando decreuisse, velle se illi suum infortunium ac ærumnam explicare: cui S. Catharina aliud consilium non dedit, nisi vt integro octiduo ad templum S. Crucis sine linteo, nudis pedibus, comitante matre, se conferret, ibiq; quotidie septies *Pater & Aue* coram arâ diceret. Quo audito, matrona infelix accuratè omnia, vt erant iniuncta, executa est; cúmque octauus jam dies illuxisset, Dæmon quidem eadem formâ ei se conspicuum exhibuit; sed Catharinæ Brigittæ filię malè indignatus diras ei imprecabatur, à qua illud consilij femina hausisset; vnde omnes machinationes conatúsque, illam euertendi, concidissent.



EXERCITIVM XXIII.

Pro die Iouis III. hebd. Quadrag.

Officium de S. Cruce recitare, exemplo Alexandri Lusacij.

NVNQVAM Seruatori nostro ob immensum Redemptionis beneficium dignas possumus gratias persoluere. Equidem quâ ratione, Hagiophile, hoc te debito exoluas, ignoro. A Theologis nostris olim didici, gratiarum actionem pro accepto beneficio tribus modis fieri posse. a Primum in animo versari, æstimando agnoscendóque secum beneficij magnitudinem, atque idcirco benefacienti se obnoxium fatendo: alterum, verbis absolui, quibus beneficium laudibus & gratiarum actione ornatur: tertium in eo consistere, vt beneficiarius pro modo virium suarum rebus ipsis beneficium compenset. Haud dubiè animad.

a D. Thom. 1. 2. quæst. 107.

animaduertes, omnia pietatis erga Christi D. N. Passionem exercitia, ad vnum è tribus hisce modis referri. Illud, quod modò adduco, ad secundum pertinet: atque hinc scire te velim, cùm Officium S. Crucis persolues, quod in Horis Concilij continetur, hoc in gratiarum actionem, IESV CHRISTO pro nobis Passo debitam, à te fieri. Ecclesia hæc verba datâ operâ nobis recitanda proposuit: & tametsi omnes preces ab eâ præscriptæ, obseruatione sint dignæ, imprimis tamen illæ succi sunt probioris, quæ in gratiam Patientis sponsi sui vulgauit: quibus & nos, ceu hostiâ laudis, vtamur, IESV CHRISTO fructum labiorum nostrorum offerentes, a quæ fateantur palàm, nos ei modis infinitis esse obstrictos.

Atque hoc potissimùm stimulo hac die, inter recitandum minus Officium de S. Cruce, vteris. Non multùm allaboro, vt eorum tibi syllabum exhibeam, qui sæpius in vitâ illud vsurpâ-

a *Hebr.* 13.

runt; loco omnium ſit Alexander Luſacius, qui voto ſe adſtrinxit, quauis Feria VI. per annum id ſe dicturum; & S. Vdalricus Epiſcopus Auguſtanus, qui nullo die intermittebat: ac hi duo tibi ſufficiant, vt deliberes, quid te facere expediat, & vtrum ex his imitari velis. Hoc præcipuè ſcire te ac intelligere pro conſolatione tuâ cupio, DEVM vehementer gratâ mente & actione gratiarum ob Sanctam eius Paſſionem delectari, ſiue paruum hoc officium recites, ſiue eius causâ aliud quidpiam ſuſcipias agendum. Paulò antè tibi magnam erga S. Crucem pietatem, & inſignem conſtantiam in decurrendis eius Horis indicaui, quâ hic Sanctus Præſul vtebatur; nunc etiam prodigioſam ac celebrem eius approbationem audi, quam DEVS publicè quondam, ſpectante vniuersâ plebe, cùm in Sacro ad Conſecrationem ventum eſſet, ei manifeſtauit: cùm itaque in manum hoſtiam ſumeret mox conſecrandam, è cælo ſubmiſſa venerabi-

lis

lis manus visa est, quæ Sancti Antistitis manui associata, eam regebat, cùm S. Crucis signum supra hostiam duceret, eíque toto consecrationis tempore aderat: & quod maiorem admirationem meretur, videre tunc erat, duas manus simul moueri, eodémque momento eandem Crucem efformare; veluti DEVS significare populo voluisset, suas manus, sua verba, & cor totum in Crucem ferri; eò suos amores omnes spectare: ac velut diceret: in hac ipsâ Cruce cupio palàm facere, me Vdalricum amare, me eius causâ prodigia patrare, ac illum meâ manu præsidióque potiùs quàm omnes alios defendi.

EXERCITIVM XXIV.

Pro die Ven. hebd. III. Quadrag.

Passis brachijs orare, exemplo S. Ludouici Episcopi Tolosani.

CREDI non potest, quantopere DEVS hanc Crucis figuram approbet, quocunque loco illa sit, præ-

præſertim verò in homine; & multò maximè, cùm homo ipſe in ſe illam exprimere allaborat. Gonſaluus de Tapiâ è Societate noſtrâ, qui à Cinaluanis Barbaris, trecentis vltra Mexicum leucis, fuit Martyrio affectus, vt poſſet in oſculo Crucis mori, pollici decuſſatim indicem impoſuit: quo animaduerſo, Barbari conati ſunt duos ei digitos amputare; ſed id efficere nunquam potuère: etſi enim reliquas corporis partes in mille fruſta ſecarent, cùm ad eos digitos Crucis in modum diſpoſitos ventum eſt, nihil furor potuit: vir autem religioſus, ringentibus Barbaris, moriens Crucem oſculatus eſt, & poſt mortem quoque digitos in Crucem diſpoſitos eis exhibuit. Iam ſi de diducendis brachijs, & exprimendâ in noſtris precibus ac pijs exercitijs illâ noſtræ Redemptionis notâ loquamur, etſi aliud nihil fiat, quàm vt noſtrum corpus ſit figuræ Crucis conformatum; ſanè neceſſe eſt, DEI Filium tunc visâ iſthac Cruce recreari, neque id ſine

causâ;

causâ; quandoquidem eo habitu omnium maximè in nobis eius imaginem repręſentamus, ac tantò ſumus illius & noſtris inimicis formidabiliores, quòd non Crucem è ligno, aut quopiam metallo factam, ad eum fugandum, obijciamus, ſed Crucem viuam ac animâ præditam, quam IESVS ſuo ſanguine redemit.

Hagiophile, ſi te DEO reddere acceptum cupis, ac dæmonem in fugam conijcere, paſſis brachijs preces inſtitue. S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus ita quotidie orabat: vnde apud DEVM gratioſus, ſtygij hoſtis omnes conatus eluſit. Sed quibus precibus hoc ſitu tibi vacandum? quod dicam, non habeo. Sanctus iſte Præſul, de quo loquimur, quotidie eâ corporis compoſitione Officium de Cruce recitabat: aliquibus ſatis eſt, Pſalmum L. *Miſerere*, dixiſſe: alij quinquies Orationem Dominicam cum ſalutatione Angelicâ iterant: ſuus cuique mos eſt. At ij, qui ſupra vulgus ſapiunt, Sanctorum exempla

æmpla semel saltem in anno imitantur. Sed ad institutum redeamus : multa tolerare, est IESV multùm placere, qui multa sustinuit: vis equidem pati quidpiam, sed sine strepitu? ictus enim flagrorum vicinus audit ; sine molestâ corporis sarcinâ? setosum enim cilicium acriùs fodicat; sine punctione ac sanguinis profusione? hoc enim alij obseruarent; prolixiori tempore meditationi aut precibus, diductis, velut in Cruce penderent, brachijs, te impende: acerbus dolor est, fateor; sed par quoque est dolori præmium. Existimò profectò, B. Felicem Capuccinum multum hoc exercitio promeruisse : solebat ille frequenter templum adire, ac post salutatum Venerabile Sacramentum, terram exosculari; tum in medio templi erectus expassis brachijs diu, hoc est, horas integras precibus se dabat, subinde exclamans: Domine! hunc populum tibi comendo, pro mihi benefauentibus te rogo, miserere peccatorum, & parce illis; Ita totas horas
exten-

extensis in altum brachijs precari, nec aliquid inde remittere, sibiq; indulgere, sanè acerbo dolore plenum est; ita est: sed exemplo & amore IESV quid non audendum? is ipse minimùm tres horas persistebat sacrosanctis brachijs totum pondus debilitati & fracti corporis sustinens, ac pertusis manibus medio loco, qui ob neruos concurrentes est omnium maximè dolori obnoxius, Cruci affixus: ah! quale tormentum! quidquid studio illum imitandi sumus toleraturi, nihil nisi rosa erit, si cum sæuientibus ac intolerandis spinis eius comparetur. Iterum affirmo, quidquid hoc situ corporis sumus postulaturi nos impetraturos, ac ad exitum deducturos esse: DEVS enim hac ratione precantibus nihil negat. Anna Bellouacensis, Vrsulina, eo modo, de quo agimus, orare solita, die quodam in summis angustijs fuit. Virgo nobilis Liburni, vbi tunc degebat, Nouitijs accensa nuper erat; cuius consobrinæ suæ sententiâ cognatorum aliquis

quis in rabiem actus, post aliquantum laboris Monasterij murum superauit, rectáque ad Nouitiæ conclaue festinauit, animo inde illam abripiendi. Opportunè Anna fortè tunc aderat, quæ vesanum illum magnis passibus imminere conspicata, insano clamore vociferantem, non euades, teneo te, cubiculi duntaxat januam impulit, ac post illam in genua prostrata brachia in Crucis modum extendit, vt ei orare consuetum erat: rem miram! insanus ille pedum ac totius corporis impulsu nitebatur fores perfringere, etsi non nisi è simplici abiegno assere, parúmq; firmæ essent, quas vno pedis ictu homo minimè magnarum virium potuisset medias rumpere: nihilominus nullo laboris fructu, necquicquam se fatigauit; quamuis tantâ rabie ac impetu irrueret, vt januæ asser introrsum flexus Annæ intus precantis capiti imminere;t; quæ constanter eo situ inter preces commorata, Nouitiam identidem jubebat bono animo esse, promitto, inquiens,

quiens, tibi, numquam huc eum pedem illaturum. Quidquid demum tibi videatur; Iesvs hanc in amicis suis figuram amat tantopere, vt quandoque honorem illis habiturus, quo palàm ostenderet, hos sibi præ reliquis cordi esse, tali eos habitu alijs repræsentaret. Rudolphus Cistertiensis Ordinis, eximius Dei seruus, cùm quondam solus post Matutinas horas in templo Orationi vacaret, Iesvm Christvm in Cruce vidit, ac sui Ordinis quindecim cum illo pendentes, quorum quilibet extensis brachijs Cruci affixus cernebatur: quos ille, quòd omnes in viuis ei familiares fuissent, facilè agnouit, ac vehementer eo spectaculo fuit attonitus. Sed Seruator noster redditâ facti eius ratione, fili mi, ait, quid obstupescis? hi ipsi sunt, quos inter chariores seruos, & Crucis meæ amicos numero: vbique singularem voluptatem capio, eos mei similes & videre, & ab alijs videri.

EXER-

EXERCITIVM XXV.

Pro Sabb. III. hebd. Quadrag.

S. Sudarium Christi colere, exemplo S. Caroli Borromæi.

O QVAM fortunatæ ſunt ditiones illæ, vbi tam ſanctæ Reliquiæ aſſeruantur! & quis verbis pretium eiuſmodi SS. Sudariorum aſſequatur? hæc illa glorioſa vexilla ſunt, noſtræ Redemptionis inſignibus nobilitata, hæc adoranda præ cunctis ſunt lintea, quæ Orbis habuit: hęc ſunt, quibus theſaurus noſter & lytrum pro redimendis captiuis fuit inuoſutum; vt in officio de his SS. Reliquijs habetur, quod Papa Clemens VIII. inſtituit. *O admirabilis Sindon, in quâ inuolutus est theſaurus noſter, & redemptio captiuorum!* hæ ſunt primæ & præſtantiſſimæ mappæ, quibus SS. Corpus Chriſti impoſitum fuit, ſanctiùs ac honore dignius, quàm illæ, quibus aræ noſtræ inſternuntur:

nuntur: hæ enim proximè non nisi species Sacramentales attingunt; at illæ propiùs, re nullâ interiectâ, SS. Corpus Filij DEI contigerunt, adhuc omnino à summâ illâ victoriâ, & cruento Crucis sacrificio sanguine perfusum.

Quæ igitur ratio, gloriosæ huic Sindoni, & Reliquiarum præcipuæ, debitum honorem exhibendi? vna erit, ad oppidum aliquod se conferre ex ijs, quibus Sudarium asseruatur, vt illud probè intueri, adorare, osculari, ac contemplari possis. S. Carolus Borromæus olim in hoc pietatis studio fuit ante alios insignis: Mediolano pedes Taurinonum Augustam jam Archiepiscopus & Cardinalis petebat: & vt animo omnes in hac re consolationes indulgeret, decreuerat insuper Mediolano pedibus iter Camberium conficere, vbi tunc S. Sudarium habebatur, nisi Serenissimus Sabaudiæ Dux jussisset illud Turinum asportari, vt tot viæ molestijs ac fatigationibus supersedere sanctus Antistes posset. Franciscus I. Galliarum

rum

rumRex ſuo tempore etiam ipſe in hac pietate excelluit, voto edito, ſe Camberium ad S. Sudarium, quod modò Turini colitur, peregrè iturum: votum verò illud in conflictu Marigniaco cōcepit, quo ſe exſoluturus Lugduno Camberium, nouendecim tantùm in comitatum aſſumptis, pedes abijt.

Hæc itinera ſuſcipere, non eſt cuiuſuis: hoc igitur age, Hagiophile, quod tibi operoſum non erit, pro SS. Sudarij reuerentiâ præſtare: pro animabus in Purgatorio detentis, per ſanctas has Reliquias, precare; & aliquot illarum ex tormentis, quibus excruciantur, exime. Clemens VIII. facultatem conceſſit animam è Purgantibus flammis liberandi, quoties pro honore ac memoriâ S. Sudarij ſequens Oratio recitabitur.

O DEVS! qui nobis in ſanctâ Sindone, quâ corpus tuum ſacratiſſimum de Cruce depoſitum, à Ioſeph inuolutum fuit, Paſſionis tuæ veſtigia reliquiſti; concede propitius, vt per mortem & ſepulturam tuam,

ad

ad Resurrectionis gloriam perducamur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen. Ex P. Roas de Purg.

Quantus thesaurus ei, qui sæpe ac, vt decet, illo vti potuerit! quanta potestas, tot animas Cælo inserendi, quæ non desinent, nobis paria obsequia præstare, cùm in Purgantis Ecclesiæ flammis detinebimnr!

Hæ captiuæ mentes, in illis ignibus detentæ, alterius perquam facilis ac fructuosæ pietatis erga SS. Sudarium me admonent: vt scilicet tuis precibus eos juues, quorum aut corpora, aut mentes sunt vinculis oneratæ. Hoc à S. Mechtilde doceamur: neque aliud est facto opus, quàm vt ab exitio aliquot peccati mancipia reuoces, quorum tanta est multitudo; & solatium libertatémque captiuis afferas, qui diuersis in locis tenentur: ídque tuis precibus efficias eo modo, quem nobis S. Mechtildis tradidit: eum tibi ex eius scriptis excerptum huc attexo. a

a Ex libro gratiæ. c. 19.

Seruator noster aliquando eam allocutus, Mechtildis, aiebat, qui vtiliter mihi supplex fieri pro captiuis cupit, seu corporibus, seu animis sint ligati, opus est, vt me roget 1. per amorem, qui me nouem mensibus in vtero Matris meæ captiuum tenuit. 2. per amorem, qui me natum & à teneris educatum, panniculis inuoluit. 3. per amorem, qui me hostium meorum manibus tradidit. 4. per vincula, quibus me Iudæi adstrinxerunt, ac ligatum Iudicum tribunalibus stiterunt. 5. per vincula & funes, quibus fui ad columnam alligatus, flagris concidendus. 6. per clauos, quibus fui Cruci affixus. 7. per sacra linteamina & Sudaria, quibus inuolutus, fui tumulo illatus, postquam Corpus meum fuit è Cruce depositum: qui me per sacra & amoris plena vincula fuerit precatus, eius gratiâ libertatem captiuis indulgebo, quorum apud me causam sic egerit.

EXER-

EXERCITIVM XXVI.

Pro IV. Dom. Quadrag.

Aliquid excogitare, quod amore IESV CHRISTI perferas, in honorem SS. Passionis, exemplo B. Ioannæ in Galliâ.

HAGIOPHILE, vide, quale tibi negotium facessam. Nihílne noui excogitare poteris, quod amore IESV sustineas tanta pro te passi? non inuenire noua tormenta, quę nemo hactenus vnquam adhibuit? Signum ergo est, parùm te in illum amoris habere, quidquid foris simules: amor enim mirè ingeniosus est, vt est toto orbe receptum; neque verus Patientis IESV amator est, qui eius gratiâ nouum aliquod doloris genus non excogitet. Túne, Hagiophile, vnus vnicus, adeò stupidus, hebes, ac iners in exquirendâ recenti, eius causâ tolerãdi quidpiam, materiâ eris, vt reciproco ei amore

spondeas; ac par pari, patientis amoris talione, referas? Ipsi Reges hîc laborant, tibíque facem præferunt. S. Ludouicus nudis pedibus quauis Feria VI. incedebat; ac ne à quoquam in eo habitu deprehenderetur, calceorum genus excogitauit, sub quibus nuditatem securè celaret, astantiúmque oculos austeritas & occulta virtus effugeret.

Principes quoque in altero sexu eadem nos docent, eóque pertingunt, quo nunquam aspirabis. B. Ioanna Francica filia Ludouici XI. & vxor Ludouici XII. inuenit ac concinnari curauit quinque clauos ex argento, duorum digitorum longitudine, ita quidem, vt eorũ cuspides foras ex eâ compage, cui erant inserti, prominerent: eos sæpe ferebat, acuminibus circa cor in innoxium corpusculum conuersis.

Teneræ puellæ, ac innocentes Virgines magno numero mira inuenerũt, quibus in IESVM Patientem sanctum amorem testarentur. S. Brigitta qualibet

libet Feria VI. qui dies est Passioni Christi sacer, ardentis ceræ guttas in nudum brachium deriuabat: quod non paruum dolorem affert. P. Antonius de Regibus, Minimorum ex Ordine, tantundem ferè faciebat: cereum accensum patiebatur in nudam carnem defluere, à modico igne ob eius amorem læsus, qui in arbore Crucis totum amoris incendiũ erga nos excitauit. a

Religiosi viri & feminæ itidem strenuè insudârunt, vt nouos patiendi modos excogitarent. P. Ioannes de S. Guilielmo è Discalceatorum S. Augustini familiâ plerumque arcto breuíq; stipiti indormiebat, sæpe solitus, ad recolenda vincula, quibus Redemptor noster crudeliter fuit illâ tristissimâ nocte alligatus, fune totum corpus & tibias arctissimè constringere. *b* B. Dorothea ex Ordine Seruitarum præ ingenti desiderio, quo flagrabat, Christi Passi causâ affligi, acutissimos sibi do-

a *Ex Tristano in vitâ Simon. Garciæ.*

b *Ex Arsenio in vitâ P. Ioannis à S. Guilielmo.*

lores depoſcebat : & ecce ! quamprimùm ex vtroque latere putida illi ac ſæua vlcera ſunt enata , inſanos dolores afferentia, qui decem ipſos annos diu noctúque eam grauiſſimè exercuêre. Eodem tolerandi ſtudio perſæpe acetum felle temperabat, vt parem Dei Filij amaritudinem guſtu perciperet.

Si ſcirem, Hagiophile, inuentum illud, quod tibi amor dictabit, hoc loco apponerem: neque enim cogito ad eorum aliquod te incitare , quæ ſuprà collocaui : neque illas adeò praxes tibi obtruſero , quales ego ipſe meditor ; tantopere mihi perſpectum eſt, te, vtpote mollem , longè à pedum nuditate, à clauorum puncturis, à ceræ ardentis defluxione, à duro ſtrato, à funibus, potionibus amaris abhorrere: hæc omnia deteſtaris , ac vix patienter de ijs ſermonem admittis: affectares quidem fauores, gratias, conſolationes , & decora illa, quibus ſui amantes DEVS ob eiuſmodi ingenuam tolerantiam ornare conſueuit ; de hoc nullus dubito : ſed

ſed eorum veſtigia ſequi, hoc opus hic labor eſt: hæc tibi inculcanda nō ſunt; neque te vrgeo: deuito hæc potiùs, quantum poſſum: deſinamus igitur talia loqui. Nihilominus obiter tecum reputa, quid pro IESV dilecti tui amore nouiter agere, ac pati queas: ſi nouitatum nihil animo tuo aut occurrit, aut arridet; eorum aliquid capeſſe, quæ alij jam præiuerunt: atque id ob Chriſti amorem paſſus, totum cautè diſſimula; curáque, ne cuiquam pateat, quàm Patri luminum, qui videt, obſeruat, ac Cæli opibus omnes huiuſmodi, quantumuis arcanos, dolores liberaliter compenſat.

EXERCITIVM XXVII.

Pro die Lunæ IV. hebd. Quadrag.

Pro honore SS. Paſſionis Dominicæ aliquam ſibi vim inferre, exemplo P. Petri Fabri è Societate IESV.

NEMO eſt, qui ignoret, crudele ac continuum nobis bellum, acer-

rimas pugnas esse, quas propriæ cupiditates, ceu hostes domestici, indicunt, tantò magis periculosi, quantò sunt magis familiares: da mihi affectionum mearum victoriam, & sanctitatem dedisti: da mihi imperium, cuius freno sensus coërceam, nihil oculis, auribus, alijsque facultatibus gratioris illecebræ permittam, sanctus ero, aut sanctitatis proximè obtinendæ candidatus. Age! penes quem illa potestas & auctoritas erit, ijs me victorijs beandi? quis illud robur meis sensibus ac desiderijs indulgebit, ijs se rebus abdicandi, quę ampliùs illis blandiuntur? Non scio alium nisi IESVM supremum Magistrum, qui exemplo suo & memorabili subiectione omnium facultatum animæ suæ, omniúmque in corpore sensuum nobis explicuit, quid nostrâ causâ fecerit, & fieri eius amore à nobis deceat. Et quis non videt, quantum in tribus animæ viribus memoriâ, intellectu & voluntate pertulerit; dum videlicet innumerorum & enormium

pec-

peccatorum, & ingratorum mortalium meminit; dum interiùs à Diuinitate fuit sibi relictus; dum consolatio in sensus etiam redundans ei tantisper subtracta; dum voluntas profundissimo mœrore ob tot peccatotum jacturam & damnationem fuit afflicta; dum tristi horrore ac metu immanium tormentorum, quæ in eum hostes cudebant, concutiebatur: quid deinde non in quinque sensibus pertulit? oculi visis tot illusionibus, sannis, & insolenti capitalium hostium aduersum se gesticulatione cruciabantur: aures erant blasphemijs, iniurijs, falsis testimonijs & criminationibus in innocentem allatis offensæ: nares fœtor Caluariæ montis cruciabat, quorsum omnes vrbis Ierosolymæ sordes & purgamenta congerebantur: gustus immani siti fuit vexatus, in quâ lenimenti loco fel & acetum degustauit: tactus omnia tristissima sustinuit, spinis, clauis, funibus, flagrorum ictibus, sputis, pedum intorsionibus, & immitibus alapis crudeliter exceptus.

mei abstinete, siue concessum sit, siue vetitum, illam intueri: & ita de gustu, tactu & alijs sensibus. Atque hæc ratio vniuersis prodest, tam ijs, qui placere DEO cupiunt, etsi nullâ lege aut necessitate teneantur sibi vim inferre; quam ijs, qui ad peccandum sollicitati, labēdi discrimen adeunt: quod præclarum ac potens remedium S. Bernardus suggerit: Tentatus es, ait, respice Crucifixum, etsi præsens tibi in oculis non sit, animúmque ad Crucem verte, ac dic: *DEVS meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* hoc non admittam, hac etiam concessâ oblectatione me fraudabo, etiam vetitâ non vtar, ob amorem IESV, qui tanta pro me sustinuit.

Sed mittamus tentationes: hoc loco de egregijs nostros sensus triumphandi occasionibus agimus, quibus ad Sanctorum exempla rectè vsi, vltra vulgus emineamus. Lipomannus de S. Palæmone Abbate S. Pachomij moderatore refert, cùm Christi Resurgen-

tis festo die discipulus eius pro refe-ctione ordinarias herbas sale & oleo conditas, Paschalis lætitiæ habitâ ratione, attulisset, sanctum Senem viso eo ciborum apparatu tristari cœpisse, Christíque Patientis memoriâ in mentem reuocatâ dixisse: *Dominus meus crucifixus est, & ego nunc oleum comedam?* Cùm verò Pachomius responderet, Paschatis eum diem esse, cuius causâ posset aliquid de suâ austeritate remittere, etsi vehementer ei instaret, nihil inde voluit attingere; semper enim ei recurrebat: Dominus meus pro me crucifixus est, eius amore hac etsi permissâ voluptate me priuabo. Sed cuinam præstat, satisfacere, IESV, an gustui tuo? sterili ac perituræ voluptati indulgere, an verò illic maximam & æternam exspectare? sunt etiamnum egregiæ mentes, quæ ita viuunt & ratiocinantur. ô vt egregias illarum victorias nossemus! ipsis quidem satis est, DEVM testem esse: at nos celebre hoc exemplum exstimulet, ad oculos à curiositate refrenandos.

P, Pe-

P. Petrus Faber primus S. P. N. Ignatij Socius cùm Eboræ in Lusitaniâ versatus occasionem haberet, pompam spectandi, quâ Magnatum aliquis eam vrbem ingressus excipiebatur, ac omnes tam exquisitum apparatum, incedentium splendorem, & nobilis equitatûs superbum ordinem spectatum accurrerent, ipse clanculùm se à quibusdam proceribus abstraxit, quibus antè charitatis & animarum studio se adiungebat: indéque in proximum, quod obuium habebat, templum dilapsus, ante Crucifixi imaginem se prosternebat, atque inibi, ah! dulcissime IESV! inquiebat, hîc esse malo, quam inter humanæ vanitatis illicia hærere: perlubenter omnes has oculorum illecebras & cupiditatem dimitto, vt intueri blando obtutu sanctam tuam Humanitatem possim, quam hîc fixam in Cruce video: hoc amoris spectaculum præ altero vanitatis argumento mihi arridet: hîc dulcior oculorum in diuino theatro pastus est: quid me om-

nis ille ſplendor, quid faſtus juuat, ad quem tota ciuitas accurrit? hîc plus deliciarum ac fructûs inuenio; cùm minima interioris lætitiæ ac hilaritatis portio, quam modò deguſto, omni totius populi oblectatione præſtet: magnum ſanè damnum, magnam ſpiritûs jacturam facio, ſi talia diuerticula non quæro, dum alij ſenſus inania mihi ſimulacra & illicia obtrudunt: cùm hæc diceret, totus lacrimis conſolatione plenis diffluebat: jámque auidior factus, eiuſmodi victorias de ſuis vbique ſenſibus reportare, ſanctè decreuit, nullam ſe paſſurum occaſionem paulò proniorem elabi, quâ vincere ſeipſum poſſet; quin eam ob Seruatoris ſui reuerentiam vſurparet. a

a *Orlandinus in vitâ eius l. 2. cap. 18.*

EXER-

EXERCITIVM XXVIII.

Pro die Martis IV. hebd. Quadrag.

Peculiariter affici erga quinque CHRISTI Patientis mysteria, exemplo plurium fidelium, qui huc aliquam Rosarij partem applicant.

HAGIOPHILE, nemo in hunc diem fuit, qui pro dignitate magnitudinem immanium tormentorum IESV CHRISTI animo & cogitatione sit assecutus: solus, qui pertulit, eorum acerbitatem ęstimauit: neque hoc dixerim, velut non sanctæ animæ fuerint repertæ, quæ cæteris in hac cognitione præstiterint: inter quas fuit B. Angela de Fulginio, quam Deus cælesti lumine vehementer illustrauit, vt diceret, nullo sermone explicari posse, quod illa diuinitus didicisset; neque Sanctorum vllum, ac ne quidem DEI Matrem, etsi præ cæteris omnibus diuinâ luce præditam, ea penitùs animo complecti, aut verbis efferre posse.

Nihil-

Nihilominus contemplationis studiosi, ac omnes ij, qui accuratiùs considerârunt, quæ Dei Filius toto suppliciorum suorum decursu fuit perpessus, in eo conueniunt, quòd quinque Mysteria asserant, quę vehementiâ doloris cætera longè antecedunt, videlicet, Agoniam in horto & Sudorem sanguineum inde secutum, Flagellationem ad columnam factam, Coronationem spineam, gestationem Crucis ad Caluariæ montem, & ipsam Crucifixionem: hi altiùs acerbos cruciatus corporis, quos efficere crudelia tormenta potuêre, expenderunt; & licet eos ad fundum non penetrârint, attamen judicârunt, hos præ cæteris esse enormes & intolerabiles: quæ persuasio in eorum animis tenerum affectum erga hæc quinque mysteria excitauit; siue hoc argumentum sæpius sint meditati, siue ipsi similia studuerint experiri, aut certè pro honore & memoriâ horum dolorum, alios longè excedentium, Rosarij partem recitârint, quam

quam è mysterijs dolorosis seu tristibus constituunt.

Quòd si interdum, præsertim hodie, otiũ nanciscaris, coronam in hunc finem recitandi, quæ tertia pars est Rosarij, è numero illorum eris, qui sanctis hisce mysterijs se addicunt, & idcirco etiam gratiarum capax, ijs concessarũ, qui DEI hominis dolores recolendo, vnam è tribus Rosarij partibus persoluunt. Magnum DEI seruum tibi exhibebo, qui admodum recreabatur, ei se pietati impendere, ac DEI, súæq; dulcissimæ Matris Virginis cultum meditationi studióque quinq; tristium mysteriorum coniungere. Is est Alanus, a è S. Dominici familiâ: qui ante initam Religionem integrum quotidie Rosarium dixit, interim mysteria per tres gaudij, doloris, ac gloriæ classes meditatus: quæ omnia non sine ingenti fructu peregit; cùm enim adhuc miles militiam aduersus Albigenses sequeretur, magnum vitæ discrimen adijt, vndique

a *In Chronico S. Dominici, l. 1. c. 3.*

dique ab hostibus circumuentus,
Mater sancti amoris, quæ non sui t
tùm, sed Filij quoque sui memoriâ
lectatur, palàm ei conspicua opem
lit, & vti cælestis Amazon centu
quinquaginta saxa, totidem scilic
quot orbiculos Rosarium continet.
furentes illos lupos, eius exitio im
nentes, coniecit: eoque beneficio
tam ei ac victoriam seruauit. Alio t
pore cum in mari in præsenti nau
gij periculo versaretur, illicò in v
centum quinquaginta eminere pa
rupes visæ sunt, ab eo loco, vbi t
erat, ad ipsum littus æquali interu
disiunctæ; vt saltu eas attingere, at
ita euadere posset: veluti centum q
quaginta Rosarij orbiculi fuissent
totidem colliculos mutati, vt jussu
lij DEI, eiúsque SS. Matris vitam tu
tur. Post mortem quoque cælesti p
digio approbata illius pietas f
quando os illud, quod toties has p
preces iterabat, & manus quæ tam
ligiosè Rosarium in viuis tractaba
instar crystalli resplenduerunt.

EXE

EXERCITIVM XXIX.

Pro die Merc. IV. hebdomad. Quadrag.

Aliquod supplicium, dolorem, aut contemptum seligere, quo Christus fuit affectus, cui sis præ cæteris deuotus, exemplo S. Francisca.

QVEMADMODVM eorum, qui conuiuio intersunt, gustus diuersi sunt, & ea quisque sectatur, ad quæ animus magis propendet; ita prorsus in lauto amoris conuiuio contingit, in quod pro ferculis IESV CHRISTI tormenta inferuntur, ille mentium nostrarum amator vltimo vitæ suæ die ad celebrandum diem desponsationis suæ apparauit. Et hîc quoque gustus inter se differunt: aliqui plùs erga vnum quàm aliud mysterium sunt affecti: alij ampliùs cogitationem mentémque in vnum tormenti genus, iniuriam, contemptum, quàm omnia alia, defi-

deſigunt: quiuis ad id ſe conuertit, quod magìs illi probatur, quod plus illi admirationis plus conſideratione dignum habere videtur.

Hagiophile, vt tibi ſaliuam moueam, adducam hoc loco, in quam partem è conuiuis iſtis nonnulli oculos coniecerint. S. Franciſca, cuius rara pietas præterito ſæculo totam Romã in ſui admirationem rapuit, aliqua ex ijs tormenta elegit, quæ Dei Filio fuêre alijs acerbiora, vt eſt ſpinea corõa, vt ſunt pedes transfoſſi, & his ſimilia: in his deinde perpetuò vultu & animo hærebat, modò hoc, modò illud venerata, tali quidem ſucceſſu, vt, quamcunque in Chriſti SS. Corpore partem cruciatu affectam conſideráſſet, ijs ipſis membris illa etiam in ſuo corpore incredibiles dolores ac tales perferret, vt in ſingula momenta crederetur moritura.

B. Angela de Fulginio rem præcipuè cum Clauis habuit, quibus perforatæ ac terebratæ Chriſti manus fuêre, cùm fuit Cruci affixus: ac die quodam cùm

eum attentiùs animo perpenderet, quod audiebat, clauos videlicet secum intra lignum carnem in illâ confixione abripuisse, eam sui impotem tam inusitato fuisse dolore oppressam, vt membris capta in terram corrueret.

Iuliana raræ pietatis monialis ex Ordine S. Francisci de Paulâ Flagellationem sibi delegit: & vt memoriam eius tam crudelis supplicij retineret, solita est, paruam tabellam manibus præferre, vbi Christi ad columnam læsi imago visebatur: hæc eius omnium suauissima simul & maximè seria occupatio fuit; in quâ multum temporis collocabat, nunc eam genibus adorare, nunc magno commiserationis affectu intueri, aliquoties coram illâ plorare visa: hanc, postquam sacrificio diuino interfuit, ad prandij vsque tempus, à Vesperis in seram noctem tenebat. Ea tabula deinde post eius obitum magnâ veneratione asseruata, & templo B. V. Salutatæ, quod Milassi in eius patriâ visitur, dono data est. a

a *Ex lib. 7. hist. Minimorum.*

B. Ioan-

B. Ioannes de S. Mariâ eiusdem Ordinis, vt vocant, Oblatus, seu ad familiæ labores admissus, incredibili pietate in CHRISTVM populo à Pilato exhibitum ferebatur : neque aliam interorandum domi imaginem habuit, quã ille pluris fecit, quàm Reges coronas suas æstimant: quot añis certam diem, quæ fuit Dominica Passionis, festiuam egit, imagine illâ etiam publicè expositâ & ad templi portam affixâ, vt populus coram illâ preces persolueret: atque ita occasionem præbuit, vt progressu temporis dies ille solenni cultu celebraretur, quintâ Quadragesimæ Dominicâ ingenti multitudine vndequaque ad colendum hoc mysterium conuolante. Ipse constanter in hoc SS. mysterium pio ardore succensus eò deueniebat, vt nihil frequentiùs ei in ore esset, quàm hæ duæ voces, identidem repetitæ: *Ecce Homo*! a

Carolus IV. Imperator totus in Lanceæ ictu & Clauis fuit, quibus DEI Filius

a *Lib. 4. hist. Minimorum.*

lius fuit confossus; nec admirari satis bonitatem amabilissimi Redemptoris potuit, quòd etiam post mortem voluerit eâ se Lanceâ probrosè peti: vt testaretur, quantopere erga hæc SS. Passi Seruatoris Instrumenta propenderet, ab Innocentio IV. Pont. Max. postulauit, festum diem in honorem eius Lanceæ atque SS. Clauorum institui, ac eorum sacram memoriam quauis Feriâ VI. post Octauam Paschatis redire. *a*

Plures alij similia, aut diuersa Seruatoris nostri tormenta suo gustui delegerunt: quòd si & ego vellem ad tam diuersos affectus & studia Symbolam conferre, illa proferre me oporteret, quæ probati auctores *b* de multis Seruatoris nostri supplicijs singulatim prodidêre, juxta eas illustrationes & cogni-

a *Ex Molano in addit. ad Martyrolog.*
b *Petrus Calentinus in via Crucis.*
Landspergius homil. de Passione.
Adrichomius descript. Hierosol.
Ioannes Aquilinus Serm. de Passione.

cognitionem, quam DEVS quibusc
suis amicis contulit: quidquid
hîc dicerem, nouæ justæque ratio
forent, nostros animos accende
quædam igitur capita huc appon
vtatur, qui volet. IESVS amore n
sexagies & bis mille ducentas lacr
profudit, guttas verò sanguinis in
to trecentas quinque supra nonag
ac septies millenas: in SS. suo Cor
sexties mille sexcentos sexaginta
ictus excepit, centum ac decem ala
ictus in collo centum viginti, in ca
octuaginta quinque, in ventre trig
octo, in humeris sexaginta duos
brachijs quadraginta, in coxendic
tibijs triginta duos: bis ac trigesi
faciem eius sordida & probrosa s
sunt coniecta: os illi trigesies co
sum: instar canis pedibus abiectus
ties septuagies: ter ac decies pro
sus & solo afflictus: capillis trecen
tractus: barba illi euulsa, aut hinc
implicatâ manu distracta quinqua
octies: in Coronatione trecenta
n

nera à ſpinis impreſſa: ob noſtra peccata, pro noſtrâ ſalute, & conuerſione nongenties gemuit, ac ſuſpirauit: tormenta, quæ poterant ei præſentem mortem inferre, centum ſexaginta duo ſubijt: ſupremo in agone, velut jam eſſet mortuus, decies ac nouies fuit: à Pilati Prætorio vſq; ad Caluariæ montem portando Crucem ter centum viginti paſſus & vnum confecit. Quis jam dubitet, quin multi ſenſerint ſe incitari, vt admiratione, honore, & amore ſummo aliquas ex eius tam horrendis contumelijs proſequerentur?

Quæſò te, Hagiophile, dic modò, quodnám ex omnibus Myſterijs Dominicæ Paſſionis, quæ propoſui, aut ex ijs, quæ præterij, animum tuum ampliùs permouit, tibíque deinceps præ reliquis cordi erit? tergiuerſaris hoc mihi aperire: interim non celabo te, quantum inde emolumenti ſis percepturus; tantiſper adhuc me audi, tum ad alia tranſibo. Quondam aptè ad rem, de quâ nobis ſermo eſt, DEVS S.

N Mechtil.

Mechtildi his verbis solatio & ad
ratione dignis locutus est: a Quic
que Filio meo pro extremis dolori
quos in Cruce pertulit, gratias eg
rem illi tam gratam faciet, veluti s
cras eius plagas pretiosissimo vnge
inunxisset: qui eius ardenti in Cru
siti condoluerit, tanti faciet, atq; t
eius sitim exstinxisset: qui gratia
retulerit, quòd clauis se passus sit
Crucem agi, ita eum oblectabit,
quam de Cruce deposuisset. Si
omnia nondum singulare tibi stud
erga quodpiam peculiare mysteriu
inijciunt; addam, quod te conuin
Christianum mancipium nunqua
potuit Christi Crucifixi memoriâ
tiari; hoc opus inauditæ bonitatis
secum ac noctes reputabat: quæ co
tatio tristitiam ei attulit, ac persæp
lacrimas elicuit. Tyrannus herus
cùm id obseruâsset, causam ab eo
stulabat, cur tam tristi vultu ince
ret, neque cum suis commilitonib
hilar

a Lib. 2. gratiæ. cap. 14.

hilaritati se daret, cui mancipium negabat, se id posse, quandoquidem in eius cogitatione ac corde perpetuò illi IESVS Crucifixus obuersaretur: quo audito tyrannus, aut quòd esset illo responso offensus, aut curiositate ductus sciendi, num vera edixisset, jussit illi pectus findi, ac inde cor extrahi: in quo reperta est imago Christi in Cruce fixi exactè efformata, ceu indubitatum signum, eius erga hoc Mysterium pietatem DEO placuisse. a Hoc prodigium effecit, vt Barbarus ille ad veram Fidem conuerteretur: & adhuc vtique tantum habebit vigoris, vt possit te operâ illius propositi, quod concipies, in eorum cœtu collocare, qui caput aliquod singulare è Christi Redemptoris nostri, pro nobis Passi, historiâ maiori affectu prosequantur.

a *Cantipr. lib. 1. de apibus cap. vlt.*

EXERCITIVM XXX.

Pro die Iouis IV. hebd. Quadrag.

Piè erga septem Christi Stationes in eius SS. Passione affici, exemplo S. Coletæ.

HANC laudem S. Coletæ tribuût, quæ eximium sidus inter S. Claræ Moniales fuit, quòd incredibili affectu septem Christi Passi stationes recoluerit, ita quidem, vt, si sexus conditio & religiosa Professio ei iter Hierosolymitanum permisissent, libentissimè illuc se cōtulisset. Sed quod præstare pedibus non licuit, animo perfecit, sæpe illic versata, & paruis itineribus intenta, velut reuerâ inibi fuisset, precibus & meditationibus ad quamlibet metam peractis; & quemadmodum septem communiter stationes assignantur, prima ab aulâ, in quâ Christus cum Discipulis suis cænauit, vsque ad hortum Getsemani, vbi orauit, tri

ſtatus eſt, & ſanguinem ſudauit: ſecunda ab horto, vbi captus eſt, ad domum Annæ, in quâ quæſtionem ſubijt, ac alapam accepit: tertia ad ædes Caiphæ, vbi ſputis & colaphis petitus, ac reliquum noctis omnis generis ludibrijs atq; iniurijs fuit expoſitus: quarta apud Pilatum, vbi fuit à Iudæis ore corruptorum teſtium accuſatus: quinta in palatio Herodis, vbi fuit ab eo & eius miniſtris illuſus; ſexta fuit in reditu ad Pilati Præſidis domum, vbi flagellatus, coronatus ſpinis, & condemnatus ad mortem fuit: ſeptima in monte Caluariæ, cùm Crucem tulit, vbi in Crucem erat affixus: ita hæc ſancta Virgo, pro ratione diuerſorum locorum eiuſmodi ſua pia exercitia diſtinguebat, quantóque potuit honore hæc ſacra loca venerabatur, non aliter, quã ſi præſens illic adfuiſſet: ita nobis exemplo præiuit, quâ ratione loca ſancta poſſemus, abſque ſuſcepto in Palæſtinam itinere, honorare. Equidem Deus ſemper ijs propitium ſe exhibuit, qui

illuc ſunt reipsâ profecti, eóſque conſolationibus demulſit; vti plenæ ſunt hiſtoriæ. B. Doſitheus eò delatus ibidem reſipuit, & Dei Matrem pro magiſtrâ habuit. S. Ignatius Patriarcha noſter cùm illuc veniſſet, vix ab eâ tam ſanctâ ſede auelli potuit. Sed quoniam hoc iter nobis intempeſtiuum eſt, contenti ſimus, nos alio modo eò peruenire: hæc loca cogitatione viſamus, ac ſepties diuerſis in ſacellis, altaribus, locis, ceu hęc noſtra itinera eſſent, preces peragamus: qui facit, quantum poteſt, facit ſatis. Noui hominem his ſtationibus deditum, qui pedem nullum è cubiculo efferens, ſeptem diſtinctis locis in genua ſe demittit, illícque toties terræ oſculum figit, hoc exiguo labore, precibúſque, quas in qualibet ſtatione perſoluit, contentus: affirmátque, quando longiùs hinc abire non poſſit, ſatius eſſe, agere tantillum, quàm planè nihil.

Hagiophile, tu, qui facilia ſectaris, facilè in hanc ſententiam ibis. Sed vt

vt

vt sit, noli eousque hoc ipsum vrgere, vt S. Lydwina consueuit, ne dæmon tibi illudat, aut capiti malum accersas. Sæpe euenit, vt hæc S. Virgo cum dulcissimo IESV stationes ab horto Oliueti vsque ad Caluariæ montem obiret, ac in reditu pedes haberet pustulis plenos, tibias rimis hiantes, tanquam longum iter confecisset; labra præferret deformia, & velut à vento in fissuras exulcerata, totum corpus fatigatione langueret, rubi ac spinæ, ceu omnes vias percurrisset, in vestibus hærerent: & perquam credibile est, ita planè contigisse, neq; tantùm fortiùs impressam imaginem, aut profundam meditationem fuisse; sed corpus verè translatum, ac IESV sponsi sui dolores reipsâ illi, singulari gratiâ eiusdem, communicatos: quam nec tu, Hagiophile, nec ego exspectemus; quando nostra demerita longè à tam eximijs fauoribus nos arcent.

EXERCITIVM XXXI.

Pro die Ven. hebd. IV. Quadrag.

Historiam Christi Passi ex vno è quatuor Euangelijs recitare, exemplo P. Allartij ex Ordine Minimorum.

HIc vir perquam Religiosus aiebat, quoniam anima paruum quoddam regnum esset, se personam Regis acturum, ac imponere augeréq; tributa velle: è quibus vnum erat, certis temporibus sæpe Christi Passi historiam è quopiam Euangelio recitare. Hagiophile, vides te æquè, ac magnum hunc DEI seruum, in regno versari: tributa igitur impera: illud autem, quod nunc tracto, rationi ac æquitati conuenit; vrge, ac pro solutione insta, ac hodie, aut aliàs, cùm tibi vacabit, piè, attentè, modestè vnum ex Euangelijs huius argumenti perlege. Res ipsa loquitur, ac te vehementer ad sui vsum inuitas, vt necesse minimè sit, cau-

causas ad tibi persuadendum conquirere: satis est, si dicam hanc Christi ac Redemptoris tui Passi ac mortui historiam esse. Quòd si à me intelligere modum velis, quo bene ac sanctè id præstes, tribus verbis paulò antè illum dictaui: hoc solùm adiungo, si ita velis, expedire flexis genibus, ac tantâ attentione, meditatione & admiratione illam recitare, atque si nunc omnium primò minutim eius omnia adiuncta, & mortem tam inauditam ac luctuosam percepisses, à quo, cuius maleficio, cuius causâ fuisset tolerata. Et sanè si nunquam antè de re simili quidquam à nobis fuisset auditum, quanta & quã incredibilis admiratio nos teneret! Noli negligere, huius sancti Exercitij tibi vsum comparare, vt gustus, quem inde percipies, salubre tibi desiderium pariat, illud ipsum thema in supremo morbo audiendi, tunc maximè cùm in agone eris: hic certè præcipuus fructus est, quem afferre tibi hoc facto cupio; adhæc animi quoque hilaritate

donaberis, quâ DEVS illos ſolet afficere, qui ita moriuntur. Ego magnâ voluptate perfundor, quoties audio, in hac ſuaui Paſſionis & Sanguinis IESV CHRISTI conſideratione quempiam obijſſe: in hoc enim articulo hinc emigrandi magnam omnino fiduciam nobis conciliat.

Nunquam, credo, animum ad huiuſmodi felices obitus aduertiſti: id ergo nunc age. Quando B. Ioanna Luſitaniæ Princeps ſupremum jam ſpiritum ducebat, voluit ſibi Chriſti Paſſionem prælegi: cùmque legeretur, IESVM alapâ percuſſum, precata eſt, vt ei brachium leuarent; ac mox quantâ vi potuit, ſibi colaphum inflixit, addens: DEVS meus! ignoſce peccatis ancillæ tuæ!

Maria Stuarda Regina, quæ 18. Februarij anni 1587. obijt, ſupremum vitæ ſuæ diem eius Paſſionis lectione auſpicata eſt, quam ipſamet nudis in terrâ genibus legit, vt ita ad vltimam luctam, & ſupplicium ſibi paulò pòſt infe-

inferendum se animaret; ac jam tum propè lacrimas sanguinémque suum cum Sanguine IESV Seruatoris sui confundebat.

B. Agnes, quæ sanctè vitam inter Moniales S. Francisci de Paulâ traduxit, cùm videret, sibi supremam vitæ horam imminere, ab Antistitâ suâ postulauit, liceret sibi flexis genibus vitam claudere, dum legi supplicia, mortémque Christi audiret: tum voti compos in genua se demisit, brachijs in crucis modum decussatis; atque hoc corporis habitu piæ lectioni auscultauit: vbi verò de Christi alapâ legi cœptum est, tantâ vi manum sibimet incussit, vt adstantes omnes eius vires obstupescerent. At hic emorientis candelæ supremi igniculi & conatus fuêre; quippe cùm ea fuissent verba prolata: *Et inclinato capite emisit Spiritum*, ipsa quoque caput inclinauit, ac Spiritum DEO reddidit. O beatam mortem! mori genibus nixum, mori brachijs Crucis formam imitantibus, &

mori tunc, cùm audis è diuinâ Dei Hominis historiâ legi, IESVM esse mortuũ: quis quæso non ita mori optet?

EXERCITIVM XXXII.

Pro Sab. IV. hebd. Quadrag.

Litanias de Passione Domini dicere, exemplo eorum, qui eidem S. Mysterio sunt addicti.

TOTA quidem Christi D. N. vita perfectissimũ exemplar ac idea omnium virtutum mortalibus fuit; juxta illam nos à moderatoribus nostris, & ijs, quibus noster in Spiritu progressus cordi est, instituimur: nihilominus vide, quid de illius morte sentiant. Existimant illi, IESVM in SS. Passione suâ voluisse omnia in vnum cumulum congerere, quæcunque spatio triginta trium annorum verbis, & exemplo nos docuerit, omnésque diuinas suas actiones orbi vniuerso in supremo perfectionis gradu exhibere: veluti

veluti supplicia ac mors Christi vniuersæ vitæ illius, ceu ingentis Libri, epitome & compendium esset. Priori Exercitio auctor tibi fui, vt hoc compendio vtereris, ídque tibi familiare faceres: nunc vlteriùs progredior, aióque, Litanias de eadem SS. Christi Passione factas synopsin, & breuem enumerationem eorum esse, quæ Christus passus est; ac proinde vtile fore, illas & hodie, & aliàs vsurpare: quot voces, quibus constant, in se continent, totidem mysteria & capita sanctæ illius historiæ habes: hinc eueniet, vt leui negotio memoriâ possis repetere, quidquid DEI Filius nostrâ causâ pertulit. Has Litanias facilè in paruis libellis reperies, qui eiusmodi preces continent, præsertim verò in Enchiridio precum, & orationum pro ratione temporis^a; qui libellus paulò pòst eodem loco fuit impressus, vbi iste Gallicè editus venalis prostat.

Hagiophile, malo te ad dicendas de

a *Lugduni*.

ChriſtiPaſſioneLitanias inuitare, q
ad P. Buzæi praxin adhortari: coı
uit ille ſingulis per diem horis pa
aliquam è Chriſti Paſſione breuite
modum expendere; in quem fir
eam totam in viginti quatuor cap
diſtinxit, totidem ſcilicet, quot h
dies naturalis complectitur. Neo
ti in Regno Bungo idem ſolebant,
litteris Indicis habetur: quod ſan
rum eſt in hominibus, nuper prin
ad veram Fidem traductis. Nol
ad has iterationes vrgere; poſſe
tuæ valetudini obeſſe: pietatem c
eſſe non violentam, & imaginanc
cultas, quàm fieri poteſt, à conte
ne nimiâ eſt reuocanda: Sufficit, i
te moderatè occupare, faciliq; ac
ui lenocinio demulcere. Iſtæ Lit
hæc omnia ſupplent, etiam cùm to
Chriſti Patientis ſeriem animo eu
mus: & eadem operâ precamur, D
nobis miſericordem & propitium
ri. Experientia docet, quantum h
ſcemodi breues, variæque cogitati

in ſimilibus argumentis fructum afferant: hæc idcirco dico, vt memineris, omnia Litaniarnm capita placidè, ſed non curſim enuntianda; dummodo poſſis de re cogitare, quam dicis, eámque quantulacunque morâ expendere, ſatis eſt. Hoc monitum meum re memorabili confirmabo, è quâ optimam rationem ediſcas, quæ in ſimilibus precibus obſeruari poteſt: res eſt, quæ ad Chriſti Paſſionem ſpectet, nóſque in eâ ipsâ materiâ, quam tractamus, erudiat: nihil eſt à præſenti inſtituto alienum.

Vir honoratus, qui opibus ac prudentiâ pollebat, ad P. Petrum Fabrum è Bocietate noſtrâ inuiſebat, cùm valliſoleti, quorſum erat à S. Ignatio miſſus, in Dei causá laboraret: ibi poſt peracta ſalutandi officia Patrem rogauit, vellet ſibi meditandi rationem tradere: cui pius ille magiſter nouo diſcipulo tunc non aliud penſum præſcripſit, niſi has quatuor propoſitiones, quas eum jubebat ſubinde breuiter animo ver-

versare: IESVS est pauper, & ego d
IESVS tolerat famem, & ego lautè v
IESVS est in Cruce nudus, & ego s
splendidè vestitus: IESVS est mol
& labore oppressus, & ego quiet
dulgeo. Post hæc vir ille discessit
aliquantùm offensus, minoris p
suum magistrum cœperit æstimar
quo ex vulgi famâ magnam opi
nem conceperat: diu est, secum
reputabat, cùm hæc sciui, quæ mih
cinuit. Accidit verò, vt non multò
ad solenne conuiuium inuitato ea
tuor documenta in animum veni
tanto animi sensu, tãto amore ac
miseratione erga IESVM flagranti
lacrimis inde prorumpentibus co
fuerit in cubiculum secedere, ac
otium paucorum verborum vim
ratiùs perpendere; quę quòd com
dio Christi Passi ærumnas tradere
non ideò minus, quàm tota volu
potuêre ad magnam eius homini
gem conferre. Eo finito, denuo
tûs sui magistrum adibat, totám
g

gestæ rei seriem exponebat, professus posthac se in eius potestate totum fore. Eum P. Faber S. Ignatij Exercitijs applicuit, quibus mirum in modum profecit; ita factum est, vt in dies seipso melior, ad magnam virtutem peruenerit. *a* O vt posses Litanias Patientis Christi simili studio expendere! consolatio tibi copiosa cum pari fructu obtingeret.

a *In vita P. Petri Fabri l. 2. cap. 19.*

EXERCITIVM XXXIII.

Pro V. Dom. Quadrag.

Desiderare, ac petere Martyrio affici, & IESV CHRISTI amore mortem subire, exemplo S. Petri Martyris.

Hic cumulus felicitatis Christi Crucifixi amatoribus est, eius causâ mori, ac vitam vitæ, sanguinem sanguini rependere in signum eius amoris, quo in eum feruntur. Nescio profectò, quid vspiam in hoc Orbe possit experti à quoquam, si nos hic

honor

honor non afficiat. Veri amoris
palàm edicunt, vicem esse amanti
reddendam, ac tantundem ipsis
standum, quantum nostra causâ
penderunt. Si quid potest IESV e
nos amori respondere, nescio quic
præstantius, quàm eius causâ mor
pro nobis mortem subijt: qui e
suam alteri vitam impendit, ampl
dare nil potest: & qui pro IESV a
vitam perdit, etsi tam nobilem, ta
cellentem, tanti momenti vitam a
tere non queat, atque DEI Homi
fuit; nihilominus donando illi su
vitam, dat quantum potest; nec a
per omnes suas leges vltra exig
quidquam ausit: nisi, postquam
amoris miraculum millies, iterún
millies sumus ad vitam resuscitati
amoris jubeat nos rediuiuos iter
millies, ac millies eius causâ vitã
fundere, qui dignus est, cuius amo
infinitis vicibus moriamur.

Hagiophile, hac apud te oratio
vtor, vt te doceam, quantopere pe

ges præcipui amoris, quo in IESVM propendes, tenearis ardenter concupiſcere, continuiſque precibus inſtare, vt pro eius honore, ac ſancta causâ tibi mori liceat. Quidquid modò dixi, denuo affirmo, ac exquiſitâ ratione ſtabilio, quam cupio altè te in animum admittere: videlicet, vt certò tibi perſuadeas, IESV CHRISTO æquè te eſſe obſtrictum, etſi omnium causâ ſit mortuus, atque ſi pro te ſolo mortem oppetijſſet. Hæc mens, hic ſenſus S. Pauli fuit, cùm dixit: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, a & hoc jure dixit, nóſque omnes ijs vti verbis poſſumus: quandoquidem beneficium iſtud tantum mihi confert, quantum, ſi ego ſolus accepiſſem; eo prorſus modo, vt ait S. Chryſoſtomus, quo ſol tantundem mihi lucis confert, ſiue me ſolum illuſtret, ſiue alijs etiam radios indulgeat: hoc enim liberalitas donum non imminuit, ſed potiùs auget, dum alijs lumen præferendo, homines idoneos reddit, qui me juuent, qui conſo-

len-

a *Ad Galat.* 2.

lentur, qui mihi pro præſenti vſ
nefaciant: pari ratione, quòd DE
factus homo, quòd mortem in Cr
obierit, non minùs eſt mihi vtile, q
ſi pro me ſolo hæc patrâſſet: & aſ
re, hoc alijs quoque prodeſſe, ne
vtilitati, neque beneficio meo c
quam ſubducit; quin magis exau
quando ſic ſocios nanciſcor, quo
operâ Deum benefacientem amp
demereri, ac laudare poſſum. P
rea conſiderandum eſt, DEI amo
in ſingulos fuiſſe tam magnum,
vni ſoli ſuum amorem addixiſſe
quantum ad voluntatem, amorê
IESV CHRISTI attinet, æquè pro
fuit, ſi neceſſe foret, pro ſingulis,
pro vniuerſis cruciari: & profect
iungit idem Os aureum, amor Fil
tam fuit profuſus vt vnius hon
causâ non recuſâſſet facere, qu
mundo vniuerſo ſuſcepit: qui
tum ac indubitatum eſt, DEVM
tui fuiſſe ſingillatim memorem,
oculis habuiſſe, cùm factus ho

mortuus in Cruce fuit, ac censuisse, magnum operæ & mortis suæ pretium fore, si mihi vitam redderet, atque ex Orci faucibus suâ me morte redimeret: vt adeò tanti quisque facere hoc beneficium debeat, quasi sibi vni fuisset destinatum, nec aliter hoc incomparabile munus æstimare, quàm si solus accepisset.

6. Hoc argumentum ita deductum, si probè expendas, atque eidem talionis legẽ, ab amore ingenuo dictatam, coniungas, quæ jubet nos amanti paria referre; in nobis efficiet, vt vehementer optemus, & à DEO postulemus, eius amore mori. Atque hoc est magnum desiderium, Hogiophile, quo deinceps ardebis, hæ preces, quibus hodie, ac totâ posthac vitâ quotide vacabis, si apud te fidem inuenio.

7. De modo ac tempore maximè ad hoc agendum idoneo, vt & de spe, quam concipere possumus, nos voti compotes futuros, nolo hîc quidquam apponere: interim quosdam Martyrij

amantes tibi ſiſto, qui id te docebunt: attende, quem modum illi, quodnam tempus, ac temporis morã tenuerint, eóſque æmulare, faciendo quod illi egerunt, ſi quidem amas, vt illi amârunt.

Eorum, qui pro amore & causâ IESV CHRISTI moriendi deſiderio arſerunt, multi ſunt ac præcipui. S. Franciſcus Seraphicus amoris inſtinctu eâ omninò de causâ ad Infidelium terras iter inſtituit, vt[a] ardentibus pro Chriſto moriendi deſiderijs illic fieret ſatis: hoc quotidie à DEO breui quidem, ſed calenti oratione poſtulabat: *Abſorbeat, quæſo Domine, mentem meam ignita & melliflua vis amoris tui, vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.*

S. Antonius incredibili Martyrij cupiditate flagrabat: idcirco durante Maximini perſecutione eremum deſeruit, & Alexandriam profectus eſt, vt illic Martyres ſolaretur, inuiſeret, ac iuuaret, animos eis addens, etiam cùm

ad

ad Iudicum tribunalia raperentur. Sed cùm publico decreto jussi fuissent Monachi vrbe excedere, nihil tunc quidem profecit: altero verò manè candido elegantíque amictu indutus iterum in publicum prodijt, vt faciliùs agnosceretur: nihilominus DEVS illius voluntate contentus, opus illi negauit: quare coactus fuit ad solitudinem & Martyrium suarum austeritatum & perpetuæ secum pugnæ reuerti.

S. Antonius de Paduâ non aliam ob causam Religionem inijt, nisi vt occasionem martyrij consequeretur; quàm gratiam à DEO quotidianis precibus vrgebat. S. Petrus Martyr quotidie idipsum postulabat, quoties S. Hostia eleuaretur, siue rei diuinæ interesset, siue ipse operam daret, ídque tam felici successu, vt deníque eius, quod tantopere expetebat, compos fieret. Iacobus Salesius Martyr è Societate nostrâ decem annis S. Petrum in hoc voto, quoties S. Hostia in sacro attollebatur, imitatus, in Hæreticorum tandem crude-

crudelitate Albonaci in ditione
cariensi adeptus est, quod tam
tam ardenter à Cælo flagitabat.

Sed in hac sanctâ ambitione, a
ximis Martyrij desiderijs illud
est admirādum, vnde illi, qui hui
riæ tam cupidè inhiant, etsi DEVS
rum votis non acquiescat, poss
consolari; quòd DEVS nonnunq
eiusmodi Martyrij candidatos ec
mio in Cælis afficiat, velut reipsa
eius causâ profudissent. S. Ant
Anachoreta, S. Franciscus Seraph
S. Antonius de Paduâ, B. Ludou
Bertrandus è S. Dominici famil
quidam alij quotidie apud DEV
illo beneficio instabant; quoru
men piam voluntatem DEVS acc
uit: intelligo: sed num inde vis
re; quòd alij, qui eiusmodi desi
sunt accensi, suæ voluntatis in
præmium non consequantur? D
quidem re Fides nihil præscribit
tamen piè mihi persuadeo: qu
eo colligas velim, quod subiung
gra

gratiam enim, quam DEVS quibusdam exhibuit, alijs quoque potest conferre.

In vitâ Venerabilis Matris Annæ de S. Bartholomæo, Carmelitanæ habetur, eam in Cælo tres coronas accepisse, prout sanctæ cuidam Moniali eiusdem Instituti fuit diuinitus reuelatum, quarum vna Martyrij fuit, peculiari gratiâ illi concessa, quòd illud tam vehementer precibus & suspirijs ac magnâ animi desiderio languentis contentione flagitâsset. Historia Seruorum B. V. simile quiddam de B. Ioachimo Senensi eiusdem Ordinis recenset: quid non tentauit, vt à IESV facultatem fundendi pro ipso sanguinis obtineret, aut certè si consequi illam nō posset, saltem ei liceret, ad cælestem gloriam & eam corollam promerendam, grauissimis in corpore morbis ac doloribus exerceri? Ac tantum eæ preces potuêre, vt voto potiretur: quippe DEVS morbum ei perquam grauem ac molestum immisit, vt totum eius corpus exulceratum & à vermibus corro-

ſum totâ reliquâ vitâ crudelem in modum torqueretur: cúmque ſupremus illi dies immineret, B. Virgo illi conſpicua duas coronas, vnam Martyrij, alteram integritatis obtulit; illam quidem, quòd eam ambiuiſſet; hanc verò, quod per omnem vitam illæſam Virginitatem ſeruâſſet.

Agant alij, quod volent: ego ſtudebo hanc à DEO gratiam conſequi, vt eius amore mihi ſit mori conceſſum, ac ei paria referre, quando meâ cauſâ dignatus eſt ipſe mori: in quem finem quotidie S. Franciſci Seraphici orationem, quàm ſuprà retuli, vſurpabo: adhæc ſub miſſæ ſacrificio, cùm S. Hoſtia in altum leuabitur, eadem poſtulata vrgebo, ac ſemper, dum viuo, memoriæ pauculos illos verſus obijciam, qui olim Franciſci Fernandez è Societate noſtrâ Martyris, in Regno Bengalâ pro verâ Fide anno 1602. interempti, gratiâ facti ſunt:

Ad patrium vario properamus tramite Cælum:
Hic terras peragrat; nauigat alter aquas.

Sed

Sed Mare Purpureum, generoso sanuine tinctum,
Ægypto profugis maius adornat iter:
Siccus enim fuso dum Martyr sanguine pergit,
Absque rate ad Cælos, & sine ponte venit.

EXERCITIVM XXXIV.

Pro die Lunæ V. hebd. Quadrag.

Pium librum legere, qui de Cruce, aut Morte Christi agat, exemplo P. Cæsaris Buzai.

OMNINO certum est, Christi Crucem Librum esse omnium præstantissimũ, & pulcherrimum, qui eleganti typo & characteribus amoris conscriptus, Patientis DEI Hominis acta contineat. Præcipuæ virtutes, quarum exemplar nobis ad imitandum IESVS reliquit, & quidquid agendum nobis est, in illa non atramento, sed pretioso eius sanguine cõsigna-

tũ fuit: cuius operis characteres Clauis, spinis, lanceæ cuspide, ictibus flagellorum, loco calami sunt exarati: atque hic est Christi Passi liber, quem præ cunctis alijs B. Iuliana ex Ordine Seruitarum euoluit: hunc ita legit, ac relegit, toties versauit ac percurrit, vt post mortem eius pectori, quâ parte cor latet, inscriptus apparuerit. Post hunc tam illustrem & celebrem Passionis Dominicæ librum sunt aliorum mysteriorum, quæ in hac supremâ luctâ DEI Filius peregit, repræsentationes, vt & omnia SS. instrumenta, ad Christi supplicia mortémque adhibita; quæ pluris à nobis fieri cæteris solent: ea sunt totidem sacra volumina, quibus hæc sancta historia enarretur, à religiosis mentibus pro opportunitate perlecta: alijs emblema Caluariæ montis placuit; alij lanceæ ductus, spõgiam alij felle imbutam, alij alia prætulerunt. S. Catharina Senensis Coronam spineam legebat: Anna Bellouacensis Vrsulina tribus Clauis inhæsit;

de

de quâ dicitur, cùm acu aliquid ei pingendum esset, quâ arte ante alias præstabat, summè ei volupe fuisse, clauos & alium Christi Passi apparatum acu elaborare: nouerátque eleganti formâ hoc laboris thema concinnare, vtpote quæ sæpe eiusmodi libris immorata eorum peritiam hausisset.

Hi quidem Libri omnes idem de Christo Passo argumẽtum pertractant: sed de his non est hîc agendi locus; alios intelligo, qui narrationes, meditationes, & idoneas de Mortis ac suppliciorum Christi historiâ cogitationes suppeditent; hi quoque nobis sunt euoluendi, hodie imprimis, Feriâ quauis sextâ, & hebdomade maiori; vt eam notitiam affectúsque inde promamus, quos DEVS à nobis exigit. P. Cæsar Buzæus magnas inde consolationes hauriebat; & hinc datâ operâ sæpius Caput illud *De Regiâ viâ S. Crucis*, quod est de Imitatione Christi libri II. Caput XII. prælegi sibi curauit. Hoc argumentum multi insignes libri tractãt,

quorum aliquos expedit te cum dele-ctu habere. Alphonsus Rodriquez Tom. II. de Perfectione pulchrè hoc thema explicauit: item Ludouicus Granatensis in suis admodum pijs Meditationibus, & dissertationibus: Ludouicus de Ponte Tom. II. parte 4. quinquaginta Meditationibus hoc ipsum egit; multíque alij Auctores mirè sunt in hac materiâ versati: hos lege; illorum lectio te cōsolabitur, instruet, memoriam sanctis cogitationibus ad meditandum distinebit, ad IESV ac eius diuinarum virtutum amorem excitabit, ac denique ad eius commiserationem permoto amoris ac doloris lacrimas eliciet.

EXERCITIVM XXXV.

Pro die Martis V. hebd. Quadrag.

Quædam de Passione Christi mysteria meditari, exemplo S. Catharinæ Suedicæ.

S. BERNARDVS existimat, *a* meditationem de Morte & Cruciatibus

a In stimulo diu. amor. cap. 1.

bus Christi institutam omnia posse; & mentem quãtumuis obduratam emolliri, si eas cogitationes altiùs in animum admittat. Addit, quemadmodũ olim Mors Christi terram concussit, petras disrupit, tumulos aperuit, ac templi velum medium scidit; eadem ratione meditationem hos admirandos effectus producere; quandoquidem illi, qui seriò illam expendunt, si sunt rebus terrenis affixi; metu & horrore concutiuntur, ne DEVS in illos animaduertat, qui proprio Filio suo non pepercit: si sunt animorum obstinatione rupibus & marmori pares; concepto de sceleribꝰ suis dolore, ac suppliciorum in DEI Filio commiseratione franguntur: si in putidis sepulcris occultorum criminum fœtore delitescunt; sanctâ confessione apertis animis, suas sordes exhalant: verbo, si velum indomitæ brútæque cupiditatis à Deo te separet, viso IESV Crucifixo confestim laceratur, ac immensæ eius SS. Humanitatis Diuinitatísque opes clarè se ostendunt.

Hæc ſola conſideratio poſſit nos ad tam ſanctum meditandi ſtudium exſtimulare: quod verò S. Albertus Magnus affirmat, a longè maius apud nos pondus habeat. Meditatio Chriſti Domini noſtri, aiebat vir ſanctus, plus vtilitatis homini adfert, quàm annum totum ſolo pane & aquâ tranſigere, quã diebus ſingulis flagris ſe ad ſanguinem cædere, ac totum Pſalterium quotidiè recitare: quia hæc exercitia, etſi bona & ſancta, nihilominus, ſi vt opera exteriora conſiderentur, vim tantam non habent, animum à vitijs purgandi, prauos affectus à radice curandi, ac virtutes inſerendi; quàm eorum, quæ Chriſtus noſtrâ causâ ſuſtinuit, meditatio; quæ nos omnibus bonis cumulare, ac inſuper ſtudium, noſtra corpora ſalubri aſperitate caſtigandi, animis ingenerare poteſt.

Cùm itaque huiuſmodi Meditationes tam ſint fructuoſæ, negligendæ nõ ſunt: adhæc videmus, Sanctos in eas fuiſſe

a *In roſ. ſpirit. exercit. titulo 22. c. 1.*

fuisse admodum propensos, ac magnâ inde emolumenta retulisse quæ res nos ad imitandum accendat, prout cuíque commodum fuerit, útque de libris hoc argumento meditandi cõscriptis prospiciamus, quibus tempore à nobis definito vtamur. Noui DEI Seruum, qui quotidie pro expẽdendo quopiã è Passione Christi capite quadrantem horæ insumat: alij quauis Feriâ VI. id agunt, ac totâ insuper Quadragesimâ diurnæ meditationis horam huic argumento impendũt. P. Cæsar Buzæus vir magnæ sanctitatis quot annis per tres ac triginta dies statas meditationes de hac materiâ instituit: S. Catharina Suedica quotidie quatuor ei horas dedit.

Magnum sanè fructum huic exercitio subesse necesse est, si verũ est, quod in rebus gestis S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis habetur. Is cùm adhuc adolescens solus ruri ambularet, sanctis interim cogitationibus occupatus, pueri specie IESVS elegantissimâ illi se formâ exhibuit, ac post varia bene viuendi documenta, magnopere

crudelitate Albonaci in ditione Viccarienſi adeptus eſt, quod tamdiu, ac tam ardenter à Cælo flagitabat.

Sed in hac ſanctâ ambitione, ac maximis Martyrij deſiderijs illud planè eſt admirãdum, vnde illi, qui huic gloriæ tam cupidè inhiant, etſi DEVS illorum votis non acquieſcat, poſſint ſe conſolari; quòd DEVS nonnunquam eiuſmodi Martyrij candidatos eo præmio inCælis afficiat, velut reipſa vitam eius causâ profudiſſent. S. Antonius Anachoreta, S. Franciſcus Seraphicus, S. Antonius de Paduâ, B. Ludouicus Bertrandus è S. Dominici familiâ, & quidam alij quotidie apud DEVM pro illo beneficio inſtabant; quorum tamen piam voluntatem DEVS acceptauit: intelligo: ſed num inde vis dicere; quòd alij, qui eiuſmodi deſiderijs ſunt accenſi, ſuæ voluntatis in cælo præmium non conſequantur? De hac quidem re Fides nihil præſcribit; ego tamen piè mihi perſuadeo: quod ex eo colligas velim, quod ſubiungam;

gratiam

gratiam enim, quam DEVS quibuſdam exhibuit, alijs quoque poteſt conferre.

In vitâ Venerabilis Matris Annæ de S. Bartholomæo, Carmelitanæ habetur, eam in Cælo tres coronas accepiſſe, prout ſanctæ cuidam Moniali eiuſdem Inſtituti fuit diuinitus reuelatum, quarum vna Martyrij fuit, peculiari gratiâ illi conceſſa, quòd illud tam vehementer precibus & ſuſpirijs ac magnâ animi deſiderio languentis contentione flagitâſſet. Hiſtoria Seruorum B. V. ſimile quiddam de B. Ioachimo Senenſi eiuſdem Ordinis recenſet: quid non tentauit, vt à IESV facultatem fundendi pro ipſo ſanguinis obtineret, aut certè ſi conſequi illam nõ poſſet, ſaltem ei liceret, ad cæleſtem gloriam & eam corollam promerendam, grauiſſimis in corpore morbis ac doloribus exerceri? Ac tantum eæ preces potuêre, vt voto potiretur: quippe DEVS morbum ei perquam grauem ac moleſtum immiſit, vt totum eius corpus exulceratum & à vermibus corroſum

ſum totâ reliquâ vitâ crudelem in modum torqueretur: cúmque ſupremus illi dies immineret, B. Virgo illi conſpicua duas coronas, vnam Martyrij, alteram integtitatis obtulit; illam quidem, quòd eam ambiuiſſet; hanc verò, quod per omnem vitam illæſam Virginitatem ſeruâſſet.

Agant alij, quod volent: ego ſtudebo hanc à DEO gratiam conſequi, vt eius amore mihi ſit mori conceſſum, ac ei paria referre; quando meâ causâ dignatus eſt ipſe mori: in quem finem quotidie S. Franciſci Seraphici orationem, quàm ſuprà retuli, vſurpabo: adhæc ſub miſſæ ſacrificio, cùm S. Hoſtia in altum leuabitur, eadem poſtulata vrgebo, ac ſemper, dum viuo, memoriæ pauculos illos verſus obijciam, qui olim Franciſci Fernandez è Societate noſtrâ Martyris, in Regno Bengalâ pro verâ Fide anno 1602. interempti, gratiâ facti ſunt:

Ad patrium vario properamus tramite Cælum: (aquas.
Hic terras peragrat; nauigat alter
Sed

Sed Mare Purpureum, generoso sanguine tinctum,
Ægypto profugis maius adornat iter:
Siccus enim fuso dum Martyr sanguine pergit,
Absque rate ad Cælos, & sine ponte venit.

EXERCITIVM XXXIV.

Pro die Lunæ V. hebd. Quadrag.

Pium librum legere, qui de Cruce, aut Morte Christi agat, exemplo P. Cæsaris Buzæi.

OMNINO certum est, Christi Crucem Librum esse omnium præstantissimũ, & pulcherrimum, qui eleganti typo & characteribus amoris conscriptus, Patientis DEI Hominis acta contineat. Præcipuæ virtutes, quarum exemplar nobis ad imitandum IESVS reliquit, & quidquid agendum nobis est, in illa non atramento, sed pretioso eius sanguine cõsignatum

tũ fuit: cuius operis characteres Clauis, spinis, lanceæ cuspide, ictibus flagellorum, loco calami sunt exarati: atque hic est Christi Passi liber, quem præ cunctis alijs B. Iuliana ex Ordine Seruitarum euoluit: hunc ita legit, ac relegit, toties versauit ac percurrit, vt post mortem eius pectori, quâ parte cor latet, inscriptus apparuerit. Post hunc tam illustrem & celebrem Passionis Dominicæ librum sunt aliorum mysteriorum, quæ in hac supremâ luctâ DEI Filius peregit, repræsentationes, vt & omnia SS. instrumenta, ad Christi supplicia mortémque adhibita; quæ pluris à nobis fieri cæteris solent: ea sunt totidem sacra volumina, quibus hæc sancta historia enarretur, à religiosis mentibus pro opportunitate perlecta: alijs emblema Caluariæ montis placuit; alij lanceæ ductus; spõgiam alij felle imbutam, alij alia prætulerunt: S. Catharina Senensis Coronam spineam legebat: Anna Bellouacensis Vrsulina tribus Clauis inhæsit;
de

de quâ dicitur, cùm acu aliquid ei pingendum esset, quâ arte ante alias præstabat, summè ei volupe fuisse, clauos & alium Christi Passi apparatum acu elaborare: nouerátque eleganti formâ hoc laboris thema concinnare, vtpote quæ sæpe eiusmodi libris immorata, eorum peritiam hausisset.

Hi quidem Libri omnes idem de Christo Passo argumẽtum pertractant: sed de his non est hîc agendi locus; alios intelligo, qui narrationes, meditationes, & idoneas de Mortis ac suppliciorum Christi historiâ cogitationes suppeditent; hi quoque nobis sunt euoluendi, hodie imprimis, Feriâ quauis sextâ, & hebdomade maiori; vt eam notitiam affectúsque inde promamus, quos DEVS à nobis exigit. P. Cæsar Buzæus magnas inde consolationes hauriebat; & hinc datâ operâ sæpius Caput illud *De Regiâ viâ S. Crucis*, quod est de Imitatione Christi libri II. Caput XII. prælegi sibi curauit. Hoc argumentum multi insignes libri tractãt,

quorum aliquos expedit te cum delectu habere. Alphonsus Rodriquez Tom. II. de Perfectione pulchrè hoc thema explicauit: item Ludouicus Granatensis in suis admodum pijs Meditationibus, & dissertationibus: Ludouicus de Ponte Tom. II. parte 4. quinquaginta Meditationibus hoc ipsum egit; multíque alij Auctores mirè sunt in hac materiâ versati: hos lege; illorum lectio te cõsolabitur, instruet, memoriam sanctis cogitationibus ad meditandum distinebit, ad IESV ac eius diuinarum virtutum amorem excitabit, ac denique ad eius commiserationem permoto amoris ac doloris lacrimas eliciet.

EXERCITIVM XXXV.

Pro die Martis V. hebd. Quadrag.

Quædam de Passione Christi mysteria meditari, exemplo S. Catharinæ Suedicæ.

S. BERNARDVS existimat, a meditationem de Morte & Cruciatibus

a *Instimulo diu. amor. cap. 1.*

bus Christi institutam omnia posse; & mentem quãtumuis obduratam emolliri, si eas cogitationes altiùs in animum admittat. Addit, quemadmodũ olim Mors Christi terram concussit, petras disrupit, tumulos aperuit, ac templi velum medium scidit; eadem ratione meditationem hos admirandos effectus producere; quandoquidem illi, qui seriò illam expendunt, si sunt rebus terrenis affixi; metu & horrore concutiuntur, ne DEVS in illos animaduertat, qui proprio Filio suo non pepercit: si sunt animorum obstinatione rupibus & marmori pares; concepto de sceleribꝰ suis dolore, ac suppliciorum in DEI Filio commiseratione franguntur: si in putidis sepulcris occultorum criminum fœtore delitescunt; sanctâ confessione apertis animis, suas sordes exhalant: verbo, si velum indomitæ brútæque cupiditatis à Deo te separet, viso IESV Crucifixo confestim laceratur, ac immensæ eius SS. Humanitatis Diuinitatísque opes clarè se ostendunt.

Hæc ſola conſideratio poſſit nos ad tam ſanctum meditandi ſtudium exſtimulare : quod verò S. Albertus Magnus affirmat, a longè maius apud nos pondus habeat. Meditatio Chriſti Domini noſtri, aiebat vir ſanctus, plus vtilitatis homini adfert, quàm annum totum ſolo pane & aquâ tranſigere, quã diebus ſingulis flagris ſe ad ſanguinem cædere, ac totum Pſalterium quotidiè recitare: quia hæc exercitia, etſi bona & ſancta, nihilominus, ſi vt opera exteriora conſiderentur, vim tantam non habent, animum à vitijs purgandi, prauos affectus à radice curandi, ac virtutes inſerendi; quàm eorum, quæ Chriſtus noſtrâ causâ ſuſtinuit, meditatio; quæ nos omnibus bonis cumulare, ac inſuper ſtudium, noſtra corpora ſalubri aſperitate caſtigandi, animis ingenerare poteſt.

Cùm itaque huiuſmodi Meditationes tam ſint fructuoſæ, negligendæ nõ ſunt: adhæc videmus, Sanctos in eas fuiſſe

a *In roſ. ſpirit. exercit. titulo 22. c. 1.*

fuisse admodum propensos, ac magnâ inde emolumenta retulisse quæ res nos ad imitandum accendat, prout cuíque commodum fuerit, útque de libris hoc argumento meditandi cõscriptis prospiciamus, quibus tempore à nobis definito vtamur. Noui DEI Seruum, qui quotidie pro expẽdendo quopiã è Passione Christi capite quadrantem horæ insumat: alij quauis Feriâ VI. id agunt, ac totâ insuper Quadragesimâ diurnæ meditationis horam huic argumento impendũt. P. Cæsar Buzæus vir magnæ sanctitatis quot annis per tres ac triginta dies statas meditationes de hac materiâ instituit: S. Catharina Suedica quotidie quatuor ei horas dedit.

Magnum sanè fructum huic exercitio subesse necesse est, si verũ est, quod in rebus gestis S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis habetur. Is cùm adhuc adolescens solus ruri ambularet, sanctis interim cogitationibus occupatus, pueri specie IESVS elegantissimâ illi se formâ exhibuit, ac post varia bene viuendi documenta, magnopere

illi suasit, vt ab eo deinceps tempore, quolibet die sacrum aliquod Mysterium è vitâ, aut Morte, ac Cruciatibus suis animo reuolueret; certò pollicitus, hac ratione se ab hostium insultibus eum liberaturum, omnis generis virtutes procuraturum, ac tandem ad bene felicitérque moriendum illi præsidio fore: quantum ex eo consolationis, quantum gaudij Edmundus percepit! quantâ sedulitate monenti est obsecutus! quàm jucundum illi reliquum vitæ fuit! quis eum imitari, quis paria facere conabitur? quis dein felici morte obibit? tu, Hagiophile, tu, amice Lector, hæc age, hæc exspecta.

EXERCITIVM XXXVI.

Pro die Merc. V. hebdomad. Quadrag.

Ad condolendum IESV CHRISTI tormentis ac morti se excitare, exemplo S. Francisci.

CHristo patienti ac morienti cōdolere, est cruciatū ex eius cruciatu, dolorem

dolorē ex eius doloribus percipere, eiſe in tormentis cum aliquo mali ſenſu ſociando: atque hoc eſt dolorem partiri, eúmque ex æquo inter te & illum diuidere, cuius vicem in hiſce ærumnis doles; & quamuis Chriſtus in eo jam ſtatu verſetur, qui ſolatio egere non poſſit, cùm labores omnes pridem ſuperârit: hoc tamen non impedit, quò minùs noſtrâ commiſeratione delectetur; quando per illam eius dolores & ſupplicia in animis renouamus.

Noli igitur arguere me, Hagiophile, aliquid inutile me tibi obtrudere: crede mihi, quidquid hîc cõtinetur, emolumento non caret, rationémque inde proficiendi præbet. Quando igitur ita ſe res habet, hodie, ac ſæpius ſtude Filio DEI condolere, animo tecum reputando, quæ noſtrâ causâ fecerit atque pertulerit. Non id ago, vt te magnis ad hoc momentis cauſarum vrgeam: totus Chriſti Patientis ordo per ſe perorat & mouet: omnia ſunt hîc commiſeratione, ſuſpirijs, ac lacrimis tuis digna.

gna. Si quem hominem tibi charum in terris habeas, eius casui indoleres, si membratim concisus, aut infami morte in ferali pegmate fuisset affectus; lacrimísque perfusus nullam consolationem admitteres: quid non igitur pro IESV tantopere afflicto & amabili tibi agendum; si es, quod es? gratísne suspirandi, singultandi, plorandíque facultatem tibi natura indulsit? num integro anno de tot dierum otio nullus quadrans supersit, quo saltem hodie sex septémue suspiria & lacrimas Christo indulgeas, aut dimidium quadrantem commodes, quo S. Francisci Seraphici exemplum imiteris?

De hoc S. Patriarchâ habetur, cùm templo B. Virginis de Portiunculâ immineret, eíque vbertim lacrimæ, suspiria, & alti clamores erumperent, eo ipso tempore virum honestum illi familiarem præterijsse, qui S. Franciscum tali tristitiâ oppressum conspicatus, persuasúsque, grande illi infortunium accidisse, ad eum accesserit, causámq;

tanti

tanti eiulatus rogauerit, dic, inquiens, chare Pater, quisnam è tuâ familiâ obijt? num parentis, aut alterius è tuis necessarijs mortem deploras? At vir sanctus in maiores singultus, gemitus ac lacrimas effusus quàm antè, summam, inquit, crudelitatem & tormenta deploro, quæ dulcissimus magister meus IESVS pro me pertulit: hoc est, bone vir, quod mihi lacrimas excussit: ah! ita malè nullâ suâ culpâ fuit habitus: & quis innocentissimi Domini tot malis obsessi vicem, & dolores non doleat, præsertim postquam nos tantos illi cruciatus & supplicia procurauimus? Hagiophile, pone hunc modò librum, secede aliquantisper, & dilectũ IESVM tuum in tam diris tormentis mortuum, aut alligatum columnæ, & plùs quàm quinquies millenis ictibus ad sanguinem conuulneratum, aut septuaginta duobus spinarum oculeis in sacrosancto adorandóque Capite confossum, aut ad alios cruciatus raptatũ contemplatus, eius malis ingemisce,

neq; ſuſpirijs, nec lacrimis parce, memor eius, quod S. Bernardus aiebat; nimirum, ſi cor eius lacrimis innataret, oculi in fontes liqueſcerent, capilli ſinguli in totidem riuos diffluerent, ac totus inſtar magni fluminis, nunquam curſum vndarum ſiſtentis, aquis manaret, hęc omnia nondum debitę commiſerationi ac ploratui, ob IESV CHRISTI ſupplicia, ac mortem eſſe ſuffectura. Hagiophile, tuas lacrimas numera, atque inde conijce, multúmne an parùm amoris in IESVM habeas: roga ſaltem Seruatorem tuum, vt accenſa tua deſideria boni conſulere non grauetur, quibus optares, lacrimarum te Oceanum habere, illáſque omnes, vt totidem tui amoris doloríſque, quem ex acerbiſſimis eius pœnis concepiſti, teſtes, profundere.

EXER-

EXERCITIVM XXXVII.

Pro die Iouis V. hebd. Quadrag.

Voto se obstringere, velle se Christi Passi & mortui vicem dolere, exemplo B. Margaritæ Lotharingæ.

HAGIOPHILE, ne mireris, me IESV dolentis commiserationem ita vrgere: olim DEVS B. Ioannæ de S. Cruce per tutelarem Angelum significauit, posse facilè quempiam tantum ob Christi dolores dolorem capere, ac tam potentibus lacrimis ac sensu eius tormenta prosequi, vt eius diuinæ Maiestati æquè gratum Sacrificium illud sit, ac ipsum Martyrium. Succenseat mihi nunc, qui volet: an parui hoc est faciendum, rationem tradere, quæ absque tyrannorum sæuitie, absque vllâ Fidei foris factâ impugnatione, te doceat, corollas Martyribus pares referre?

Vt te DEVS omni felicitate cumulet, Mar-

Margarita Lotharinga! quæ nobis tam præclarum exemplum reliquisti! Illa votum edidit, nullum se diem præterituram, quamdiu viueret ac valeret, quin conatura esset, Christum dolentem commiserari: quocirca sæpe conclaui suo inclusa, ante Christi è Cruce pendentis imaginem in genua prouoluebatur, tum cubitis brachijsque suis corpus adeò contundebat, vt sudorem illi largè in vultu eliceret: cuidam verò è Gynæceo metuenti, ne ictus illi valetudinem eius affligerent, sapienter respondit, quemadmodum, inquiens, calcari, aut virgâ generosus equus in conflictu animatur; ad eum prorsus modum ictus ac suspiria eiusmodi mẽtem & sensus omnes in DEVM suscitant, qui priùs torpebant: mitte me, filia, ita mihi certum est, cum IESV meo dolere; quod vt arctiori amore præstarem, voto me obligaui. Hæ Principis tenerrimæ voces sunt: Hagiophile, quis tibi de tam heroicâ mente sensus est? quid formidas, quò minùs hæc vota facias? tergi-

tergiuersari quidem posses, si sæpe ac in longum tempus à te exigeretur: sed ad vnum, duósue dies, breuius paulóue longius dierum spatium hoc audere, nihil adeò periculi habet. Vt verò dici possis hanc piam Principem imitatus, satis mihi est, si priuatim in sacro recessu DEO id voti persoluas, velle te semel hoc die loco omnium adniti, vt dolorem ac commiserationem ob supplicia & Mortem Seruatoris tui concipias, aut hac occasione aliquoties suspiria profundas; quod facilius tibi est, quam lacrimis madere: hæc omnia nullo labore facies, si caput aliquod de Christi morte perlegas, aut vnum ex eius tormentis expendas, aut Crucifixi plagas exosculeris, aut aliam rationem ineas. Si seriò illum amas, de quo nunc loquor; in promtu statim aliquantum, imò multum saucij ac indolentis illius amoris habebis, qui Christi amatoribus tantopere familiaris est.

EXERCITIVM XXXVIII.

Pro die Ven. hebd. V. Quadrag.

Singulis diebus Veneris pium aliquod opus, aut austeritatem suscipere, amore Christi Patientis, qui Fer VI. mortuus est, exemplo Alexandri Lusacij.

S. MECHTILDIS nos docet. *a* Seruatorem nostrum tantopere animarum salutem, earum in virtutibus progressum, ac inde secuturam gloriam sitire, tantóque desiderio procurare; vt, cùm ob immortalis vitę, omnis tolerantiæ expertis, conditionem ipse per se pati nil ampliùs posset, voluerit patiendi vices charissimis amicorum committere: & quemadmodum mors eius toti mundo fuit salutaris, neque ijs solùm profuit, qui eo Patiente vixerunt, sed omnibus, qui eius fidem amorémque sectati sunt, aut vsque ad mundi finem sectabuntur: pari

a *Lib. 3. gratiæ, cap. 35.*

ri ratione IESV amantium dolores ac ærumnas optato successu potiri; & bonis quidem id commodi afferre, vt ampliores virtutes obtineant, peccatoribus autem ad impetrandam veniam, ac mortuis ad æterna gaudia conciliāda, aut certè auctuario quodam cumulanda, plurimum conferre.

Hinc flagrans illud Sanctarum mentium desiderium exarsit, tolerantiæ materiem inquirendi, & vt accuratiùs hoc efficiant, dies aliquot ei conatui idoneos deligendi; quales sunt Feriæ VI. memoriæ Christi Patientis palàm consecratę; quoniam illo die sumptum de Seruatore insonti supplicium fuit. Quando enim IESVS extra omnem nunc sensum doloris positus est, eius filij ac membra cupiunt illi in perferendis duris succedere, ac pares esse: vt enim DEI Filius voluit suis supplicijs omnes juuari; ita hi quoque gaudent, suam charitatem, quæ patiens est, alijs esse fructuosam.

Quis ignorat, quantum ij in simili occa-

occasione, Feriâ præsertim sextâ, tentârint? pauci adeò ex omni Christianorum numero sunt, qui non aliquo genere honoris, pietatis, ac rigoris hos dies afficiant: quidam Officium de S. Cruce dicunt; alij Euangelij partem de Christi morte legunt, vel audiunt; nonnulli flagellis se lacerant; alij cilicio asperáque veste vtuntur; sunt, qui jeiunent, aut quidpiam gulæ subducant; alij SS. Eucharistiam sumunt; hæc omnia noui ab alijs fuisse peracta: sunt alij, qui plura hoc die audeant. Alexander Lusacius ex illis est; is & Officium de S. Cruce persoluit, & jeiunio se acriùs afflixit, & flagris in se perquam seuerè animaduertit. Illud in hac re præcipuum est, quòd DEO maximopere gratum sit, hunc honorem ei ipso Dolorum ac Mortis suæ die haberi; quæ ratio inter alias nos imprimis exstimulet, vt hodie statuamus, quid, Christi Mortem ac cruciatus depereuntium imitatione, quauis sextâ Feriâ imposterum decernere velimus.

B.

B. Petrus Damiani Cardinalis dignus est, quem hîc collocemus, vtpote qui in Ecclesiâ DEI vsum ita religiosè diem Veneris colendi introduxit, aut rectiùs loquendo reuocauit; ídque occasione quadem, ex quâ didicimus quantopere DEVS ijs obsequijs capiatur, quæ hoc die pro honore tormentorum Filij sui suscipiuntur. Hoc certum est, eum approbante Gregorio VII. Pont. Max. per totam Italiam consuetudinem Feriâ VI. jeiunandi suo tempore introduxisse; hoc, inquam, apud omnes indubitatum est: sed fortassis, quod addam, multi ignorant. Primo die Veneris, quo Religiosos sibi subiectos jussit pro honore Passionis Dominicæ jeiunium instituere, quidam senex de illorum numero, Leo dictus, vir magnæ sanctitatis & rigoris, pridie eius diei mirabili ostento recreabatur: viderat enim templum Religiosis refertum, qui omnes vestibus cælesti quodam candore nitentibus induti, suauissimis modulis illa Hymni verba de S. Cruce con-

concinebant: *Crux fidelis, inter omnes arbor vna nobilis; nulla silua talem profert, fronde, flore, germine; dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus sustinet:* posthæc ad triclinium deductus, omnes illic Religiosos conspiciebat, mensásque omnes panibus oneratas, quorum candor, præstantia, & sapor fuit admirandus: erat vnà Venerabilis quidam senex, qui rogatus, quid extraordinarij sibi panes tam rari gustûs vellent, respondit eos ex eadem massâ & genere panis esse, quo manna constabat, filijs Israël olim in deserto è cælo submissum: in vltimâ eius spectaculi scenâ vidit mensam illam, in quâ superior accumbebat, ad Occidentem sitam loco moueri, indéque sublatam ad Orientis latus transferri, vbi propè in muro Christi, è Cruce pēdentis ac morientis, imago visebatur. *a* O quàm ingeniosa & admiranda DEI bonitas est, quando vult mortalibus indicio declarare, quâ ex re voluptatem capiat!

a *Surius in vitâ B. Petri Damiani. c. 13.*

EXER-

EXERCITIVM XXXIX.

Pro Sab. V. hebd. Quadrag.

Paulò ante mensam absynthium sumere, ad memoriam fellis aceto permixti, quod Christo fuit in Cruce oblatum, recolendam, exemplo S. Brigittæ.

DE S. Mechtilde habetur, cùm aliquando extra se posita diuina pateretur, domum admirandæ pulchritudinis eam vidisse, simúlque intellexisse, Cor Filij DEI illud esse. Inde humi prostratam ingentem illic Crucem reperisse, in quam se abiecit: & ecce! confestim de Crucis medio aurea sagitta perquam acuta erupit, eiúsque cordi fuit immersa, quam secutæ sunt paucæ voces à Christo sponso eius emissæ: Filia! Mundi totius opes ac deliciæ ne vnam quidem animam possunt solidâ delectatione explere; sed omnis eius voluptas ac salus in eo consistit, vt modò hac, modò aliâ

aliâ ratione aliquid aduersi & acerbitatis experiatur.

De hac re, Hagiophile, idcirco, tractare institui, vt in opinione illâ te confirmarem, nihil tam esse salubre, quàm calicem voluntariæ castigationis ob eius amorem exsorbere, qui magnis haustibus pro te illum exsiccauit: & vt varietate capiaris, peculiarem tibi potionem miscui, qualem S. Brigitta sibi attemperauit: ad certas quasdam corporis refectiones illa paulum absynthij sumebat, vt ciborum gustum corrumperet, illámque amaritudinem ob memoriam potionis felle mixtæ, quæ IESV CHRISTO in summâ siti fuit in Cruce oblata, degustaret. Perfacile est, similia experiri: initio quidem sensus ab hac vi sibi illatâ abhorrent; verùm eius recordatio, quæ IESVS eodem sensu pertulit, omnem acrimoniam, quæ inde potest sentiri, quodam melle aspergit. Multi sunt tam intra, quàm extra Religiosas familias, qui in victu sibi ægrè faciunt, siue in ipsis cibis, siue

in

in sumendi modo id fiat, solo DEO placendi, eiúsque Filium imitandi studio, qui tenui ac frugali mensâ victitabat: & illâ quadra penitùs contenti, etiam parabiles cibos, etsi malè cõditos, malè paratos, & gulæ ingratos pro delicijs habent: age! quid dulcem illis hanc vitam efficit, nisi quòd expendãt, quãtam gloriam sui victoria reportet, eius amore suscepta, qui triginta tribus annis hoc vnum egit, vt nostrâ causâ pateretur: isthæc cogitatio totam mentem componit, ac veluti saccharum quodlibet acetum condit, ac domat. Cæsarius *a* refert de Religioso juuene Clareuallensi: qui, quòd olim solitus fuisset delicatiùs enutriri, & lautè viuere, cibarium Monasterij panem, qui plerumque probè erat furfure subactus ac durus, non intueri solùm, sed etiam de illo cogitare, molestè ferebat; nec persuadere sibi poterat, eo se alimento victurum: nocte igitur quadam Seruator noster ei conspi-

a *Lib. 4. Dialog.*

cuus illius panis frustum secum attulit, ac hominem jussit pro cibo sumere: cúmque juuenis causaretur, nullâ se ratione posse tam atro pane vesci; Christus illum ipsum panem sanguine pretiosi lateris sui imbutum, denuo illi comedendum obtulit: quem vt delibauit, gratissimi gustûs, & melle quouis dulciorem fuit expertus: ab eo tempore & panis, & alij cibi omnibus communes, à quibus antea abhorrebat, in delicijs ei fuêre, eorúmque gustu recreabatur. Nimirum IESV CHRISTI tam acerbè habiti recordatio, curato mētis vitio, tantos ei animos addebat.

EXERCITIVM XL.

Pro Dom. Palmarum.

De Christi D. N. pœnis, ac Morte loqui, & colloqui, exemplo B. Magaritæ filiæ Regis Hungariæ.

HAGIOPHILE, in Sanctâ hebdomade versamur, hoc est in illâ, quàm decet nos alijs longè sanctiùs

ctiùs transigere : jure profectò Sancta appellatur ob mysteriorum, quæ in eâ recoluntur, sanctimoniam : sed & inde potest Sanctæ nomen tueri, si ratio piorum operum habeatur, quibus Christiani hoc sacro tempore solent vacare : omnia sanctitatem spirant : frequentantur SS. Sacramenta, abstinetur à publico, ludi cessant, luxus vestium ponitur, offensi redeunt in gratiam, ac hostibus ignoscunt, Officia Diuina & conciones adeuntur, templa visuntur, coniuges religiosiùs castitatem colunt; verbo, alia rerum tunc facies est, quàm toto anno reliquo esse consueuit. Quòd si oculos ad ea conijciamus, quæ pietatis ac DEI amantiores ab ipso huius hebdomadæ exordio facere amant, longè maiora sanctitatis vestigia deprehendemus: quidam ex his arctius sibi jeiunium indicunt; alij silendi seueram sibi legem imponunt; multi admodum sunt, qui asperiùs suum corpus in priuato recessu exercent, dum aut flagris se diuerberant,

EXERCITIVM XXXVIII.

Pro die Ven. hebd. V. Quadrag.

Singulis diebus Veneris pium aliquod opus, aut austeritatem suscipere, amore Christi Patientis, qui Fer VI. mortuus est, exemplo Alexandri Lusacij.

S. MECHTILDIS nos docet. a Seruatorem nostrum tantopere animarum salutem, earum in virtutibus progressum, ac inde secuturam gloriam sitire, tantóque desiderio procurare; vt, cùm ob immortalis vitę, omnis tolerantiæ expertis, conditionem ipse per se pati nil ampliùs posset, voluerit patiendi vices charissimis amicorum committere: & quemadmodum mors eius toti mundo fuit salutaris, neque ijs solùm profuit, qui eo Patiente vixerunt, sed omnibus, qui eius fidem amorémque sectati sunt, aut vsque ad mundi finem sectabuntur: pari

a Lib. 3. gratiæ, cap. 35.

ri ratione IESV amantium dolores ac ærumnas optato successu potiri; & bonis quidem id commodi afferre, vt ampliores virtutes obtineant, peccatoribus autem ad impetrandam veniam, ac mortuis ad æterna gaudia conciliãda, aut certè auctuario quodam cumulanda, plurimum conferre.

Hinc flagrans illud Sanctarum mentium desiderium exarsit, tolerantiæ materiem inquirendi, & vt accuratiùs hoc efficiant, dies aliquot ei conatui idoneos deligendi; quales sunt Feriæ VI. memoriæ Christi Patientis palàm consecratę; quoniam illo die sumptum de Seruatore insonti supplicium fuit. Quando enim IESVS extra omnem nunc sensum doloris positus est, eius filij ac membra cupiunt illi in perferendis duris succedere, ac pares esse: vt enim DEI Filius voluit suis supplicijs omnes juuari; ita hi quoque gaudent, suam charitatem, quæ patiens est, alijs esse fructuosam.

Quis ignorat, quantum ij in simili occa-

occasione, Feriâ præsertim sextâ, tentârint? pacui adeò ex omni Christianorum numero sunt, qui non aliquo genere honoris, pietatis, ac rigoris hos dies afficiant: quidam Officium de S. Cruce dicunt; alij Euangelij partem de Christi morte legunt, vel audiunt; nonnulli flagellis se lacerant; alij cilicio asperáque veste vtuntur; sunt, qui jeiunent, aut quidpiam gulæ subducant; alij SS. Eucharistiam sumunt; hæc omnia noui ab alijs fuisse peracta: sunt alij, qui plura hoc die audeant. Alexander Lusacius ex illis est; is & Officium de S. Cruce persoluit, & jejunio se acriùs afflixit, & flagris in se perquam seuerè animaduertit. Illud in hac re præcipuum est, quòd DEO maximopere gratum sit, hunc honorem ei ipso Dolorum ac Mortis suæ die haberi; quæ ratio inter alias nos imprimis exstimulet, vt hodie statuamus, quid, Christi Mortem ac cruciatus depereuntium imitatione, quauis sextâ Feriâ imposterum decernere velimus.

B.

B. Petrus Damiani Cardinalis dignus est, quem hîc collocemus, vtpote qui in Ecclesiâ DEI vsum ita religiosè diem Veneris colendi introduxit, aut rectiùs loquendo reuocauit; ídque occasione quadem, ex quâ didicimus quantopere DEVS ijs obsequijs capiatur, quæ hoc die pro honore tormentorum Filij sui suscipiuntur. Hoc certum est, eum approbante Gregorio VII. Pont. Max. per totam Italiam consuetudinem Feriâ VI. jeiunandi suo tempore introduxisse; hoc, inquam, apud omnes indubitatum est: sed fortassis, quod addam, multi ignorant. Primo die Veneris, quo Religiosos sibi subiectos jussit pro honore Passionis Dominicæ jeiunium instituere, quidam senex de illorum numero, Leo dictus, vir magnæ sanctitatis & rigoris, pridie eius diei mirabili ostento recreabatur: viderat enim templum Religiosis refertum, qui omnes vestibus cælesti quodam candore nitentibus induti, suauissimis modulis illa Hymni verba de S. Cruce con-

concinebant: *Crux fidelis, inter omnes arbor vna nobilis; nulla silua talem profert, fronde, flore, germine; dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus sustinet:* posthæc ad triclinium deductus, omnes illic Religiosos conspiciebat, mensásque omnes panibus oneratas, quorum candor, præstantia, & sapor fuit admirandus: erat vnà Venerabilis quidam senex, qui rogatus, quid extraordinarij sibi panes tam rari gustûs vellent, respondit eos ex eadem massâ & genere panis esse, quo manna constabat, filijs Israël olim in deserto è cælo submissum: in vltimâ eius spectaculi scenâ vidit mensam illam, in quâ superior accumbebat, ad Occidentem sitam loco moueri, indéque sublatam ad Orientis latus transferri, vbi propè in muro Christi, è Cruce pēdentis ac morientis, imago visebatur. a O quàm ingeniosa & admiranda DEI bonitas est, quando vult mortalibus indicio declarare, quâ ex re voluptatem capiat!

a *Surius in vitâ B. Petri Damiani. c. 13.*

EXER-

EXERCITIVM XXXIX.

Pro Sab. V. hebd. Quadrag.

Paulò ante mensam absynthium sumere, ad memoriam fellis aceto permixti, quod Christo fuit in Cruce oblatum, recolendam, exemplo S. Brigittæ.

DE S. Mechtilde habetur, cùm aliquando extra se posita diuina pateretur, domum admirandæ pulchritudinis eam vidisse, simúlque intellexisse, Cor Filij DEI illud esse. Inde humi prostratam ingentem illic Crucem reperisse, in quam se abiecit: & ecce! confestim de Crucis medio aurea sagitta perquam acuta erupit, eiúsque cordi fuit immersa, quam secutæ sunt paucæ voces à Christo sponso eius emissæ: Filia! Mundi totius opes ac deliciæ ne vnam quidem animam possunt solidâ delectatione explere; sed omnis eius voluptas ac salus in eo consistit, vt modò hac, modò aliâ

aliâ ratione aliquid aduersi & acerbitatis experiatur.

De hac re, Hagiophile, idcirco, tractare institui, vt in opinione illâ te confirmarem, nihil tam esse salubre, quàm calicem voluntariæ castigationis ob eius amorem exsorbere, qui magnis haustibus pro te illum exsiccauit: & vt varietate capiaris, peculiarem tibi potionem miscui, qualem S. Brigitta sibi attemperauit: ad certas quasdam corporis refectiones illa paulum absynthij sumebat, vt ciborum gustum corrumperet, illámque amaritudinem ob memoriam potionis felle mixtæ, quæ IESV CHRISTO in summâ siti fuit in Cruce oblata, degustaret. Perfacile est, similia experiri: initio quidem sensus ab hac vi sibi illatâ abhorrent; verùm eius recordatio, quæ IESVS eodem sensu pertulit, omnem acrimoniam, quæ inde potest sentiri, quodam melle aspergit. Multi sunt tam intra, quàm extra Religiosas familias, qui in victu sibi ægrè faciunt, siue in ipsis cibis, siue in-

in sumendi modo id fiat, solo DEO placendi, eiúsque Filium imitandi studio, qui tenui ac frugali mensâ victitabat: & illâ quadra penitùs contenti, etiam parabiles cibos, etsi malè cõditos, malè paratos, & gulæ ingratos pro delicijs habent: age! quid dulcem illis hanc vitam efficit, nisi quòd expendãt, quãtam gloriam sui victoria reportet, eius amore suscepta, qui triginta tribus annis hoc vnum egit, vt nostrâ causâ pateretur: isthæc cogitatio totam mentem componit, ac veluti saccharum quodlibet acetum condit, ac domat. Cæsarius *a* refert de Religioso juuene Clareuallensi: qui, quòd olim solitus fuisset delicatiùs enutriri, & lautè viuere, cibarium Monasterij panem, qui plerumque probè erat furfure subactus ac durus, non intueri solùm, sed etiam de illo cogitare, molestè ferebat; nec persuadere sibi poterat, eo se alimento victurum: nocte igitur quadam Seruator noster ei conspi-

P cuus

a *Lib. 4. Dialog.*

ctiùs transigere: jure profectò Sancta appellatur ob mysteriorum, quæ in eâ recoluntur, sanctimoniam: sed & inde potest Sanctæ nomen tueri, si ratio piorum operum habeatur, quibus Christiani hoc sacro tempore solent vacare: omnia sanctitatem spirant: frequentantur SS. Sacramenta, abstinetur à publico, ludi cessant, luxus vestium ponitur, offensi redeunt in gratiam, ac hostibus ignoscunt, Officia Diuina & conciones adeuntur, templa visuntur, coniuges religiosiùs castitatem colunt; verbo, alia rerum tunc facies est, quàm toto anno reliquo esse consueuit. Quòd si oculos ad ea conijciamus, quæ pietatis ac DEI amantiores ab ipso huius hebdomadæ exordio facere amant, longè maiora sanctitatis vestigia deprehendemus: quidam ex his arctius sibi jeiunium indicunt; alij silendi seueram sibi legem imponunt; multi admodum sunt, qui asperiùs suum corpus in priuato recessu exercent, dum aut flagris se diuerberant,

rant, aut in ſetosâ veſte incedunt, aut in nudâ humo, vel nullâ veſte exuti, ſomnum captant: qui fortunæ lautioris ſunt, frequenter ac liberaliter ſtipem egenis erogant: ij, qui aut vanitatem in veſtium nitore aucupantur, aut pro ſuâ conditione ſplendidiore cultu præ cæteris incedunt, ſepoſito elegantiori amictu: ſimplici modeſtóque habitu vtuntur. Porrò ex omnibus, quæ per hanc ſeptimanam ſumus dicturi, aliquos eorum agnoſcemus, qui in Sanctorum eiuſmodi operum exercitio excelluêre; quæ totidem ſunt eius amoris documenta, quo Filium DEI amplectuntur, & honoris indicia, quem eius triſtiſſimæ Morti, ac diris ſupplicijs exhibent.

Verùm hoc loco, Hagiophile, cum nemine altero mihi res, quàm tecum eſt, vt intelligam, quem delectum pro primo Sanctæ Hebdomadæ die ſis facturus: agam tecum, quàm leniſſimè poſſum, ſed te quoque decet pro huius temporis ſanctitate aliquantò plus

aude-

audere. An tibi lubet, S. Elisabetham Lusitaniæ Reginam imitari? hac totâ septimanâ paupere vestitu tegebatur: si vis eius exemplum sequi, hodie initium fac, & vestes indue non omnino viles, tales enim penes te non toleras, sed simplices ac modestas: memineris hac hebdomade dilectũ Patrem, Principem, amabilissimum IESVM tuum, eúmque ærumnis & malis obsitum, tibi inuisendum esse: atqui nemo miseros aditurus festiuo splendidóque cultu se ornat. An non ridiculum indignúmque foret, si filius, qui suis sceleribus causam præbuisset, patrem in vincula conijciendi, mille dolores perferentem, superbo vestitu, vultu hilari, nullâ mœroris significatione, eum solandi animo adiret? Apage, apage, Hagiophile, hoc die, ac reliquâ hebdomade, apage has omnes vanitatis illecebras, omnem vestimentorum luxum, omnes lætiori colore tinctas vestes!

Animus mihi dictat, hæc omnia te præstiturum, & id insuper, quod B.

Margarita Regis Hungariæ filia faciebat: erat illa IESV CHRISTI suplicijs, ac morti adeò dedita, vt in colloquijs ordinarium illi hoc thema esset: quindecim tamen diebus ante Feriam VI. Maioris Hebdomadæ aliud nihil aut locuta est, aut legit, quàm quæ de Christo Patiente erant. Nimium tibi est, quindecim dies ita transigere: sæpius saltem de illo sermonem institue, omnésque, quibuscum agis, ad hanc materiem pertrahe: jucundum est nobis de ijs rebus loqui, quas diligimus: quòd si tantum animi habeas; noli hodie de re aliâ, quàm istâ tractare; maiorem inde consolationem percipies, quàm tibi persuadeas: atque vtinam tanta tibi contingat, quantam Serenissima Philippa Geldriæ Princeps persensit! illa enim tanto animi sensu de Christi Morte, ac Cruciatibus, vt gratissimo sermonis argumento, loquebatur, vt ad leuissimam mentionem de clauis, de felle, de spinis sui dulcissimi IESV factam, lacrimæ illi, ac centena suspiria erumperent;

perent; nec raró tantâ concitatione cor illi palpitabat, vt necesse fuerit, ne amoris magnitudine vitæ periculum adiret, promta remedia afferre. Verùm vt in eiusmodi colloquijs nihil oblectationis quæras; certè illud commodi consequeris, vt DEO rem mirè gratam facias, qui mirum quantùm delectetur, de ijs nos loqui, quæ pro nobis egit, ac passus est; non secùs atque nobilis quæpiam matrona, cuius filius procùl abest, maiorem oblectationem capit, si intelligat, filium suum sæpe sui, & coram alijs, & secum meminisse, gratóque animo recolere, quæ ipsa filij causa tulit fecítque, quàm si pretiosa illi munera, gemmas, atque curiosa dona misisset, vt tamen nihil vnquam de matre loqueretur: hinc collige, num Seruator noster, qui cætera sancti amoris jura, & indolem sequi solitus, etiam in hoc capite illa obseruat, tua colloquia, de ipsius tormentis habita, grata sit habiturus: si dubitas, addam, vnde faciliùs id tibi persuadeas.

B. Bonajunta II. Seruorum B. V. Generalis, vir magnæ ſanctitatis, in delicijs reputabat, loqui & ſermonem de ſupplicijs & Morte Chriſti inferre: útque imminente morte de rebus illis plerumque moribundis eſſe ſermo ſolet, quas in amore, & ſæpius in ore viui ac valentes habuêre, ita & ipſe vbi mortem vicinam animaduertit, peractâ re diuinâ, Religioſos ad ſe cõuocatos de ſuâ morte admonuit, hortatus, vt Seruatoris noſtri Paſſionem ſingulari ſtudio venerarentur; tum de præcipuis eius capitibus dicere exorſus, vbi ad Crucifixionem deuenit, magnam vim lacrimarum profudit, & velut ipſe eſſet cũ IESV, amore ſuo, in Crucem agendus, brachia in Crucis modum diduxit, eóque ſitu felicem ſpiritum amantiſſimo Seruatori ſuo reddidit, ijs in agone verbis vſus, quæ Chriſtus vſurpauit: *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* a

a *Ex hiſt. Ordinis ad an. 1257.*

EXER-

EXERCITIVM XLI.

Pro die Lunæ hebd. Sanctæ.

Pro honore Passionis Christi noctu inter preces excubare, exemplo S. Landradæ Virginis.

OPTIMA, ratio, de Christi tormẽtis dolorem concipiendi, est, eius cruciatibus similes experiri: in quem sensum S. Paulus in suâ ad Philippenses epistolâ, *a* vt eos magnitudinem suppliciorum Christo illatorum aliquâ ratione doceret æstimare, non aliud ab eis exigebat, nisi vt hoc idem in se sentirent, quod IESVS illorum causâ tolerauit. S. Eulalia quoque hanc artem callebat: cùm enim carnifices ferreis vngulis corpus eius virgineum fœdè laniarent, eos allocuta, amici, aiebat, audacter absque metu sæuite; hæc enim carnificina, quâ corpus meum laceratis, viam ac occasionem

 mihi

a *Cap. 2.*

mihi præbet, quâ IESV ſponſi mei cruciatus in me ipsâ perſentire ac deguſtare poſſim.

Non equidem dubito, Hagiophile, quin idem cum S. Paulo, & hac ſanctâ Heroinâ ſentias, atque ideò præter alias moleſtias, quas pro te IESVS exantlauit, cupias etiam vigilijs exerceri, eius maximè noctis, quâ ipſe captus eſt, multam ille ſæpe noctis partem in precibus exigit, quas ad Cæleſtem ſuum Patrem de genibus fundebat, futurorum ſuppliciorum memor, & tui, cui horum fructum ac meritum attribuere cogitabat: quod iſtè præſertim nocte omnium ſupremâ, nocte tam crudeli & deplorandâ, in domo Caiphæ fecit; in quâ tot opprobria, iniurias, & incredibiles ignominias deuorauit. An non igitur æquum eſt, eius amore te etiam cum aliquâ moleſtiâ excubias agere; eíque tres quatúorue horas, aut horæ dimidium ſomno ſubtractas impendere, quas aut eius cruciatus tecum expendendo, aut de reddendis ei vicibus cogi-

cogitando, aut alio pietatis exercitio, siue lectione, siue meditatione, siue precibus, vt tibi libuerit, insumas? Non tibi pro exemplo B. Margaritam Regis Hungariæ filiam è S. Dominici Ordine sisto: solebat enim hæc Religiosa Princeps à Feriæ V. Maioris Vespere vsque ad Sabbathi sancti noctem insequentem omni sibi cibo & somno interdicere, perpetuò precibus, & rigori corporis toto illo biduo intenta: nimis asperum hoc est; & vt hoc quispiam imitetur, maiori robore, diuiniq; amoris profectu opus est, quàm tibi suppetat. S. Landradam Virginem, illustri genere, tempore Clotarij Regis ortam, quæ Pipini regio Prætorio Præfecti neptis fuit, tibi duntaxat exhibeo: solebat illa aliquot noctes nudis pedibus, tenuique vestitu, etsi brumale frigus tunc sæuiret, precibus inuigilare; eius deliciæ fuêre, de IESV amantissimo Sponso suo, & eius admiranda diuináque patientiâ meditari: non quòd nullam ex his exercitijs molestiam perciperet;

peret; sed amor IESV eorúmque recordatio, quæ eius causâ ipse pertulerat, omnes huiusmodi voluntarias castigationes ei mitigauit. a Neque verò IESVS diu distulit è cælo testatum facere, quantopere has eius vigilias approbaret: quippe concubiâ nocte, cùm aliquando ita precaretur, cælestis genius cælesti luce, ac formâ visendus ei adfuit, Crucémque raræ pulchritudinis ac operis eximij, cui nihil simile in terris visum, Spiritûs sancti, & Seruatoris nostri nomine obtulit, addidítque: En! Virgo Regi gloriæ dilecta, hoc munus jussu cælestis Sponsi tui tibi affero, ceu pignus sui in te amoris, arrham propensæ voluntatis, ac donum ab eo profectum, qui sumo amore animum tuum deperit: magno in amore, ac pretio tibi hoc donum sit, quod tunc maximè, cùm penes te habueris, ita tibi præsidio erit, vt neque dæmon, neque fames, neque pestis, neque aëris intemperies, nec aliquod infortunium tibi possint

a *Ex Surio 8. Iulij.*

possint formidini & damno esse. Crux ista fuerat tunc saxo imposita, quod confestim euidenti miraculo Crucis formâ insignitum, sequentibus annis talis omnino visa est, qualis ad initium prodigij apparuit.

EXERCITIVM XLII.

Pro die Martis hebd. Sanctæ.

Frequenter de Christi tormentis, & morte cogitare, exemplo B. Agnetis ex Ordine S. Francisci de Paulâ.

HAGIOPHILE, frequens cogitatio tormentorum Christi præsentissimum aduersus mala omnia remedium est: nihil tam est salubre, quàm sæpe interdiu eorum, quæ IESVS CHRISTVS DEVS & Homo pro nobis passus est, meminisse: vt ait S. Augustinus. *Domine nolo viuere sine vulnere, quia te video vulneratum.* inquit S. Bonauentura. *a* idem S. Doctor alio lo-

a *Collat. 7.*

co asserit, eum, qui assueuerit cogitationes in Christi tormenta defigere, omnia sibi necessaria illic liberaliter inuenire, nec causam habere, aliquid extra IESVM quærendi.

Vt autem huius cogitationis aliquem vsum nanciscaris, & vt sæpe tibi recurrat, nihil ita expedit, quàm hac Sanctâ Hebdomade, & imprimis destinato die totum illi se dare: & potest hæc ipsa dies vsui esse. Cogitationes autem eiusmodi oportet esse breues, quæ nonnunquam eximia commoda cogitanti afferunt. In hunc modum B. Agnes monialis ex Ordine Minimarum, centies in die has pauculas voces animo, & ore iterabat: IESVS amor meus Crucifixus est. Illis porrò quisque vtatur, quibus maximè affici se senserit: & vt earum subinde admoneamur, consultum est, occasiones captare, & animum in obuiâ imagine ac signo colligere. S. Francisci Seraphici sigillum, quo litteras obsignabat, figuram Crucis præseferebat: & vt multas episto-

las

las exarauit, ita toties eius memoriæ IESV morientis in Cruce recordatio insculpebatur. Thomas Sanchez è Societate nostrâ vir celebris, ac pius schediasma in Horis Diurnis circumferebat, cui hæ voces erant inscriptæ; *IESVS Crucifixus, Virgo MARIA, Sanctissimum Sacramentum*: quâ de causâ necesse fuit, cùm sæpe in die ad recitandas Horas liber ille aperiendus ei esset, eum illius cogitationis admoneri, quã conscripta vocabula suggerebant, præsertim, quòd credibile sit, hac chartâ eum pro notâ vsum, quousque Horarias preces persoluisset, vt suo tempore illas resumere atque absoluere posset. P. Cæsar Buzæus ad horologij sonum attendebat, illúdque tempus sibi ipse indixit, quo Redemptoris sui Mortis meminisset. S. Carolus Borromæus, qui sæpe ad populum dicere consueuit, (vt munus concionandi labor est, qui quotidie aliquid eorum meditari Oratorem sacrum jubet, quæ vult pro concione dicere) statuit, vt hanc de

Morte

MorteSeruatoris cogitationem sibi familiarem redderet, ita opus illud aggredi, vt tertia cuiusque pars concionis in eo argumento versaretur: vnde occasionem nactus est, & per se illud expendendi, & aliorum cogitationibus idem obijciendi, quoties ad populum verba faceret. Ob eandem causam instituit, vt quauis Feria VI. per annum in summo templo de Christi tormentis quispiam peroraret.

Hagiophile, neque capita istiusmodi cogitationum, neque tempus tibi, illas concipiendi, præscribo; sed tuo arbitrio totum permitto: hoc solùm dico, si verum est, quod S. Ignatius Martyr & Patriarcha Antiochenus ad Ephesios perscripsit, videlicet semper recentem cuiuis IESV memoriam habendam: *nollem*, inquiebat, *vel semel vos respirare, quin memineritis*: Si, inquam ita est, vt est verissimum, tot beneficiorum, quæ ab ipso accepimus, & eius, qui est omni amore dignissimus, habitâ ratione; certè æquum est, vt inter

ter respirandum, quàm sæpissimè per diem illud vitæ ipsius mysterium in memoriam reuocemus, quod Christum nobis multò amabiliorem reddidit, nobísque vrgentissimum eius in nos amorem affectúmque detexit, qualis in illius SS. Morte comparuit. Adhæc Anna de S. Bartholomæo Carmelitana illo documento, quòd à Christo didicerat, nixa dicebat, si quotidie semel tantummodò eius tormentorum, & charitatis, quæ illum ad hæc perferenda adegit, reminisceremur, quantulumcunque id foret, suffecturum, vt salutem & magna à DEO beneficia cõsequeremur. Si ergo vnica cogitatio quotidie iterata tanti pretij ac meriti plena est; quantum mereberis, si duodecies aut vigesies eam frequentes?



EXER-

EXERCITIVM XLIII.

Pro die Mercur. hebd. Sanctæ.

Diu coram Venerabili Sacramento in templo commorari, pro honore Dominicæ Passionis, exemplo B. Ioannæ Lusitanæ.

ANTEA te præmonui, Hagiophile: aut hac hebdomade, aut nunquam aliquid nobis incommodi vltro ſubeundum, & pro tantis ac tot malis, quæ IESVM afflixêre, non nihil perferendum; & ob eam cauſam dicta eſt hebdomas Pœnalis: quantum ad huius diei moleſtiam attinet, illa grandis non eſt: vnam enim, alteram, tres horas ante Venerabile Sacramentum flexis genibus, ſi vires permittunt, aut alio ſitu corporis morari, dulcis labor eſt. B. Ioanna Princeps Luſitaniæ noluit tam locupletem bene faciendi occaſionem ſibi ſine fructu elabi; totos enim eius Hebdomadę poſtremos dies neque

neque noctu, neque interdiu pedem extra templum posuit.

Sed quid tamdiu in templo agendum? qui precari & colloqui cum Deo nouit, nihil de prolixitate temporis quereretur. Occupatio omnium vtilissima, meo quidem judicio, erit, aut Orationes tempori aptas, Officium de S. Cruce, Litanias de Passione Christi, quatuor Euangelia, vbi de illâ agunt, recitare; aut præcipua Mysteria Christi Patientis meditari, admixtis interim affectibus, qui possunt inde concitari, nunc tristitiæ, ob tam diram crudelitatem, in mitissimum mortalium exercitam; nunc doloris, ob admissa peccata, ceu illius sæuitiæ causam; nunc gaudij, ob Redemptionem tam copiosam, quandoquidem vnica gutta SS. Sanguinis Christi pro nobis effusa ad centum myriades mundorum, longè hoc nostro Orbe nocentiorum, redimendas suffecisset; vnicum suspirium, vnus oculorum nictus fuisset satis, ad infinitos mundos grauissimorum scelerum reos

reos in gratiam recipiendos; nunc admirationis, ob id, quòd, cum Pater æternus ei optionem, vt ait Rupertus Abbas, dedisset, ad nos vel cum maiestate, honorum, dignitatum, ac deliciarum copiâ descendendi, vt nos ab exitio erueret, aut certè in conditione paupere, contemptâ, miserijs & molestijs respersâ, hoc posterius vitæ genus prætulerit, omni splendore, & magnifico apparatu insuper habito. Est sanè quod admireris, quod minutim accuratâ consideratione in minimis Christi, tristissima perferentis, actionibus scruteris: hæc est bonarum mentium abyssus, in quam priusquam se demittant, non comprehendunt, nec deinceps vnquam diuini amoris immensitatem, & titulos, quibus ei sumus obstricti, assequentur. Cæterùm, vt olim B. Victoria dicebat, quæ Monialium Cælestium Ordinem instituit, neque suorum amatorum cuipiam ille potestatem permittit, ad viuum omnia comprehendendi, quæ in ejus Tormentis continentur: quòd

quòd videlicet hæc vna cogitatio vel obiter tantùm in animum admissa, accedente insuper amore, quo in DEVM feruntur, præsentem ijs mortem inferret.

Fortassis idem mihi respondebis, quod alius mihi quondam jactabat, videlicet, te ita esse à naturâ comparatum, vt momento intuearis, quidquid dici, aut cogitari de quopiam Mysterio potest, & idcirco te tamdiu versari in vno loco non posse. Quid ais? quæso te, num etiam omnes illicò affectus in promptu habes, qui elici è præclarâ illâ ampláque cognitione queant? num omnibus ijs inhæres? non ita res deproperari potest, vt tu ais: antequam affectum amoris, fiduciæ, spei, fidei, adorationis, admirationis, commiserationis, propositum imitandi, desiderium, vt mortales omnes huic amori respondeant, dolorem ob commissas culpas, quæ, ceu carnifices, eam in DEI Filium tyrannidem exercuêre, elicias, crede mihi, priusquam hæc omnia discutias,

ſcutias, multũ temporis elabetur: quòd ſi totam ſeriem per præcipuas & minutas actiones Chriſti Paſſi velis euoluere, ac in ſingulis omnes amoris ſupputationes facere, non vna hora, imo nec altera tibi ſufficiet: adhæc in vnâ eadémque re, in vno eodémque geſtu mille diuerſæ cogitationes ſe offerent: & qui hodie exquiſitam eruit, cras DEVS illi vberiorem dabit. Non capio me, quoties mecum illam tantùm cogitationum & contemplationum diuerſitatem conſidero, quâ Sancti viri ſolam SS. Capitis inclinationem Chriſti è Cruce pendentis fuêre proſecuti: quid de reliquis actionibus, ac tota Chriſti Patientis hiſtoriâ cogitemus? *Et inclinato capite emiſit Spiritum.* a Audi quàm diuerſimodè hunc vnicum IESV morientis geſtum ſancti pertractârint; & poſthac gloriari deſine, vno te obtutu videre ac perſpicere, quidquid in aliquo Myſterio continetur. S. Athanaſius, *b* ait, abſoluto jam Redem-

ptio-

a *Io. 19.* b *Quæſt. 76. ad antio.*

ptionis Mysterio nihil nisi mortem defuisse, quæ & ipsa suo officio perfuncta sit, postquam DEI Filius, vt mortis ac vitæ Dominus, muneris explendi potestatem illi fecerit: atque ita facto capitis annutu Christum obijsse. S. Bernardus *a* sentit, eum caput inclinâsse, vt Patri suo Cælesti signum obsequentis, & ad nutum eius parati filij exhiberet. Quidam ex Asoetis credidit, idcirco eum Caput demisisse, velut eo corporis habitu tam honoratum titulum recusaret, qui supra Caput affixus erat, non aliud imperium, quàm nostrorum cordium affectans. Hodiernus quidam auctor ad alium sensum traducit, asserens, hunc actum Adorationis Patri exhibitæ fuisse, quo gratias ei egerit pro facultate, quam ipsi dedit, pro salute homimum moriendi. Alius isto antiquior causam inclinati Capitis affirmat fuisse desiderium, quo cupiebat Matrem suam ad Crucis pedem stantem intueri, atque ita supremum

a *Serm. de Passione.*

mum vale illi dicere: quam quòd vidisset adeò afflictam, idcirco tam enormem tunc eum dolorem percepisse, vt statim exspiraret, illo tam tristi Matris suæ charissimæ aspectu mortem illi accelerante. Alius meditatus est, eum moriturum Caput submisisse, vt extremam suam paupertatem ostenderet; quando non habuit, in quod suum caput reclinaret, viuus ac moriturus omnis quietis expers, juxta illud: *a Filius hominis non habet, vbi Caput suum reclinet.* Laurentius Iustinianus aliter sentit, putátque eum Caput inclinâsse, vt mortalibus eo signo innueret, se noxas illis omnes condonare: *Caput suum Mediator inclinauit ad indulgentiam.* Vir pius scripsit, eum ideò Caput pronum habuisse, vt amicis suis bene precaretur: & cùm manus eius essent impeditæ, Capite ad eam rem vsum, quod solùm in potestate habuit. A quopiam, didici, eum Capite propendisse, vt mundo valediceret, illúdque inclinando

a *Luc. 9.*

do dicere voluisse: Vale munde perfide! munde fallax & crudelis, qui tam indignis modis tuum Conditorem tractâsti, vt eum Cruci affigeres: vale mũde! *Et inclinato Capite emisit Spiritum*. Ecclesiastes quidam pro concione dixit, inclinati capitis hanc causam fuisse, vt circumspiceret seipsum, num in toto SS. suo Corpore pars vlla superesset, quæ saucia non esset: cúmque vidisset latus & pectus adhuc illæsum, capitis nutu significâsse, illam etiam partem vulnerandam esse: & reipsa vulnus â lanceâ ex illâ parte accepit. Alio loco dixi, quòd Onuphrius Mareschallus crediderit, Caput eum curuâsse, vt honorem Nomini IESV, tituli loco supra caput suum affixo, haberet. Et ego cum S Bernardo & S. Augustino dicam, hoc factum ab eo fuisse, vt nos ad se amandum inuitaret, in eum finem moriturum locum illum aspexisse, quo vulnus postea debuit eius Cordi infligi: veluti docere nos voluisset, hoc esse amoris vulnus, hanc esse la-

tebram, vbi nostri sint amores collocandi, in quam mens nostra per eorum, quæ pro nobis tulit, recordationem secedat. *Inspice vulnera, cor habet apertum ad diligendum.* a DEVM bonum! quàm præclaræ ac diuersæ cogitationes de vno Capitis inflexi gestu prodierunt.!

Hagiophile, nondum te pœnitet, paulò antè tam friuolum te mihi responsum dedisse? post hæc tamen omnia, licet sis planè conuictus, si insuper moroso vultu abnuis, omitte ista. Si verò bene farta tibi crumena est; hodie, cras, ac perendie liberalem stipem in miseros eroga, ob illius amorem, qui hoc sacro tempore liberaliter pretiosum sanguinem suum ad vltimam vsque guttam tibi propinauit. Hoc S. Elisabetha Lusitaniæ Regina toto Quadragesimæ tempore ad dictum finem agere solebat: at tibi Quadragesima tota nimìs caro hac ratione stetisset; sufficiet, hoc triduo, aut ad summum, hodie te esse liberalem.

a *S. Bern. S. August. lib. de Virg. c. 44.*

EXER-

EXERCITIVM XLIV.

Pro Fer. V. Maiori.

Pedes aliquorum pauperum abluere, ad honorem Christi Patientis, exemplo S. Isabellæ, Sororis S. Ludouici.

VIx audeo, Hagiophile, de pedibus hoc sancto die lauandis apud te mentionem facere; etsi DEI Filius Apostolis suis, ipsi etiam Iudę, abluerit, vt inde SS. Passionem suam auspicaretur, raræ ac inauditæ humilitatis exemplo, nobis ad imitandum relicto; si quidem commoditas imitandi non desit: cur verò facere id cuncter, naturalis horror facit, quo solemus vilia huiuscemodi opera fastidire, vt quę nostram conditionem dedeceant, si gradu quopiam celsiore inter homines eminemus. Nihilominus quando mecum reputo, Reges ipsos ac Reginas, Præsules, nobilissimas matronas eò se, ob IESV CHRISTI Seruatoris sui amorem

rem demisisse, non grauabor, postquam eorum tibi exempla exhibuero, hoc etiam pietatis exercitium cæteris adiungere, quæ DEI Filio pro nobis Passo consecrantur.

Semper huius pietatis vsus viguit, postquam DEI Filius isto facto sua tormenta initiauit: & vt non nisi posteriora sæcula excutiam, S. Ludouicus Galliæ Rex multis pauperibus quouis per annum Sabbatho pedes abluebat, è viginti sex, quos prandio adhibuit, habito quorundam delectu.

S. Elisabetha Lusitaniæ Regina idem quauis per Quadragesimam Feriâ VI. tredecim egentibus feminis obsequiũ præstabat: cúmque die quodam vna ex illis adesset, quæ carcinomate infectam tibiam habebat, vlcus eius osculata confestim ei sanitatem reddidit.

S. Andreas Carmelita, qui postea Præsul magnæ sanctitatis fuit, omnes per annum Ferias VI. pro hoc charitatis officio certis egentibus exhibendo delegit: in quibus cùm aliquando quidam

dam vlceribus plenus fuisset repertus, perfectam sanitatem, post ablutos à sancto Antistite pedes, recepit.

Aliqui tamen hoc genus obsequij hac potissimum Feriâ sibi malunt imponere, haud dubiè ob illam causam, vt maiori cultu tam sacram diem afficiant, qui simili Seruatoris nostri spontaneâ abiectione fuit consecratus. S. Isabella Soror vnica S. Ludouici Regis Feriâ V. Maiori hoc Christianæ submissionis opus erga tredecim inopes mulieres exercere solita fuit, eo numero totidem Apostolis honorem habitura: quo peracto ipsamet mensæ accumbentibus inseruiebat, singulísque triginta solidos, seu Francicos asses, ad recolendum triginta denariorum pretium, quo Christus fuit à Iudâ proditore venditus, pro stipe numerauit. S. Ioanna Lusitaniæ Regina itidem quotannis anno hac Feriâ duodecim feminarum, omnium, quæ poterant haberi egentissimarum, pedes lauit.

Robertus Rex trecentos eo die pau-

peres mensæ adhibuit, quibus ipsemet flexis genibus omnia ministrabat: dein duodecim Sacerdotibus pedes abluit, quibus manu suâ eleemosynam porrigebat; quod & egentibus conuiuis fecit.

Hodie, Deo sint laudes, tot sunt Canonicorum Collegia, Cœtus, Ordines & Sodalitates, quibus hoc sanctum exercitium in vsu est; præter priuatos homines, qui ei operi domi suę vacant, vt necesse minimè videatur, pluribus verbis eam rem comendare. Hoc addi à me possit, ei, qui quocunque demum colore id præstare non queat, auctorem me esse, vt alteri cuidam Christiano facinori hoc die det operam: singula templa ac sacella obire, vbi intra vrbem Venerabile Sacramentum exponitur, laudandum opus est; & solent Christiani singulari sensu pietatis perquam frequentes hodie in templis esse. Cui parùm hoc est, poterit hodie saltem, nisi velit etiam crastinum diem adiungere, seuerum linguæ suæ silentium

tium imperare, vt nulli absque necessitate loquatur, sed in sanctâ quadam solitudine, pijs cogitationibus, colloquijs ac sermocinatione cum Deo occupatus, se contineat. Hunc morem Sanctus ille Aruernensis Episcopus per singulos Quadragesimæ dies tenuit; quem tamen Feriâ V. & VI. Maiori multò rigidiùs obseruabat.

EXERCITIVM XLV.

Pro die Parasceues.

Magnam corporis austeritatem subire, ieiunando, aut corpus affligendo, exemplo S. Hedvvigis Principis.

HAGIOPHILE, hodie planè aliquid audendum est, & IESV CHRISTI amore quiddam amplius amori indulgendum: dies nimis sacer & religiosus est; detrectare non potes: ecce! diem agimus immodico sanctóque Filij DEI amore insignem: quid pium pectus, quod Christi amo-

rem profitetur & jactat, agere aliud possit huic diuino amori maximè conforme, quàm paria tentare, & aliquâ saltem ratione in amando modum excedere?

Explanabo tibi, qualiter Christi amor excesserit; vnde discas tui etiam amoris mensuram capere; etsi, vt rectiùs loquamur, nullos deceat nos in amando illo, eiúsque causâ aduersa tolerando fines tenere, quando nec ipse patientissimus amator modū seruauit. Atque idcirco tantò libentiùs hac voce, *Excessus*, vtar, quòd obseruem, eam ab Euangelistâ adhiberi, a vbi colloquium Christi cum Moyse & Eliâ in monte Thabor institutum exponit, *Dicebant excessum eius*, aut vt S. Hieronymus vertit, *Loquebantur de excessu eius*. At enim qualis hic Excessus, de quo inter se colloquuntur? S. Cyrillus ait, hunc bonitatis in Seruatore nostro excessum esse, quem in assumendâ nostrâ carne ostendit. S. Augustinus credit, hunc esse excessum pœna-

rum

a *Luc. 9.*

rum & suppliciorum, quæ perferre debuit. S. Chrysostomus existimat, excessum incredibilis humilitatis toto, quo patiebatur, tempore fuisse. S. Bernardus affirmat, fuisse paupertatis excessum, quando voluit omnino nudus in Cruce mori, omnium spectantium oculis expositus. Audi nunc, quid S. Ambrosius *a* & S. Hilarius *b* hac de re sentiant; quibus & ego me adiungo: in hoc enim potiùs, quàm omnibus alijs eius gestis excessus amoris apparet, vtpote in quo contineatur, quidquid egit, aut agere ac pati cupiebat, si per suum Patrem ei licuisset. Loquebantur, aiunt isti, de hoc admirando charitatis excessu, verbis illis comprehenso, quæ in Cruce protulit, Patrem inclamans: *Deus, Deus meus! quare me dereliquisti? c* velut dicere ac amanter expostulare voluisset, quòd sibi pro mortalibus plura tolerare concessum non esset: perspexerat IESVS, actũ

Q 5 jam

a *In cap. 23. S. Lucæ.* b *In Matthæum. item Mag. sentent. in 3. dist. 21.*
c *Matth. 27.*

jam de suâ vitâ esse, sibíque viuendi finem imminere; jam sensit vires sibi deficere, ac sanguine omni penitùs è venis profuso, nihil superesse: desiderabat interim, diutiùs pro animarum salute maiora supplicia & longè diriores cruciatus sufferre: atque hoc desiderium tam imodicum, hic amor omni admiratione maior has ab eo voces expressit: *Deus, Deus meus! quare me dereliquisti?* Deus meus! Pater meus! potes etiam post omnium dolorum incrementum vitam mihi prorogare, vt mihi spatium suppetat, tristiora pro humano genere perferendi, quod arctissimo amore complector: exiguum judico, quidquid illorum causâ sustinui. Ah! Pater mi! cur petitioni meæ non annuis, cùm in hanc horam, quidquid à te postulaui, protinùs impetrârim? Deus meus! Pater meus! cur me dereliquisti? Pater mi! vitam mihi in Oliuarum horto conseruâsti, vbi debebam præ tristitiâ & sanguineo sudore mori: in Prætorio miraculo mihi vitam

vitam ſuſtentâſti, quam præ magnitudine dolorum, quos flagellatio, & corona è ſpinis capiti crudeliter impreſſa, intulêre, amittere neceſſe fuerat: atqui nunc æquè omnipotens es, ac tunc fuiſti; amor tuus aduerſus me, vt & in cæteros mortales, fratres meos, nihil eſt ſubinde imminutus: ergo & nunc in gratiam Filij tui, & gregis mei miraculum hoc ede: patere, quæſo, etiamnum me pati, atque animam in corpore tantiſper retine, ne tam citò diſcedat; nondum ſatis fui ærumnarum perpeſſus: víſne vt hinc inuitus diſcedam, neque priùs amori meo ſatisfaciam? Deus! Deus meus! vt quid me dereliquiſti? Pater mi! erit olim, cùm ſeruis tuis vitam ad perferenda ſupplicia liberaliter prorogabis, vt illis tempus indulgeas, quod prolixâ malorum tolerantiâ fortiter impendant: vires igni ſubtrahes, ne ſæuire in eos poſſit; gladiorum acies hebetabis, vt vitam retineant; illorum causâ mira patrabis, & ipſas naturæ leges violabis: Clementis

Ancyrani vitam ipsos viginti annos olim inter perpetua, ac identidem recentia tormenta, quibus quotidie excruciabitur, sustentabis; etsi multa illorum præsentem illi poterunt mortem afferre: & mortem eius ad maiora supplicia diutius tui amore ferenda, differes. Ah! Pater amantissime! cur non idem mihi beneficium impertis, mihi, qui æquè te amo, mihi, qui eodem studio in tuam gloriam feror? si in hac causâ nolis mihi morem gerere, an non satis causæ habeo, vocem extollendi, tibiq; denuo ingeminandi: *Deus meus! Deus meus; vt quid me dereliquisti?* Pater mi! hominum amore sum homo factus; adhuc præter modicum in stabulo frigus, cùm fui in lucem editus, nihil tuli: nonnisi triginta tres annos inter ipsos exegi, incommodis perquam leuibus oneratus: pro cibo ac potu nihil illis quàm Corpus & Sanguinem meum dedi; viginti quatuor duntaxat horæ sunt, quibus pro ipsis excrucior; ac tametsi supplicia sint acerba; breuitate

tate

ſtate tamen temporis mitigantur. Vide quæſo, num in his omnibus aliquid meo pro illis laborãdi deſiderio queat par eſſe: parùm hoc eſt, mi Pater! ſi cum illo igne comparetur, quo cor meum æſtuat, illis palàm teſtandi, me totum eſſe illorum ſaluti deuotum, ac illius ſummo deſiderio accenſum: nihílne potero à tuâ bonitate obtinere; ſeruíque citiùs petita, quàm Filius-familias, conſequentur? an non ego ſum vnigenitus, dilectus, vnicè tibi charus? an non ille ego ſum, qui ab omni retrò æternitate à te exiui & requieui in ſinu tuo? ſine igitur, me hominum, ac tui amore non viginti & octo annis, (hanc enim metam vni ſeruorum tuorum concedes) ſed vigeſies & octies centenis, ſed millenis annis, aut ſaltem ad mundi finem vſque cruciari, Pater mi! en deſideria mea, en preces ſubiectione debitâ profuſas! & quoniam video votorum meorum me compotem non factum, idcirco exclamare cogor: *Deus meus! Deus meus! vt quid me dereliquiſti?*

sti? Pater mi! sancti olim in extremi Iudicij magno die de ijs conquerentur, à quibus retracti ac impediti fuêre, quò minùs pro tuâ gloriâ, suâ salute, ac bono proximi laborarent ampliùs, ac plura sustinerent: *stabunt justi in magnâ constantiâ aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.* a Ah! quantos clamores aduersus eos extollent, qui abscissâ vitæ longioris morâ, eos fecerunt malorum impotes, & laboris sudorísque omnis expertes! atque hæc illorum querela fauentes apud te aures habebit: cur non & me pari gratiâ eadem postulantem clamātémque audias, si amanter propheticis illis proaui mei vocibus querar: *Deus meus! Deus meus! vt quid me dereliquisti?* b

Hagiophile, hic est ille amoris excessus, de quo ante prophetico spiritu Moses & Elias in monte Thabor sunt collocuti; hic est excessus IESV CHRISTI in die Mortis suæ; hic est excessus Amo-

a *Sap. 5.* b *Psal. 21.*

Amoris hac Feriâ VI. patratus. Si itaque modum amandi amantissimus Seruator omni imitatione dignus excessit, decet te quoque hodie limites transilire, cuius rei præclaram occasionem habes: Deus, Angeli & homines, qui id viderint, hoc facto intelligent, num IESVM ames: quid à me expectas audire? an vt te jubeam generosum aliquod facinus aggredi? magnæ offensæ ac ignominiæ veniam ex integro te dare? hoc sanè S. Ioannes Gualbertus nobilis Florentinus est ausus, qui ab hoste veniam per IESV CHRISTI amorem rogatus, ipsi ob eam causam ex animo ignouit: quod facinus DEI Filio tam fuit acceptum, vt, quamprimum Gualbertus in genua coram Crucifixi imagine se prostrauit, imago prodigiosè caput submiserit, velut gratias illi ob tam heroicam hosti suâ causâ impensam humanitatem egisset.

An verò auscultas, num de rigido jeiunio tibi dicam? quale esset, quod pane & aquâ suscipitur: fuítque à S. Hed-

Hedwige Poloniæ Principe vſurpatum, quæ non hoc ſolùm die, ſed quauis Feriâ VI. totius anni ita jeiunium coluit: eum rigorem DEVS miraculo probauit; quando Dux maritus eius, qui minimè illius pietate capiebatur, volebátq; eius potum explorare, perſuaſus, neque falsò, aquam ab eâ bibi, guſtando ſenſit ſe generoſum vinum delibâſſe: plures alij hac Feriâ VI. eodem exemplo non niſi pane & aquâ victitant. Traditur, S. Iacobum Minorem in Cœnâ vltimâ ſanctè jurâſſe, cibum ſe, neque potum admiſſurum priùs, quàm DEI Filius reſurrexiſſet; eíque poſtea Chriſtum ſeorſim ſe videndum præbuiſſe, vti loqui S Paulus videtur. Hoc jeiunium magnum vocant, quoniam à Feriæ V. maioris Veſpere vſque ad Sabbathi ſequentis crepuſculum nihil omnino cibi ſumitur. S. Margarita Hungarica hoc religiosè obſeruabat, vti & Stephana Seraphina ex Ordine S. Franciſci; niſi quòd iſta fellis aliquid deguſtaret, vt eo facto

Chriſto

Christo se conformaret. Sed nos magnum hoc jejunium miremur tantùm: laudandum potiùs est, quàm imitandum: satis foret, die Parasceues præter aquam & panem nihil te alimenti admittere.

An putas, me de seuerâ suiipsius diuerberatione, de aspero cilicio, aut similibus asperitatibus tibi auctorem fore? hanc sui diuexationem sancti sæpe toto anno adhibuerunt, ad memoriam cruentæ flagellationis Christi, aliorúmque dolorum, eorum imprimis, quos die Parasceues sustinuit, recolendam. Horum è numero S. Catharina Senensis fuit, quæ ter in die flagrum catenámque ferream corripuit, séque qualibet vice prope per sesqui horam tam inclementer concidit, vt ex omni parte sanguis deflueret; vt videlicet, quẽadmodum ipsa dicebat, ei vicem redderet, qui suum omnem pro ipsâ effudit. B. P. Casparus Bonus adeò sanctè hunc morem tenuit, vt die Parasceues, etsi grauis eum morbus lecto affigeret,

inde

inde se leuaret, séque tam atrociter flagris exciperet, vt humi prostratus sit à suis repertus, humeris vndique sanguine manantibus. Ad hanc classem etiam B. Columba Reatina Ordinis S. Dominici spectat, quæ à quinto ætatis anno ad dura pro IESV sufferenda se assuefecit, sæpissime cilicio è pilis equorum texto incincta: huc etiam P. Franciscum Arriam è nostrâ Societate referamus, virum opinone sanctitatis illustrem, qui, præterquam quòd singulis hebdomadibus tres totos dies cilicio esset indutus, toto Aduentûs & Quadragesimæ tempore neque noctu, neque interdiu vnquam illud exuit. In his omnibus admirari istorum excessum amoris possumus, non verò imitari, nisi quantum nostræ vires, & illorum, qui animæ nostræ curam gerunt, auctoritas nobis permittunt: atque iste tã in hoc capite, quàm alijs animi mei sensus est. De reliquo satísne clarè videor tibi meam mentem explicâsse? ostendi equidem, in quibus rebus possit

ſit flamma diuini amoris, quæ in ſe ardet, luculentiùs erumpere: tu modò audacter prudentérq; age, quod Deus tibi faciendum dictârit. Omnino IESVS tam eximiè de nobis eſt meritus, vt eius causâ ſemel in anno, & hoc die, qui nihil niſi ſanctitatem & dolores ſpirat, eius exundantem charitatem imitandi ſtudio, omnes difficultates perfringas: atq; idcirco quidquid facere decreueris, magnâ tui abiectione aggredere, ac tecum ſtatue, peccata tua ſæuiores longè cruciatus promeruiſſe; neq; puta, te aliquid eximium præſtitiſſe: quantacunque enim contentione neruos ac pietatem intendas, parum atque exile tamen id erit: tantillum eſt, quidquid mortales agant, ſi cum ijs comparetur, quæ IESVS illorum amore peregit. Et quid eſt vnius diei tolerantia, jeiunium pane & aquâ contentum, aſperitas centenorum ictuum flagelli, è funiculis, aut ſerico texti, cilicij paulò moleſtiores aculei, aut ſetoſæ veſtis duodecim horis tole-

ratæ

tatæ punctiones ? quàm exile hoc totum pro IESV est, pro quo, si nobis esset concessum, totâ Æternitate, aut certè vitę nostræ dimidio, essent omnes cruciatus perferendi. O quàm præclarum sanctúmque responsum Mariæ Diaziæ fuit, quæ cùm aliquando cum S. Teresiâ de felicitate, quam animæ nostræ ex DEI intuitu percipient, colloqueretur, ac S. Teresia pro se diceret, se mori percupere, vt eò citiùs recreare se aspectu dilecti sui Sponsi posset, at ego, respondit, vehementer cupio mihi vitæ spatium extendi, vt excerceri diutiùs aduersis possim; quando nobis Æternitas ad tolerandum pro Deo nō est ita concessa, quemadmodum ad eum amandum ac videndum consequemur! Hagiophile, quid tu ad hoc responsum ? & de rigore vnius jeiunij ac flagelli, de cilicij morsiunculâ conquerere: diu tecum luctare, num paruum & perexiguum incommodum ad vnum diem subeas, qui ambire potiùs tota sæcula deberes dolorum toleran-

tiæ

tiæ ob DEI amorem consecranda, quā tui amore mortuus, felicem interim tibi Æternitatem comparauit.

EXERCITIVM XLVI.

Pro Sab. Sancto.

Singulari affectu DEI Matris solitudinem prosequi, in quâ toto illo tempore vixit, quo SS. Corpus Christi in sepulchro fuit, exemplo S. Bonauenturæ.

SERAPHICVS Doctor S. Bonauentura æternâ laude dignus est, tum ob singulare in DEI Matrem studium, honorémque quo eius sanctæ vitæ mysteria fuit prosecutus, tum maximè ob affectum, quo eius solitudinem, Filio in sepulchro latente, colebat. De hoc argumento quoddam officium composuit, cui nomen, *de Compassione gloriosæ Virginis*, prorsus hoc Sabbatho sancto dicendum, vtpote die magnæ illius ac primæ solitudinis, quæ illam à Filio abstraxit. Illud Officium inter

sancti

ſancti illius viri opera habetur, vti etiam in Manuali precum, huius temporis pietati ſeruientium. Si juſto tibi prolixius illud Officium videtur, poteris ei Roſarium quinque decadum ad honorem B. V. ſubſtituere, animo interim triſtia myſteria recolente. Equites Ordinis à ſtellâ dicti, quem Robertus Rex inchoauit, olim lege tenebantur, hoc quinque decadum Roſarium ad colendam Cæli Reginam dicere. *a*

Hagiophile, ſi Officio illo de Compaſſione DEI Matris careas, aut à longis precibus abhorreas, paratus ſum tuo me genio accommodare; neque me difficilem in aſſignandâ ad diem hunc tam ſanctum occupatione habebis. Dixi in Octauâ, menſe Aprili occurrente, & Deiparæ honori conſecratâ, cùm de comiſeratione agerem, quâ ſit illius doloribus indolendum, 16. die eiuſdem menſis, *b* quid agere S. Brigitta hac ipſa occaſione conſueuerit

a *Fauinus lib. 4. thea. honoris.*
b *Paradiſ. Apert. cap. 4. Exerc. 1.*

rit; quod & nos poterimus facere, eo planè modo, quem illo loco adduxi, vt ritè sanctum hoc Sabbathum colamus, Hoc loco S. Mechtildis duntaxat pium studium commemorabo, eo ipso tempore ab illâ Christo impensum, quo Ecclesia Seruatoris in sepulchro jacentis memoriam recolit: tunc enim, ô delicium cordis mei! aiebat, vtinam anima mea nunc ex ebore esset, illámque tibi possem pro sepulchro aptare, vt, te quàm maximo apparatu, honore, pompáque omnium mearum interiorum facultatum in eo tumularem! a Si verò nolis aliam cogitationem hodie animo versare, quàm de DEI Matre, ac doloris eius gladio; tres considerationes huc appono, quæ tibi extremum dolorem explicent, quo B. Virgo in diurnâ illâ solitudine fuit affecta; próque totidem Meditationis hodie obeundæ capitibus inseruiant.

I. Magnum fuisse illum dolorem necesse est, quoniam ex rebus omnibus

a *Lib. 2. gratiæ cap. 16.*

bus creatis omnium amabilissimam perdidit, quæ tamen ad eam tanto iure spectabat, quámque illa vltra omnium matrum amores teneriùs diligebat. *Nullus dolor amarior, quia nulla prolis charior*, ait S. Bonauentura: *a* tanto dolore afficiebatur, vt tota in lacrimis nataret, vt S. Bernardus loquitur. *b* Deus etiam quibusdam Contemplationis studiosis aperuit, eam præ amore & commiseratione, quâ Filij moribundi & mortui mala deplorabat, triginta lacrimarum millia & nongentas profudisse, quarum multæ, vt S. Germanus ait, sanguineæ fuêre.

II. Oportuit, summum eum dolorem fuisse; sola enim ad Crucis pedem, ac in illâ solitudine plura pertulit, quàm omnes SS. Martyres sint vnquam perpessi, si S. Anselmo tribuenda sit fides: *Quidquid crudelitatis corporibus Martyrum inflictum est, leue, aut potiùs nihil est, comparatione suæ Passionis.* *c*

Marty-

a *In Officio de Compass. B. V.*

b *In planctu B. V.* c *Lib de Excell. Virg. cap. 5.*

Martyres prius corpore affligebantur, deinde animo; at MARIA in animâ cæptos dolores, postea per Sympathiam redundantes etiam in corpore persensit. Cor eius, quemadmodum eleganter S. Laurentius Iustinianus disserit, a tunc prorsus simile nitenti speculo fuit. Si hominem saucium speculo admoueas, imago illic exhibita intus omnia tibi ostendet, quæ foris fiunt; si læsus manet sanguine, si colorem in vultu mutet, omnia in speculo videbis. Tale omnino speculum animatum, Cor MARIÆ fuit; speculum fuit Filij sui morientis, funium, spinarum, clauorum, dolorum & ipsius mortis: hæc omnia comparuêre in Corde Virginis, ac sensu percepta, velut in animato viuóque speculo, fuerunt; ipsam etiam mortem illic repræsentatam vidisses. *Cor MARIÆ, ait ille, clarissimum Passionis Speculum, & perfecta mortis imago effecta est.* Ipsa DEI Mater olim S. Brigittæ significauit, Filio suo mortuo ac

R sepul-

a *Lib. de triumphali agone.*

sepulto idem fuisse, atq; si duo corpora fuissent eodẽ sepulchro tecta: se fuisse veluti mortuam, neq; pati post mortẽ Filij sui desijsse, siue quòd eius jacturæ, ac præteritorum suppliciorum, quæ Filio illata etiamnũ eius animo obuersabãtur, meminisset; siue quòd cõtumelias mortuo etiam Filij sui Corpori irrogatas, ipsa persentisceret. Quam ob causam Landspergius asseuerauit, Matrem similem omnino dolorem ictu lanceæ, quo IESVS post mortem est cõfossus, fuisse expertam, qualem eius Filius percepisset, si adhuc viuenti fuisset illud vulnus factum.

III. Summus vtique & incredibilis ille dolor fuit: equidem DEI Mater etsi in partu nihil sit doloris ac molestiæ perpessa; luculenter tamen illud ad pedem Crucis compensauit, vt Rupertus Abbas ait: amisit enim eum, quem ipsa Patris, Sponsi, Filij, & omnium rerum loco habuit. Ipsa S. Anselmi ore lamentatur: *Nunc orbor patre, viduor sponso, desolor prole, omnia perdo, te vno perdito.* Hoc est, quod eam ad extremam

orbitatem deduxit, quando eo se priuatam animaduertit, quem instar omnium amabat: præterea, cùm Mater esset defuncti, hoc est, IESV, qui Patrem in terris non habuit, sed in Cælo duntaxat; debuit illa non eum solùm dolorem, quem Mater tali Filio debebat, experiri, sed eius magnitudine illam tristitiam supplere, quam decuisset eius Patrem concipere, si cadere in illum sensus alicuius mœroris posset. Idem de S. Iosepho Patre illius putatitio & legali dixerim, qui paulò antè fuerat vitâ functus: eius igitur etiam loco eam tristitiam admisit, quâ ille, si superuixisset, in cunctis hisce malis fuisset perfusus. Hæc omnia satis ob oculos dolorum magnitudinem nobis ponunt, qui pectus DEI Matris in Morte & absentiâ Filij sui lancinârunt: vt nihil de eo dicam, quod S. Bernardus in suis meditationibus annotat; quoniam scilicet peccata nostra causam suppliciorum & Mortis Christi præbuerunt, illam hinc millies plus tristitiæ ac mæ-

roris à nostris sceleribus accepisse, quàm è cunctis cruciatibus, qui IESV CHRISTO dilectissimo Filio suo fuerunt illati: *Plùs doluit super peccatis nostris, quàm super proprij Filij pœnis corporalibus.*

CAPVT III.

OCTO PIETATIS EXERCITIA ERGA FILIVM DEI, pro Festo & Octauâ gloriosæ Resurrectionis D. N. IESV CHRISTI, ad diem & Octauam Paschatis.

EXERCITIVM I.

Pro die Paschatis.

Filio Dei illa gaudia gratulari, quæ die S. Resurrectionis suæ percepit, exemplo S. Mechtildis.



HAGIOPHILE, diu non nisi tristibus argumentis de sanguine, de vulneribus, de doloribus

ribus ac mœrore ſumus immorati: bono animo es! poſthac de meris gaudijs, venuſtatibus, delicijs, ac hilari materiâ loquemur: IESVS enim, quem perfuſum ſanguine & ignominijs fuiſti contemplatus, hodie glorioſus, victor, formæ miraculum ad vitam redijt. Quare hoc Octiduo conabor, quantùm potero, Myſterij huius rationem habere: & quia difficile eſt, toties noua exercitia pietatis idoneáque huc collocare; ad illa ſaltem aliunde ſupplenda, quædam hîc apponam, quibus vehementiùs ac ſolidiùs poſſimus ad IESV amorem accendi, aut ſi illo antè calemus, eundem augere.

Hodie itaque à mentis noſtræ gaudio, quod de IESV hodie à Mortuis rediuiui gaudio concipimus, auſpicabimur, vt ei ingenuâ, piâ amabilíque cõgratulatione applaudamus: huic ſanctæ hilaritati olim S. Mechtildis feſto Paſchatis die vacabat. a Quod vt rectiùs à nobis fiat, exiſtimo, lectum hodie

a *Ex lib. Gratiæ c. 30. & 31.*

die paulò tibi maturiùs deferendum, vt tergeminæ Mariæ exemplum ſequaris; quando tres illæ nondum orto ſole ad ſepulchrum feſtinârunt, dilectiſſimi Magiſtri ſui Corpus vnguentis & balſamo inuncturæ: ea promtitudine poſſes aut omnino primus, ſi quidem fieri queat, aut inter primos eam Reſurgenti gloriam ac felicitatem gratulari, animíq; tui lætitiam ob admirandam hanc vitæ immutationem ei teſtari, atque id eo mentis ac verborum apparatu, quem cæleſtis amor IESV tibi ſuggeret, vt ei ob tam eximias dotes ac pulchritudines Corporis, claritatem, patiendi immunitatem, ſubtilitatem, agilitatem, gaudium & alia cæleſtia ornaméta ac perfectiones applaudas: vt tamen nulli rei te adſtringas, niſi quam à Deo tibi ſenties intus ſubminiſtrari.

Si tamen ſcire aut vſurpare velis illam congratulationem, quâ S. Mechtildis fuit vſa; eam tibi mox attexo:
a Adoro, laudo, magnifico, glorifico te,

a *Ex libro 1. gratiæ cap. 32.*

te, gratulor & benedico tibi, ô pulcherrime IESV! ob inæstimabile gaudium, quod momento gloriosæ tuæ Resurrectionis percepisti! obsecro te, ô amor cordis mei! per incomparabile gaudium Cordis tui, & Corporis iterum Animæ tuæ sanctissimæ coniuncti, vt possim refrenare gaudia mea, neque aliam mihi lætitiam permittas, quàm quæ ob tuam gloriam me exhilarat. Lætare, ô IESV lætitia cordis mei! ob inexplicabile gaudium, quod amabilis Maiestas tua ob honorem membris tuis in Resurrectione habitum concepit, quando tanta fuerunt pulchritudine donata, quantis antè in Cruce fuêre doloribus probrosè affecta. Obtestor te, ô speciose formâ præ filijs hominum! per hoc ineffabile gaudium, ne mihi quidquam des ac indulgeas, quàm quod possit exhilarare cor tuũ, tibíque acceptius in tempore & Æternitate sit futurum. O vt te Angeli ac Cælites omnes laudent, tibíque æternùm infinitis vicibus eam lætitiam

lentur, quâ SS. Anima tua expletur, ob innumeram multitudinem beatarum mentium libertati restitutam, ac tuo jussu è limbo eductam! Quæso te, diuine amator mentium nostrarum! per eandem inexplicabilem hilaritatem tuam, cor meum ab omnium cupiditatum seruitute absolue, & in horâ mortis tuam pro me magnopere timēte, ne soluendo non sim, tuam fidem interpone, ad debita mea præstanda, quæ vnquam te offendendo meis noxis contraxi. Applaudo tibi, ô princeps amicorum meorum! ob im̄ensum gaudium, quod te recreauit, quando Deus Pater tuus potestatem tibi contulit, tui amantes remunerandi, pro æternâ hæreditate ac possessione ijs tibi concessis, qui tuæ Crucis & suppliciorum fuerunt amantes, vt eos olim ad gloriam tuæ similem deducas. Ad SS. pedes igitur adorandæ Maiestatis tuæ prostrata, infinitam bonitatem tuam per hoc imcomprehensum gaudium imploro, velis hac me gratiâ beare, vt in-

ter

ter Elector tuos adnumerer, quò in illorum Societate de supremâ tuâ felicitate ac teipso æternum gaudeam, ô vnicum gaudium meùm! ô summum bonum! ô amor meus vnicus in æternum! Amen.

EXERCITIVM II.

Pro Fer. II. Pasch.

Frequenter de Filio DEI cogitare, eâ præsertim venustate prædito, quâ post Resurrectionem suam nitebat, exemplo B. Virginis.

HAGIOPHILE! Dulce est, de Filio DEI cogitare ac IESVM, vt vnicum ac præstantissimum elegātiæ omnis exemplar, memoriæ obijcere: cùm adhuc inter mortales degeret, tanta in eo pulchritudo etiam foris elucebat, vt miseri ad calamitatis suæ solatium, omnésque alij vulgò inter se dicerent: *eamus & videamus Filium MARIÆ*: a eius forma tam erat

a *Lib. 4. reuel. S. Brig. cap. 70.*

venusta, rara & venerabilis, vt multi eius amore capti, ab eo discedere nequirent, eúmq; quoquouersum sequerentur, ne illius aspectu carerent. *a* Cæleste quidpiam præseferebat, quod oculos intuentium quibusdam lucis radijs ceu blando fulgure perstingeret; vnde in admirationem rapti, sensu tenerrimæ ac incredibilis voluptatis perfundebantur: alioqui nunquam eum Apostoli ad simplicem vocem fuissent secuti. Nulla vnquam pulchritudo, illius par fuit, aut vnquam posthac tam absoluta conspicietur. *Vniuersis pulchrior est Virgo de Virgine*, ait S. Hieronymus. *b* S. Antoninus affirmat, præcipuam causam, cur S. Petrus continuis lacrimis post Seruatoris mortem maderet, fuisse, quòd sentiret, IESV charissimi Magistri sui se posthac aspectu cariturum; solámque dulcissimæ eius consuetudinis, gratiæ in vultu promicantis, ac obtutûs tam gratiosi, quo

a *S. Chrys. hom. 28. in Matth.*
b *S. Hier. Epist. 140. ad Princip. Virg.*

quo imposterum frui nō posset, recordationem perpetuò illi lacrimas excussisse. At postquam ad vitam immortalem reuocatus, atque corpore glorioso, nouâ prorsus gratiâ & maiestate donato, fuit ornatus; tunc enimverò centies ac millies pulchrior comparebat: etenim vnius corporis gloriosi venustas augustior & dignitate plenior est, quàm quæ omnium totius mundi corporum etiam humanorum à condito orbe fuerunt, aut ad supremum vsque diem subnascentur; quandoquidem ea pulchritudo naturalis formæ gratiam longè excedit: qualis igitur pulchritudo, venustas, decor, & quàm perfecta symmetria in Corpore fuerit Regis gloriæ & venustatis? solet enim gloria & eximia beatorum corporum forma animarum gloriæ & pulchritudini respondere: quemadmodum igitur Seruatoris nostri SS. Anima sola plus gloriæ habuit, quàm omnium simul Sanctorum & Angelorum sunt consecuti, corpus quoque erit si-

ne comparatione pulchrius, amabilius, maiori gratiâ perfectionéque præditum, quàm omnium ſimul aliorum corporum, quantacunque gloriâ emineant: vt interim nihil dicam de illâ pulchritudine, quæ ei omnino ſoli ac vni propria eſt, pulchritudo videlicet Verbi infinita, quod eſt illi intimè ac hypoſtaticè coniunctum: atque ea non eſt alia quàm DEI pulchritudo, in humanâ IESV CHRISTI naturâ, neque ſolùm in eius SS. Animâ, ſed & ſacroſancto Corpore collocata: *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* a Illa pulchritudo ita corpori iuncta naturali conſecutione ei extraordinarium eximiúmque ſplendorem, planè diuinum & aliquo modo infinitum cōciliat. Quàm felices illi fuerunt, quibus contigit IESVM videre, eíque in hoc ſtatu gloriæ, in tantâ venuſtate Reſurgenti aſſiſtere!

Iterum dico: dulce ac pulchrum eſt, IESV recordari, eúmque ſibi eâ formæ excellentiâ, quæ fingi poteſt, præſen-

tem

a *Coloſſ. cap. 2.*

tem fingere. O quàm dulcis eſt memoria huius diuini Amatoris, Dei-Hominis, huius omnium elegantiarum miraculi, huius ſupremæ ſe intuentium illecebræ! Eiuſmodi cogitationum aſſuetudo omnes moleſtias, ac vitæ languentis faſtidia in ijs abſtergit, qui non niſi Cælum, & Seruatoris ſui vultum ſuſpirant. Hæ cogitationes mentem S. Catharinæ Genuenſis, B. Magdalenæ, de Pazzis, B. Angelæ de Fulginio, & plurium Sanctorum recreârunt, qui nihil ita in animo quàm IESVM circumferebant. Ipſa DEI Mater, vt eius ante omnes alios amans, animum perpetuò habuit IESV Filio ſuo affixum, cuius amore fuit vulnerata: *Vt nuntietis ei*, dicebat illa filiabus Ieruſalem, *quia amore langueo*: a Et juxta Septuaginta, *quia vulnerata charitate ego ſum.* En, vt genus amoris ponitur, qui amanti vulnus infligat! quemadmodum enim homo vulneratus aliud nihil niſi ſuum vulnus & auctorem vulneris cogitat; ita MARIA non potuit aliò animum, niſi

a *Cant. 3.*

si ad Filium applicare, cuius fuerat amore vulnerata: atque hac ratione vitæ reliquum, etiam absente Dilecto suo, suauiter exegit. Vt sanctè viuere, ac mori beatè possis, id maximè cura, vt frequenter IESVM cogites: quod luculenter sanè in S. Agnetis Virginis & Martyris vitâ ac morte apparuit: IESVM enim cogitãdo & suspirãdo vitam traducebat; cúmq; moriendũ illi esset, hęc ei verba amore plena in ore, hę cogitationes ad IESVM directæ in animo versabantur: *Ecce venio ad te, quem amaui, quem quæsiui, quem semper optaui.*

Hagiophile, si te hodie decies aut trigesies jubeam de IESV cogitare, ac semel tandem eius admirandam pulchritudinem probè tibi repræsentare, vt alias cogitationes, per vitę reliquum circa hoc argumentum à te suspiciendas, fortiùs animo infigas; num tibi nimius in hac re videbor? noli diuini amoris vulnus formidare: *Præbe te jaculo formoso, siquidem Deus sagittarius est,* a ait

a *Homil. 2. ex duabus in Cant.*

ait Origenes. Eius sæpe juxta legem atque consuetudinem amoris meminisse, multum tibi conducet: amor enim vt primùm intra cuiuspiam pectus se insinuauit, illico suscepto cogitationum imperio, eas propè omnes rei amatæ impendit. Quòd si decreueris, istiusmodi cogitationibus vacare, sæpe IESV pulchritudini immorare; cui considerandæ hoc maximè gloriosæ Resurrectionis tempus congruit: & hæc venustas ita considerata, ostendet tibi, quàm IESVS sit amabilis: amamus enim, quæ pulchra sunt; & quantò quidlibet est formosius, aut à nobis æstimatur, tantò eius amore ampliùs accēdimur. Hoc vnum, quod te moneam, superest, te videlicet has erga DEI Filium cogitationes posse nunc hoc, nunc isto modo concipere; nunc admirando: ô quàm pulcher es, dilecte mi! ô IESV quàm es amabilis! ô dulcissime Seruator! quàm volupe est, te in gloriâ videre! ô Rex pulchritudinis, quàm liberaliter dolorum tuorum præmium accepi-

accepisti! ô amabile lumen oculorum nostrorum, quàm es admirabile! Nunc desiderando: ô IESV fratrum primogenite! quando in comitatu tuo omnes fratres tuos numerabis corporum suorum gloriâ vestitos? ô magnes incomparabilis! quando tandem in tui amorem mortales omnes rapientur? Modò per breuia suspiria: ô IESV formose! Fili MARIÆ! miserere egentis animæ! ô IESV gloria mea! cùm olim resurgam, gloriam corpori meo concede: aliàs per exercitium Fidei, Amoris, spei in illum conceptæ, eo modo, quem proximè sequentibus tribus Exercitijs adducam.

EXERCITIVM III.
Pro Fer. III. Paschæ.

Circa mysteria Vitæ Christi actus Fidei exercere, præsertim circa Resurrectionis veritatem, exemplo B. Gratiæ Valentianæ.

HAGIOPHILE, parùm abfuit, quin te hodie ad pium quoddam opus

pus inuitarem, eodem fine obeundum, quem olim in hoc ſacro triduo Florentini ſpectârunt. Pia apud ipſos quondam ac imitatione digna conſuetudo viguit, quotannis Feria II. & III. Paſchatis ſolennem ſupplicationem inſtituendi, quâ gratias peccatorum loco agebant, qui his Chriſto Reſurgenti ſacris diebus ad frugem & cum Deo in gratiam rediêre; additis etiam precibus, quibus ijſdem ſanctioris vitæ propoſita exequendi gratiam, ac bene viuendi in reliquum annum conſtantiam impetrarent. a Verùm, quia mihi perſuadeo, id te quouis feſto die obſeruare, malo tibi pro hâc III. Paſchatis feriâ ſanctam de Chriſti Seruatoris noſtri Reſurrectione cogitationem circa Fidem ſuggerere, in quâ hodie præſertim jubeo te freqnentem eſſe, ſiue vt aliquid tibi meriti accreſcat, ſiue vt Chriſtum Reſurgentem, totámque triumphantem eius Curiam exhilares.

Actus Fidei circa Myſteria Vitæ Chri-

a *Ex vitâ S. Zenobij Archiep. Florent.*

Christi omnes eiusdem pretij ac ingentis meriti sunt, illísque animi nostri in studio perfectionis recreantur; qui magno numero, totius anni decursu ad præcipua Christi D. N. festa, aut etiam quotidie exerceri possunt, minimùm saltem, dum symbolum Apostolorum recitatur. Sed vt verum fatear, actus illi, quos occasione gloriosæ Resurrectionis iteramus, nescio quid plùs blãditiarum ac fructûs habent; vnde mentes nostræ magis exhilarantur: quando, præterquam quòd magnopere nos recreemur, recolendo IESVM in suo SS. Corpore nouam gloriam consecutum, dulci nos insuper cogitatione permulcet, persuasos, nunc demum facto initio, corpora nostra olim in eius felicitatis partem ventura: quâ in consideratione obseruaui quosdam frequentes ac totos fuisse.

B. Gratia Valentiana, è tertio Ordine S. Francisci de Paulâ semper hæc verba in ore habuit, quæ sunt ad hoc tempus admodum idonea; neque dubito,

bito, te illa trigesies hodie repetiturũ: *Christus viuit, Christus regnat, Christus imperat, Christus ab omni malo nos defendat.* a S. Mechtildis hoc imprimis tempore præclaras illas voces vsurpapabat: *Credo, quòd Redemptor meus viuit.* Cui Christus significauit, quoties illa verba quispiam efferret, quibus fidem Resurrectionis IESV CHRISTI adstruimus, sanctos in cælo Regis sui Resurrectione, vt & eâ, quam ipsi exspectant, delectari; eodémque tempore pro illis eos precari, qui in terris seu cantu seu simplici voce verba illa pronuntiant, vt olim possint eiusdem gloriæ participes fieri. *b*

a *In hist. Ordin. lib. 7.*
b *Lib. 5. gratiæ cap. 17.*

EXERCITIVM IV.

Pro Fer. IV. Paschæ.

Spei ac fiduciæ actus erga Dei Filium frequentare, exemplo S. Francisci Seraphici.

VBINAM rectiùs nostræ spes collocentur, quàm in IESV CHRI-

STO, qui est *Spes omnium finium terræ*, *a* qui nos præ alijs eripere à nostris malis, & vicissim cumulare bonis potest, qui omnium amicorum est fidissimus? Hinc S. Petrus, ad eum conuersus, dixit: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* *b* Hæc eadem causa fuit, cur tot viri probi illa S. Ambrosij verba toties in ore habuerint: *In te, Domine, speraui, non confundar in æternum.* *c* Idipsum effecit, vt S. Franciscus Seraphicus tam in suâ quàm suorum causâ spe ac fiduciâ in IESVM se sustentaret: nihil magnum, nihil modicum aggredi sustinuit, quin priùs spes suas illuc, vt ad Cynosuram, verteret, & IESVM suis negotijs præficeret, curâ omni penitùs ei permissâ: *proponebat Christo duce se facturum ingentia*, ait S. Bonauentura, dum eius vitam describit. *d*

Quando igitur ita se res habet, decet sanè illos me imitari, ac sæpius hodie præsertim, ad acquirendum vsum, cum S. Petro dicere; *Domine, ad quem ibi-*

a *Psal. 64.* b *Ioan. 6.* c *Ex Psal 30.* d *Ex vitâ. cap 14.*

ibimus? verba vitæ æternæ habes: aut cum S. Ambrosio: *In te, Domine, speraui.* & spero; *non confundar in æternum.* aut cum Regio Prophetâ: *Domine tu es spes mea ab vberibus matris meæ:* a amãtissime IESV! in te omnis mea fiducia: & vt ampliùs illam aduersum te exsperam, spero in te, DEVS cordis mei! spero, ô IESV comune tuorum præsidium! te mihi auxilio, te ducem in viâ salutis fore, te mei, corporis & animæ, bonorum, sanitatis, morborum, honoris mei, & quidquid me attingit, peculiarem rationem habiturum: spero, tibi vitam & mortem meam curæ fore, locúmque in Cælo inter sanctos tuos daturum: spero, pulchritudine tuâ non perpetuò me priuatum iri: spero, me quondam diuini vultûs tui compotem, ac dignum futurum, qui ad SS. manuum tuarum osculum admittar: Spero, me totâ æternitate tuum fore: possúmne melius quidquam sperare? Speret alius, quod volet: IESVS est, in quo

a *Psalm. 21.*

quo ſpes meas omnes habebo ſitas; eique centies millies, dum viuo, dicam: IESV DEVS vitæ meæ! ſpero in te, ſpero, ſpero: nemo me vnquam arguet, ſpes me tam glorioſas animo fouiſſe.

Ad ſpem longè quàm fui antè ſolitus, fortius ac frequentius per iteratos eius actus in Chriſto defigendam, vehementer incendor, quando mecum illa beneficia recolo, quæ Valgius probus ſenex ab eius diuinâ liberalitate accepit, quòd ſemel aut iterum, ad ſummum ſexties, animum ad ſpem in IESV CHRISTO ponendam excitârit: S. Paulinus *a* eius felicitatis ſeriem enarrat. Is igitur ſenecio paucorum dierum Catechumenus naui vehebatur, quæ ex Inſulâ Sardiniâ ſoluens, à nautis metu naufragij fuit prorſus deſerta, rabie tempeſtatis alijs quibuſdam nauigijs, quæ illam præibant, jam mari hauſtis: cúmque feſtinatò ſcapham conſcenderent, Valgij, qui in carinâ nauis ſentinam hauſtro exhauriebat, im-

a *Epiſt. 34. ad Macorium.*

immemores; sensit Valgius inusitatâ agitatione nauim jactari, quâ diu præter modum vacillante, in superius tabulatum progressus, vbi se solum, ac in præsentissimo discrimine deprehendit; metu propè exanimatus, aliquoties spem in Seruatorem nostrum elicuit, prout doctus, & jam Catechumenus solitus est facere; eíque animo fiduciâ pleno suam salutem commisit. hac tempestate & periculo circumuentus jam sex dies ac noctes absque cibo & potu exegit; cùm ad extremum Christus ei palàm apparuit, aliquot Angelis comitatus, qui postquam eum consolatus bono jussit animo esse, cibum ei obtulit. Posthæc vt euidenti eũ periculo eximeret, de incidendo malo admonuit; quod ille duobus ictibus effecit; etsi alioqui à multis junctâ operâ non nisi maximo labore vix tandem fieri potuisset. Inde Seruator noster ordine ad singulos eum labores citabat, siue necesse foret, anteriorem in prorâ malum explicare, siue nauim a-
quis

quis exonerare; vt qui nollet eum otiosum & laboris immunem esse, quantum in ipso esset: etsi Angeli manus illi ac operam suam ita comodârint, vt molestiores labores ipsi occuparēt. Quòd si tempore illo, quo laborandum illi erat, somno indulgeret, mitissimus Seruator manu auriculæ admotâ, leniter, ne subito horrore percelleretur, eum excitabat: viciſſim, cùm quieſcendi tempus eſſet, dormientem modò suis genibus ſuſtentabat; modò ſinu excepit: iterum euigilantem conſolatus, de cæleſti gloriâ ſermonem inſtituit, admirabili comitate ac blanditijs in ſenem vſus; cui ipſum adeò Valgij nomen in Victoris commutauit. Tres ac viginti dies in hunc modum ea nauigatio tenuit; quibus elapſis tandem ad Calabriæ portum quemdam nauis appulit: vbi re totâ, vt erat geſta præſentibus expoſitâ, ad S. Paulinum Victor adducitur; quem ille Baptiſmo ablutum, juſſit ſibi omnia prodigioſi itineris miracula percenſere: quod dum faceret

ceret

ceret Victor, præ IESV Nauarchi sui amore vbertim lacrimatus est: neque minùs madentibus oculis S. Paulinus aurem narranti præbuit, neque satiari attactu illius auriculæ potuit, quam Christus SS. suâ manu tractâsset, ita quidem, vt frequenti illius contrectatione supremam illi cutem abstraheret. O Hagiophile; quàm multa mihi dicenda super hoc argumento forent! lege ac relege; ac omnino certus, deinceps spem omnem in diuinâ bonitate, & infinitâ IESV te diligentis dulcedine reponere, posthac sæpius, quàm vnquam fuisti solitus, in eâ te fiduciâ exerce: polliceor tibi, tam pium Seruatorem multò humaniùs ac excellentiùs, quàm Victori fuit quondam blanditus, saltem in Cælo te olim habiturum.



S EXER-

EXERCITIVM V.

Pro Fer. V. Paschæ.

Frequenter ad IESV CHRISTI amorem se excitare, exemplo B. Magdalenæ de Pazzis.

NOVI, quosdam magnopere in eo laborare, vt intelligant, quo loco possit vera sapientia reperiri, vbi illa domicilium & sedem figat: hos ego tam curiosos cum ipso etiam Iobo cuperem vehementer, ad cor IESVM amantium diuertere, illúdque scrutari, ac digito tentatis eius foribus explorare, num illic sapientia commoretur: si enim hoc loco illam reperire non est, nuspiam est: non est Sapientia nisi in horum cordium Regno quærenda: quantus enim abusus, sapientis nomen profanis ac stultis mortalibus tribuere, quos ægrè sol luce suâ dignatur? nemo est sapiens, nisi qui scit, IESVM amare: & quæso te, vbi dominatur,

tur, in quâ re Sapientia Christiani hominis consistit, nisi, vt metuas & ames IESVM? *Quid est, quæso, sapientia Christiani, quid nisi timor & amor Christi?* ait Saluianus Episcopus Marsiliæ. *a*

Sapientiæ suę fines ponant alij, quos volent: habes, Hagiophile, compendium, ad sapientiam pertingendi; si IESVM ames, eúmque centenis exemplis reipsa in amoribus tibi esse testeris; siue vt ignem jam conceptum his alimentis foueas, siue vt nouiter animum ante hac frigidum accendas, aut hominibus & Angelis ostendas, te rem nullam, quàm IESVM, omnium maximè de te meritum & à te diligendum, tuo amore dignari.

Ah! cur facultas mihi deest, omnium IESVM amantium amabiles voces & suspiria per otium arbitrandi, vt eorũ animos, qui hęc lecturi sunt, illis flam̃is accẽdam! Certè si mecum illas B. Magdalenæ de Pazzis amantes voces reputo, vix me contineo, putóque mihi necessi-

a *Lib. 4. ad Eccles. Cath.*

essitatem imponi, vt palàm edicam, me IESVM infinitè pulchrum, infinitè sapientem, infinitè bonum toto amoris mei impendio deperire. Sæpe sæpius illa ingeminabat ac vociferabatur: O IESV amor meus! amo te medullitus! ô amor! quàm pauci te æstimant, & amant! si nemo est, qui te amet, ad me diuerte, amabo te: in pectore meo sedem fige; experieris, in amando fidem me colere. Aliàs nonnunquam seipsam allocuta, Magdalena, dicebat, an non amas amorem? ah! facit amor, vt moriar viuendo, & moriendo viuam. Si interim, dum Monasterium obiret, aut alio loco è Monialibus aliquam haberet obuiam, amore IESV totam illâ amandi cõtentione abripiente, ad illam conuersa, ô Soror mea! inquiebat, ama amorem, ama IESVM velut vitam tuam; & nunquid moreris præ amore? ô amor! ô IESV! quis te non amaret? amo te, cuperémque te tanto amore complecti, quanto amari dignus es.

Hagiophile, persuade tibi, omnes

IESV

IESV amantes hoc ore loqui, neque parem ei voluptatem esse, quæ percipitur horum linguam intelligenti, neq; maiorem esse sapientiam, aut gloriam ampliorem, quàm illorum ore & sensu loqui. Nihilominus, vt tibi aperiam, quid de hoc amoris exercitio sentiam, quis tibi in eo modus sit tenendus, ad duo capita illud reduxi. Eius actus alij sunt breues, ac ideo grati, qui & cunctis alijs ad iterandum faciliores, qui variari augeríque pro amantium ingenio studióque possunt: & hos decet nobis esse familiares; ijs possumus ac debemus quauis occasione, interdiu, noctu, soli, cum pluribus, quouis denique loco vti, si vulnerati IESV amore sumus: eos decet aut cogitationi, aut voci seu submissæ, seu elatæ sæpius obrepere; vt nunc nostrum amorem simpliciter profiteamur, dicendo: IESV mi dulcis! toto corde te amo! aut: dilecte Seruator, amo te plùs quàm vitam meam, plùs quàm res vniuersas: nunc in amore delectum faciamus: Domine

IESV! te æternum amoris mei ſcopum præfixi: modò gratulemur: ô quàm gaudeo, dilecte mi; te Filium DEI eſſe! ô DEVS Homo! triumpho & præ lætitiâ geſtio, quòd ſciam, te Gloriæ Regem eſſe! ô delicium cordis mei! delector ob omnes diuinas perfectiones & dotes tuas: aliàs ſit amor beneuolus: ô IESV amabilis! vtinam res omnes creatæ totas tibi laudum myriades perſoluerent! ô IESV omnipotens! benedico tibi, magnifico & glorifico te, vt Regem ſancti amoris, & delicias Patris æterni: nunc amor Chriſtum ſibi vindicet: IESV mi dilecte! tu es ſpes mea: extra te & abſque te nihil volo, nihil exſpecto, nihil ambio: ô IESV Rex cordis mei! ô quàm deſidero, in illo feliciſſimo gloriæ regno clarè te intueri! modò ſit amor conformis & vnanimis: O amantiſſime IESV! amo & adoro voluntatem tuam: ô amicorum amiciſſime! intra brachia ſuauiſſimæ prouidentiæ tuæ me proijcio, exequi paratus, quidquid me facere jubebis: nunc do-

leat:

leat: ah! chare Redemptor! non audeo ad cælum oculos attollere, tantopere me excruciat, à me tam bonum Dominum fuisse offensum: ignosce, Domine! fateor, maluisse me mortuum fuisse, quàm meis peccatis tuam iram prouocâsse: modò amor Christo Patienti indoleat: O corpus innocens IESV mei! quàm libenter pro dolente dolerem! ego sum, cui pro te pati & volupe & necessarium esset: alio tempore amanter aspiremus: ô IESV amor amoris mei! vita vitæ meæ! ad te omnia desideria collimant: posthæc amor summi Christi amorem faciat: O Seruator mi! fixum mihi ac decretum est, quidquid mihi felicitatis aut sinistrâ acciderit, nunquam passurum à tuo me amore auelli. Huius igitur primi generis aliquot specimina vides; quæ pluris ego facio, tum ob suam breuitatem, tũ facilitatem, ijs nunc hac, nunc illâ formulâ vacandi, juxta varietatem illam, & exempla hîc à me allata: ad quorum similitudinem poterunt alij

actus efformari, aut illi adhiberi, qui cæteris arridebunt. Non negauerim equidem, vtrunque difficile esse, animum eò assuefacere, vt interdiu sæpius huiusmodi pijs suspirijs immoretur: sed gratia cælestis, pia consuetudo, & DEI amor hæc omnia perrumpunt; dein quid verius illâ S. Augustini Sententiâ: *Qui amat, non laborat.*

Alij amoris actus circa idem argumentum & causas amandi versantur; sed patent, & mentis cogitationes conatúsque amoris luculentiùs produnt; adhæc plus otij ad se explicandos requirunt. Horum vsus in templo, aut in Oratorio festis præsertim diebus & Christo D. N. peculiari religione sacris, commodus est. Si ad manum tibi est Ars compendiosa DEVM amandi R. P. Henrici Albij, aut I. Tomus de Cognitione & amore Filij DEI, à R. P. Ioanne Baptistâ Santlure conscriptus, quorum vterque nostræ Societatis est; reperies illic, quidquid de tam excellenti argumento dici potest. Tales verò

rò amoris exercitationes, quæ pro tuo ingenio ſint omnino factæ, non poteris aliunde, quàm è fundo Cordis tui depromere; librorum inopiâ, qui te illas doceant. Senas tibi ad ſcribo: flecte genu, & ſaltem hodie domi tuæ illas vſurpa; erit fortaſſis vna illarum huic ſacro tempori maximè accommoda.

I.

O IESV glorioſe dominator cordis mei! neſcio, vtrum mihi vanè blandiar; certè videor mihi, amare te, aut ſaltem velle me tui amore affici. A puero didici, alterum amare, eſſe idem, ac illi bene velle: vide igitur, quantos in tui amore progreſſus fecerim: vellem potiùs, me adhuc in nihilo ſepultum, nihil mei habere, quàm vt id non eſſes, quod modò es: magìs me delectat, te diuinis & adorandis tuis perfectionibus eſſe præditum, quàm ſi eas ipſe poſſiderem. Summo ſtudio diuinam tuam gratiſſimámq; voluntatem, omnem excellentiam & gloriam tuam depereo; illíſque grauiter indignor, qui

ſuas tantùm cupiditates ac ſenſum ſequuntur, honoréſque prenſant & adorant; cùm debeant ſuas voluntates tuo arbitrio ſubmittere, omnéſque tibi dignitates cedere. Ego quidem tantoperè ſentio me tuis commodis addictum, vt Inferorum pœnas eligerem, modò tuâ gratiâ non exciderem, quàm vt Filius DEI non eſſes, aut minimum de tuâ gloriâ decederet: exiſtimo equidem, ſi ita loquar, ſi verbis animus conſentiat, ſi paratus ſim, hęc omnia meo ſanguine conſignare, hoc demum eſſe, tibi bene velle: quod ſi ita eſt; amo te, IESV amabiliſſime! téque tamdiu amabo, quamdiu eris amabilis, hoc eſt, totâ æternitate.

II.

O IESV! ipſo amore amabilior! ineſt neſcio quæ vis occulta, quâ ad amandum natiuâ propenſione impellor, quidquid pulchrum eſt: quantas igitur cauſas habeo te amandi? Si enim tuam venuſtatem, eámque imprimis conſidero, quæ in Reſurgente reſplendet, agno-

agnoſco, vniuerſi orbis pulchritudines te vnum longè ſuperare. SS. Corpus tuum & Anima tua omnium elegantiarum ſedes eſt: tu es illud formarum omnium compendium & miraculum. Incredibili gaudio perfundor, miréq; acquieſco, ſi vel cogitem, tam formoſum te eſſe: quid igitur me prohibeat, rem omniũ amores promeritam amare? accedit inſuper, quoniam nihil vſpiam præter te verè pulchrum inuenio, non poſſe aliò meos amores niſi in te deriuari. Multi mihi Phœnicem, apodem Indicam (ſeu Paradiſiacam auem) Iridem cæleſtem, Orientem ſolem, adamantes ceu pulchritudinis exempla jactârunt; ſed comperi, totidem mendacia fuiſſe: ſi vſpiam reperiri venuſtas poſſet, exiſtimo, eam in vultibus virorum ac mulierum quærendam, quos per errorem pulchros vocamus, etſi reuera non ſint: omnis enim Caro, vir, femina, mortalis adhuc vitæ inquilini, nihil ſunt niſi fœnum: omnis eorum factus, decor, ac deliciæ euaneſcunt

ſcunt & marceſcunt inſtar floris cum fœno ſuccisi: *Omnis caro ſœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri.* a Extra te nihil pulchrum, ô venuſtas vnicè pulchra! omnes aliæ adulterinæ formæ, quantò à me accuratiùs inſpiciuntur, tantò magis animum perturbant, ſitim accendunt, ac opinionem mihi ingenerant, eas omnes nihil omnino venuſtatis habere, te ſolum omnes pulchritudines poſſidere. Equidem libenter cæleſtem ſpõſam erroris arguerem, quòd dicat te eſſe *Specioſum formâ*, & idcirco amabilem, *præ filijs hominum:* b neque enim mihi perſuadeo, vel vnum hominem poſſe pulchrum dici: audebóne illam admonere, vt impoſterum te Sponſum ſuum dicat vnum vnicum inter filios hominum formoſum? profectò tu ſolus pulcher, & ideo ſolus amabilis, ſolus amor meus.

III.

Amo te, ô IESV amabiliſſime! Fili DEI! cuperémque te ab vniuerſis rebus à te conditis pro dignitate amari: **næ**

a *Iſa.* 40. b *Pſal.* 44.

næ ille parùm egit, qui optauit in creatis rebus aliquid nihil nisi vocem esse, quæ diuinis perpetuò laudibus personaret! eccur non mecum potiùs voluit, aliquid in hoc Orbe existere, quod totum sit amor, ad IESVM nullâ interpositâ morâ diligendum? sed parùm adhuc dixi; centum sint myriades eiusmodi amorum, aut rectiùs centenæ mundorum myriades plenæ ac vbique consitæ viuis amoribus, quorum vnus semper altero in diligendo IESV vnicè amabili sit præstantior. Non ignoro, post hos omnes ac tantos conatus, ab his vniuersis neque dimidium quidem debiti amoris illi impendi; sed nihil interest: decet enim, ô IESV amor cordis mei! meum tibi studium explicare, quo contendo, te à nobis diligi; & solus desidero, amoribus hisce vniuersis te amplecti.

IV.

O IESV! fidelis & perfectus amator! alij desideria concipiant, quæ volent; ego nulli omnino mortalium inuideo,

quàm illis, quibus in te IESV meo amãdo sum inferior. O vt ita possim, quemadmodum cupio, in hac dilectione primas referre, esse amoris huius Monarcha, & amoris palmam ei eripere, qui modò IESVM amando solus triumphat! Ei qui hoc me beneficio bearet, orbis vniuersi imperium, omnem mundi fastum, honores omnes, quos stulti mortales adorant, vltro illi cederem. Ah! me miserum! sed quid dico? animus mihi clàm suggerit, in me vno situm esse, vt eum gradum obtineam; eum triumphare, qui amore vincat: hunc prærogatiuum honorem plura offerentis, plura perferentis esse; hanc dignitatem ei deberi, qui nihil cogitet, nihil loquatur, nihil agat, nisi pro IESV gloriâ, obsequio & amore: hoc est amare. Anima mea! eædem tibi facultates sunt, quæ alijs, pro IESV, pro eius honore, & vel maximè pro eius amore omnia offerendi, perferendi, cogitandi, loquendi & agendi: si ad illud fastigium non euadas, nulli alteri quàm tibi

tibi

tibi ipsi succenseas. Verùm ô Rex cordis mei! nunquid temerarij hominis hoc est, velle illud regnum atque coronam inuadere, quæ vni ê tui longè amantioribus debetur? quocunque dignitatis nomine ille appelletur; non possum tamen animi mei sensum dissimulare: vellem in te diligendo omnes mortales ita possem superare, vt ab vniuersis plus amoris experiri nequires!

V.

O IESV! mi liberalissime Redemptor! non vanis indicijs mihi persuadeo, me tui amore præditum: adeò delector, quando intelligo, te amari, neq; bonam mentem, præstantem indolem, exquisitum ingenium esse, quod non inter sua decora numeret, tibi suum cor addicere, tuorúmq; amatorum atque clientum insignia præferre: doleo, me omnipotentem non esse; tunc enim aliam Orbi faciem inducerem; efficerem, ne in orbe vniuerso vllus angelus esset, vbi non sermo omnis de te amantium suâ luce illustraret; ne felicitas

aut

aut successus alteri, quàm ijsdem obue-niret: ex eorum numero & ego essem; neque aliud mea vita quàm amor fo-ret: in omni actione, motu ac totâ vitâ quidquam præter tuum amorem spi-rarem.

VI.

O IESV! incomparabilis amator! meus amor omnino cogitabundus est: futuris prospicio, & jam nunc curis sollicitor, num sæculis insecuturis eũ amorem sis experturus, qui desiderijs meis respondeat: parùm interest, me mori; dummodo ante supremam ho-ram sim certus, te omni amore omniũ dignissimum à mortalibus agnosci, ac cordium omnium amores supremo imperio ad finem vsque sæculorum obtinere. Eia moriar! nihil formido; quando animus meus diuinat, paulò post amoris tui te Imperium aditurum, adesse tempus, quo tuus amor domi-netur, & ad summum fastigium eue-hatur: hæc jam præuideo: maxima Regnorum negotia tunc erunt, vnicè ama-

amabilem diligere, ſtabilire conſuetudines, æternas IESVM meum amandi leges ferre. Si hoc impetrauero, viuam beatè; ſi hoc fuero conſecutus, tranquillè moriar; neque ſupereſt ampliùs, quod deſiderem.

EXERCITIVM VI.

Pro Fer. VI. Paſchæ.

Ad poſtulata Filij DEI reſpondere, ſi nos rogaret, num eum diligeremus, exemplo S. Petri Apoſtoli.

PERITVS Oeconomus amor eſt, & imprimis amor IESV, qui è re quauis nouit quæſtum facere. Occaſione illius, quod Seruator noſter ter à S. Petro fuit percontatus: *Petre, amas me?* a cui S. Petrus reſpondit: *Domine tu ſcis, quia amo te*: eſt quod tibi dicam, Hagiophile; de quibuſdam ſcilicet IESV amatoribus mihi conſtare, qui Roſarium ſuum in hunc modum percurrant: ad maius granum DEI Filium ſibi

a *Ioan. 21.*

ſibi repræſentant idem ab illis poſtulantem, ac ſuo nomine compellatos ita alloquentem : amas me ? tum illi ad quemuis ſequentium decem orbiculorum reſponſi loco interroganti annuunt, modo tamen reſpondendi ſemper pro diuerſitate argumenti diuerſo: amo te ex toto corde meo : amo te magìs quàm oculos meos, quàm vitam meam, quàm hunc illúmue amicum, quàm conſanguineum, quàm hanc vel illã rem, plùs quàm ſolem, quàm hunc, aut iſtum ſanctum, quàm B. Virginem, & ita de alijs amorem prouocantibus: tum ad maius aliud granum progreſſi, priora repetunt, contentíque tres decades, pro memoriâ trium rogationũ, quibus S. Petrus vrgebatur, perſoluiſſe, triginta minoribus orbiculis magnitudinem & documentum exercitati amoris ei exhibent : hunc loquendi Chriſtóque reſpondendi modum, Roſarium Amoris IESV, appellârunt. Ad te pertinet, Hagiophile, num illo tibi vti libeat; illi certè, qui hunc modum tenuê-

tenuêre, plurimum inde fructûs & consolationis retulêre. Illud mihi plùs quàm certum est, IESVM eiusmodi interrogationibus ac responsis amantiũ delectari. S. Mechtildi, cùm quondam illa Euangelij, verba percepisset, *Simon! diligis me plùs his?* animóque has pauculas voces expenderet; subitò in extasin raptæ DEVS locutus, Ego quoque, aiebat, ex te quæro, responde mihi: Mechtildis! estne aliquid in hoc mundo adeò tibi charum, quod mei amore nolles abijcere? scis, ô Deus meus! respondit illa, nihil vspiam esse, quod tibi obsequendi studio non libenter velim. Instat denuo Deus: Filia! éstne labor aut calamitas vlla, quam mei amore non suscipias? Parata sum, ait illa, Domine mi! omnia pro te acerba tolerare: Iterum ille, Mechtildis, inquit, si enormes illæ ærumnæ forent, num acceptares? etiam, Domine mi! respondit, præstò sum. Tum Seruator illi asseruit, hanc tam promptam eius voluntatem æquè sibi fuisse acceptam, atque

atque si hæc omnia reipsà præstitisset. a Hagiophile, si dilectus tuus aut Petri postulatis, aut Mechtildis non absimilia te rogaret, quid responderes? sepone tantisper hunc librum, sepone; & ad quæsita omnia tam hęc, quàm quæuis alia responde, quibus mētem tuam Deus prouocabit.

a *Ex lib. 5. gratia Spirit. cap. 30.*

EXERCITIVM VII.

Pro Sab. in Albis.

IESVM CHRISTVM auscultare, intùs nos ad sui amorem inuitantem, exemplo B. Victoriæ.

HAGIOPHILE! quàm jucundum mihi foret, si IESVM ante fores cordis tui loquentem, téque ad sui amorem adhortantem, audiendi studio exardesceres! Non equidem te latet, quanto desiderio cupiat se à nobis amari: éstque illud tam in Deo accensum, vti vir magnus affirmat, a vt,

si

a *Auila epist. 9.*

si in illum doloris sensus caderet, ei posset aut morbum, aut mortem afferre. Neque simplici quodam desiderio ad sui amorem nos pertrahere contẽdit; sed Filium quoque suum nobis submisit, voluítq; hominem fieri, eiusdem nobiscum naturæ compotem; & quoniam corpore constamus & animâ, occasionem nobis subministrare, eum omni ex parte amandi, & corporis nostri sensibus dignum æternæ voluptatis spectaculum obijcere: & quãdo Diuina natura animam duntaxat faceret beatam, voluit eum corpus excellenti pulchritudine, ac omnibus gratijs præditum induere, quod deinceps voluptatem cælestem corporum nostrorum sensibus crearet, ac vltimus illorum scopus esset: atque ita cautum à Deo mortalibus fuit, ne quam necessitatem, aut occasionem haberent, suum amorem diuidendi, aliúdque præter ipsum amandi; quòd corpori materies deesset, quæ sui lenocinio eius animum sibi deuinciret, Ac longè amplius

pliùs ipſemet DEI Filius progreſſus, cùm adhuc in terris degeret, voce & tolerantià dolorum nos inuitauit, vt toti quanti ſumus, eum diligeremus: poſtquam verò ad Cælum fuit ſublatus, nunquam deſijt per temporum vices quemuis interiùs alloqui, & ad amandum hortari: quoties ſanctas animo cogitationes verſamus, nihil in terris eſſe noſtri cordis poſſeſſione dignũ, Deo nos omnes amores debere, totos nos eſſe IESV deuouendos; extra illum nihil diligendum; quid ſunt hæc omnia, niſi arcanæ adhortationes, quibus Dei Filius nos inuitat? Admodum ſalubre eſt, ijs aurem præbere, ſéque coram Dei Filio, in quo formæ ſupremæ decus, diuinus quidam lepor, cæleſtis ſplendor emicat, præſentem ſiſtere, qui hoc ſenſu ſecretò apud nos perorat: Fili mi! ama me, qui ſum pulcher: filia mea! ego ſum, cui debes amorem; ego ſum formæ miraculum. Hagiophile, ſæpe tibi hæc cogitatio redeat, hodie præſertim: ac tum age, quod IE-

svs te docebit. B. Victoria olim cum suis monialibus miros ex hoc exercitio fructus referebat: eas enim cùm ipsarum Ecclesiastes pro concione fuisset adhortatus, vt, si vellent magnos in perfectione, ac DEI amore progressus facere, fingerent, sæpe intra animum IESV Sponsi sui istas se voces exaudire:

Ama me, qui sum formosus,
Dulcis, bonus, generosus.

Eius tam sancto consilio in amandâ IESV Sponsi sui pulchritudine obsecutæ, omnem laborem eius amori ac gloriæ consecrârunt; ídque animorum longè maiori ardore ac contentione, quàm antehac, præstiterunt.

EXERCITIVM VIII.

Pro Dom. in Albis.

Adorare Filium Dei, omnísque generis encomijs ac laudibus ornare, exemplo S. Augustini.

HÆc adoratio & compellatio per titulos & encomia pro Christi hono-

honore instituta, duplici ratione fieri potest; aut ad modum B. Caspari Boni, Minimi, cui perpetuò ferè in animo ac ore hæ sanctæ voces versabantur: *Adoramus te, quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, IESV CHRISTE!* centies per diem tam pias voces iterabat: vt paruam reprehensionem incurreret, quòd perpetuò illud suum, *Tu solus Sanctus*, ingeminaret: ille tamen non idcirco destitit: quid enim? an metu, ne duorum aut trium obtrectatorum in te linguas prouoces, qui in omni scirpo nodum reperiunt, virtutis cursum sistamus?

Aut potest S. Augustini modus teneri, qui Deum ac IESVM Filium eius tam in soliloquijs, quàm Meditationibus suis, omnis generis exquisitis verbis & eximijs honorum titulis compellat, ingeminat, & adorat: vt si eum appellat optimum, clementissimum, pijssimum, misericordissimum, perfectissimum, amantissimum, amabilissimum, sapientissimum, potentissimum, & cen-

tenis

tenis alijs eum encomijs ornat. Hagiophile, hodie, & aliàs pro occaſione IESVM vtroque modo ſaluta & adora, eúmq;, quibus potes, præconijs, ac titulis affice; ſiue domi tuæ, ſiue interdiu inter varias curas, ac negotioſas obambulationes id fiat: amor enim vbique domi eſt. Hæreres vtique attonitus, ſi tibi ſignificarem, IESVM tibi ſalutanti ſalutem viciſſim & fructus inſignium laudum, quibus eum exornas, redditurum, quantum illorum capere poſſis: ſed ita eſt: certè hunc modum aliquando cum S. Mechtilde tenuit: atquî ille non minùs hodie beneficus ac pius eſt, quàm olim fuit. Illa Chriſtum olim ſalutatum à ſe, magnis glorióſiſque appellationibus toto virium animíque ſuo impendio venerabatur: qui eam allocutus, filia, inquit, quando me ſalutas, ego quoque te reſaluto; quando me laudas, meipſum in te laudo, quando gratias mihi agis, ego quoque Patri meo in te & pro te gratias perſoluo: at-

que hæc ita fiunt, vt nihil eorum percipias. a

Cuperes fortassis eiusmodi præstantes titulos in promtu habere, vt non necesse foret, te ipsum illos excogitare: non decet me hanc operam detrectare; & quoniam nihil apud te dissimulo, eos hîc subiungam, quibus ipse vti soleo: spernendi non sunt: confestim hoc ipso momento IESVM adora.

Saluto, & adoro te, ô amabilissime Fili Dei! dulcissime, humanissime, affabilissime, amabilissime, ditissime, liberalissime, sapientissime, benignissime, desideratissime, optime, pulcherrime, potentissime, gratiosissime, blandissime, prudentissime, nobilissime, fidelissime & perfectissime IESV!

Saluto, & adoro te, ô IESV mi gratiosissime! vt Verbum increatum, & carne vestitum, vt Filium MARIÆ, vt cum Patre tuo Spiritûs Sancti principium, vt Redēptorem generis humani, vt summum amicum naturæ nostræ, vt fratrem,

a *Lib. 3. gratiæ cap. 8.*

trem, Principem, Regem, Pontificem, & amorem nostrum.

Saluto, & adoro te, Domine mi: splẽdor paternæ gloriæ, & figura substantiæ eius, primogenite creaturarum, Rex virtutum, omnis sanctitatis exemplar, Ecclesiæ caput, delicium mundi, desiderate cunctis gentibus, exspectatio Iustorum, Rex Regum, Domine Dominantium, idea omnis pulchritudinis, pulcherrimum & æternum corporeæ beatitudinis illicium!

Saluto, & adoro te, Sapientia DEI carne induta! Sponse animarum, Rex cordium nostrorum, vita spiritûs nostri, amicorum fidissime, omni laude, omni honore, omni adoratione dignissime, semper gloriose, semper beate, bonorum nostrorum summa, amator noster, lux nostra, gloria nostra, felicitas Vniuersi, Cæli & terræ honor.

Saluto, & adoro te, Principem Pacis, magnum Pacificatorem, misericordem Aduocatum, Patrem dulcedinis, prodigium patientiæ, miraculum amoris,

adorandam ſedem omnium perfectionum, amantem, amatum, & amabilem, ſalutarem medicum, paſtorem admirabilem, per omnia magnificum, ſpeculum juſtitiæ, miſericordiæ abyſſum, ſolem Paradiſi, Inferorum victorem, Magiſtrum & ductorem noſtrum, theſaurum ſpei noſtræ, omnium ſolidarum deliciarum cumulum, pulchritudinem, quæ pro dignitate nunquam ſatis poteſt amari, terminum omnium oblectationum, quas Deus extra ſeipſum capit, excellentiarum apicem, meorum omniũ amorum ſcopum, & omnia in omnibus.

CAPVT

CAPVT IV.

QVATVOR PIETATIS EXERCITIA ERGA DEVM Patrem pro Dominicâ, quæ Christi Ascensionem antecedit, & sequenti triduo: quo tempore quidam pietatis studiosi peculiari cultu PATREM D. N. IESV CHRISTI venerantur.

EXERCITIVM I.
Pro Dom. ante Ascens. Christi.

DEVM PATREM, adorando, genua flectendo, & benedicendo colere, exemplo S. Pauli Apostoli.

VIDAM DEO PATRI primæ è SS. & Augustissimâ Triade Personæ peculiariter deuoti, vt suo in illũ pio studio liberaliùs indulgeant, quintam Domini-

cam post Pascha, quæ Ascensionem proximè antecedit, eligunt, eóque die ac insequenti triduo pijs operibus & orationi pro eiusdem Diuinę Personæ honore vacant.

Quòd verò hanc potissimùm Dominicam sibi ad eam rem deligant, temporis ratio, & Festorum sese insequentium ordo ipsis dictauit: postquã enim debito honore DEVM PATREM affecêre, suum etiam dein Filio, quo die illius Ascensio celebratur, tribuunt; Spiritum S. in Pentecoste, tres verò diuinas Personas insequenti Dominicâ simul venerantur; qui festi dies ordine sequuntur: adhæc Euangelium huius V. Dominicæ adeò est ad hanc Primam Personam factum, vt diceres, datâ operâ ad excitandam in DEVM PATREM Fidelium pietatem ita fuisse collocatum.

Percuperent illi sanè, ab Ecclesiâ cultum illum, quo priuatim eum prosequuntur, toto orbe publicari, & vtcunque confidunt, euenire id olim posse:

posse: quot enim festi dies modò sunt instituti, de quibus primis sæculis nemini quidquam in mentē venit? Quòd si summi Pontifices idoneis rationibus sunt persuasi, vt Fidelium votis tunc annuerent; ex ijs, qui sequentur, erunt fortasse aliqui, quibus è re videatur, peculiarem diem ac honorem DEO PATRI decernere: & jam nunc quosdam in eam sententiam hæc maximè causa trahit, quòd, cùm Ecclesia singulares dies DEI Filio, & Spiritui sancto constituerit, quibus eorum memoriæ ac summis beneficijs ab vtroque profectis honor haberetur, vt est festum Natiuitatis, ad recognoscendum Filij, nostræ salutis studio hominem induti, beneficium; vt est festum Pentecostes, ad recolēdum Sanctificationis donum, Spiritu S. se nobis communicante; ob eandem rationem, si non alia momenta obstarent, posset separatum diem DEI Patris honori consecrare: quandoquidem ipse suum ad nos Filium misit, nobísque dedit, vt S. Ioannes centies ex

ipsius etiam DEI Filij ore in Euangelio inculcat: quæ missio & legatio immensum profectò beneficium, & scaturigo est cęterorum omnium, quibus mortales omnes DEO PATRI sunt quàm maximè obstricti. Hoc vnum posset istorum desiderijs obijci, satis videlicet honoris ab Ecclesiâ Deo PATRI aliâ memorabili ratione haberi; quoniam plerasque preces, quas peragit, ad eum instituit, precata, velit illas per merita Filij sui ratas habere. Sed hæc ratio suâ spe illos minimè deijciat; cùm multæ Orationes nunc sint ad Filium, nunc ad Spiritum S. factæ, quibus vterque colatur; neque tamen inde effectum est, quò minùs peculiares dies Ecclesia deligeret, quibus honor illis & gratiæ pro beneficijs, quę Fidelibus totíque mundo contulerunt, palàm haberentur: & quamuis magnus honor ille sit habendus, quo Ecclesia DEVM PATREM in eo afficit, dum plerasque publicas preces ad eum conuertit, longè tamen maior ac dignior tunc foret, si peculiaris

ris

ris ei festúsque dies insuper adderetur: vulgò etiam ad maius in illum obsequium animi excitarentur.

Porrò, si Deus Ecclesiæ, ac ijs, qui illi præsunt, suggerere fuerit dignatus, vt votis piorum æmulatorum reipsâ obsequantur; non video, qui dies ad hanc rem aptior possit hâc ipsâ Dominicâ excogitari: ita enim caueretur, ne festorum dierum numerus excresceret, dum Dominica ipsa festi locum tenet: Officium verò diuinum ac Sacrificium, quod ei solennitati esset sacrum, non plus incomodi huic Dominicæ inferret, quàm festum SS. Trinitatis Dominicæ I. post Pentecosten officit; & esset omnino grata quatuor Festorum dierum series, vt antè diximus.

Sed quantacunq; illi spe, & desiderijs agantur, & ego quaslibet illis curas subijciam; diuini consilij hoc arcanum est, ac tantisper exspectandum, dum Spiritûs sancti instinctu permota Mater Ecclesia sententiam ferat. Istorum sancta desideria plurimùm laudo;

sed aliud, quàm eorum priuatam pietatem non vrgeo, quæ, seu modum, seu tempus spectes, digna mihi approbatione videtur. Primum igitur Exercitium aggredior, siue illud, quod hodie potest exemplo S. Pauli Apostoli assumi.

Fuit vtique S. Paulus singulariter cultui DEI PATRIS deuotus, sed si fas est, mentem aperire, fatendum est, DEO PATRI ante omnes fuisse IESVM CHRISTVM Filium eius addictum: is quamdiu inter mortales vixit, dies ac noctes eum precibus fatigabat, ad eum in aduersis omnibus confugit: id quod in horto Oliuarum ter ab eo factum: *Pater! si possibile, transeat à me calix iste:* a & in Cruce: *Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum:* b cùm ei junctis manibus gratias ageret: *Pater! gratias ago tibi, quoniam audisti me.* c Eum honorandi, laudãdi, mundum vniuersum ad eius amorem inuitandi, & similia officia illi exhibendi, nullum finem fecit:

a *Matth. 26.* b *Luc. 23.* c *Ioan. 11.*

fecit: quæ omnia singularis ac raræ pietatis opera & documenta sunt.

Verùm de S. Paulo agamus: Discipulum imitati, etiam censebimur Magistrum sequi. Vt dicamus, quod res est, eximius iste Apostolus omnino singulari in DEVM PATREM affectu rapiebatur: eius nomen in suis Epistolis quadragies adducit: ab eius nomine omnes alias, vnâ ad Hebræos exceptâ, sic auspiciatur: *Gratia vobis & pax à Deo Patre.* a Eum flexis genibus adorat: *Flecto genua mea ad PATREM Domini nostri IESV CHRISTI.* b Ei benedicit: *Benedictus DEVS & Pater Domini nostri IESV CHRISTI.* c Et nos quidem hæc postrema duo capita hodie, ac deinceps in colendo Deo PATRE imitabimur.

Hagiophile, flecte genua, Diuinam hanc Personam adoraturus, & ad quālibet flexionem ei gratulare, quòd sit Pater amabilis Seruatoris tui, S. Pauli verbis vsus, quæ multum in se consolatio-

a *Ephes. c. 4.* b *Ephes. 3.* c *2. Cor. 1.*

lationis habent: *Benedictus Deus & PATER Domini nostri IESV CHRISTI, Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.* a Si longiorem iusto periodum putas; illis Ecclesiæ verbis vtere: *Pater de Cælis Deus! miserere nobis*; neque nimium erit, habitâ beneficij illius ratione, quòd dilectum Filium suum nobis donârit, si vigesies, aut trigesies eos adorandi gestus & apprecationes vsurpes. Noui quendam Dei Seruum, qui aliquid istis superaddit: Mulier illa Euangelica Filium Dei conspicata, Matrem IESV laudauit, eíque bene precata est; *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*: b Etiam ipse viso in Arâ DEI Filio cùm Sacerdos S. Hostiam leuat, Deum Patrem eius laudat, eique benedicit: *Benedictus Deus & Pater, &c.* Idem totum Rosarium in honorem DEI Patris percurrit, solitus, ad Crucis signum dicere: *Pater de Cælis Deus! miserere nobis*; ad maiora verò grana: *Benedictus Deus & Pater, &c.*

a *2. Cor. 1.* b *Luc. 11.*

ter, &c. ac demũ ad quodlibet minus: *Pater! in manus tuas commendo spiritum meum.* Cogitabas vtíque, magnopere me laborare, vnde tibi rationem aliquam Patris æterni colendi suppeditarem: sed vide, quàm abundem! forsan plura dixi, quàm præstabis: & adhuc superest, quod addam.

EXERCITIVM II.

Pro Fer. II. ante Ascens.

Certum intra quamuis hebdomadem diem seligere, qui seorsim DEO PATRI sit sacer, exemplo B. Aloysij Gonzagæ.

HAGIOPHILE, possem tibi, juxta quorundam hodię piorum hominum consuetudinem, singulos hebdomadæ dies partiri: illi enim diem Dominicum SS. Trinitati, Feriam II. DEO Patri, III. Filio DEI, IV. Spiritui Sancto, V. Venerabili Sacramento, VI. Christi SS. Passioni, Sabbathum

Dei Matri consecrant: sufficeret hoc, vt te docerem, diem Lunæ cuiusuis hebdomadæ tibi eo fine deligendum, vt eum peculiari cultu ac precibus DEO Patri dicares. Volo nihilominus consilio meo auctoritatem, B. Aloysij Gonzagę exemplo adstruere, qui simili pietate hunc diem traduxit: Feriam enim II. gratijs Deo Patri ob heri acceptum cum SS. Synaxi beneficium agendis impendit.

Non autem committam, vt omnia tibi tradam, quæ quouis die Lunæ ad fouendam in te hanc pietatem depromas: legisti vtique, quæ paulò antè tractaui, legésque illa, quæ in sequens destinaui: modò hanc à te rationem teneri, modò aliam, expediri mihi videtur: nam & pietati varietas est accepta. Si tamen idoneum in hunc diem exercitium à me dictari tibi cupis, quo illâ pietate ritè fungaris, non aliud facilè tibi assignauerim, quàm sanctum Missæ Sacrificium, cui singulari studio DEVM PATREM honorandi illis diebus intersis;

sis: hoc enim potissimum obsequio capitur, quando Filius illi suus in Sacrificio offertur; quod munus apud eum pluris habetur, quàm si infinitos ei mũdos, à Cherubinis & Seraphinis habitatos, offerres: neque mirum est; quoniam IESVS, qui ei offertur, imẽnsi pretij, ac dignitatis est vndequaque infinitæ. In hunc itaque modum si rei diuinæ eâ mente, quâ te jussi adesse, intersis, ac ipsemet DEO PATRI diuinum hoc Filij sui sacrificium consecres, (omnes enim Christiani hunc illi offerunt, in sacrificij partem cum Sacerdote admissi, vnde suo modo à S. Petro Apostolo Sacerdotes sunt appellati, *a Sacerdotium sanctum, regale Sacerdotium*) quodnam opus possis maiori gloriâ adorandæ Primæ in Sacrosanctâ Trinitate Personæ dedicare, quàm hoc ipsum? Vtinam possem quauis voculâ, dicebat sancta quædam anima, infinitos mundos creare, Angelis infinitè perfectioribus, quàm sunt ij, qui in Cælis modò

a *S. Petri 2, 5, & 9.*

degunt, penitùs refertos, vt gloriam DEI decantarent! cui Christus intra mentem, quid, inquit, tantopere concupiſcis? in tuâ facultate ſitum eſt, his longè maiora efficere, ſi nimirum cum Sacerdote, rem diuinam peragente, me cæleſti meo Patri offeras.

EXERCITIVM III.

Pro Fer. III. ante Aſcenſ.

Litanias recitare ad DEVM PATREM factas, exemplo P. Thomæ Sallij è Soc: IESV.

S. GREGORIVS Nyſſenus, *a* dum illa Sponſi verba conſiderat, quibus pulſatis Sponſæ foribus, quatuor dotes illi attribuit, eam ſororem, amicam, columbam & immaculatam ſuam appellando: *aperi mihi Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* *b* ait has quatuor laudantis voces, eſſe non ſecùs ac totidem claues aureas, per-

a *Hom.* 2. *in Cant.* b *Cant.* 5.

perquam idoneas, vt diuinæ illius spõsæ cor pateat, eiúsque amor possideatur.

Hagiophile, auésne profundiùs in Patris cælestis Cor penetrare, apud eũ bono loco, & in amoribus esse? hæc illi encomia, has laudes tribue, quæ Litanijs eius gratiâ compositis continentur; quibus P. Thomas Sallius è nostrâ Societate & ipse fuit vsus, & dicendarum alijs in precum libello, quem publicauit, auctor fuit. Proinde quotquot perfectiones & attributa diuina hæ Litaniæ complectuntur, totidem claues habebis, quibus ad Paternæ illius liberalitatis thesaurum aditum tibi facias: neque ijs interpositis nominibus atque titulis quidquam tibi negabit. Si verò maiorem desideres apud eius bonitatem gratiam inire, S. Mechtildem imitare, quæ sæpe has preces è Christi Domini consilio adhibebat, à se persolutas laudes illis laudibus coniungens, quas Seruator noster Patri cælesti in terris persoluit. a Atque hoc exer-

a *Lib. 3. gratiæ cap. 30.*

exercitium ac methodũ precandi DEO PATRI mirè gratam esse, ipsemet DEI Filius Mechtildi affirmauit, illásq; preces eodem apud illum in pretio esse, quo illæ fuerunt, quas Christus adhuc in terris positus ipse peregit.

EXERCITIVM IV.

Pro Fer. IV. ante Ascens.

Precibus illis vacare, quæ DEO PATRI ante alias acceptæ sunt, exemplo S. Lutgardis.

S. LVTGARDIS Ordinis Cistertiensis magnum decus ab ipsò Dei Filio, año integro priusquã moreretur, jussa fuit ad illud supremum iter se disponere, addito insuper mandato, vt reliquo vitæ tempore tribus præcipuè rebus sedulam operam nauaret: quarum prima fuit, sæpissimè ob accepta beneficia, quæ liberali manu in illam erant collata, gratias agere, precaríque sanctos, velint eius defectum supple-

re,

re, gratiásque pro tantis donis, quæ ab eius infinitâ bonitate accepit, suo loco persoluere: altera erat, vt alijs curis libera nullam aliam cogitationem, quã de ipso, admitteret, ardenti desiderio, illum quantocyus videndi, accensa: tertia fuit, frequentes, pias, calentésq; preces ad DEVM PATREM fundere, ac existentibus in peccato mortali propitium reddere, vt dignetur infinitâ suâ misericordiâ illorum animos permouere, & ad frugem reuocare: quod exequi S. Lutgardis minimè neglexit, vltimi præsertim documenti memor, cùm probè intelligeret, quanto in pretio apud Deum PATREM animæ essent, tam carè à Filio suo IESV CHRISTO emptæ.

Hagiophile, ad sanctæ huius Virginis exemplar te quandoque efforma, & exerrantium istarum animarum te misereat; pro eorum emendatione DEVM PATREM precare: non possunt hæ preces, pro miseris illis apud hanc Personam fusæ, non maximum pondus & momentum habere, quãdo nos ipse

DEI

DEI Filius dignatus eſt ad has inſtituere: quas verò preces ad hoc negotium aſſumas, tuæ pietati ac otio relinquo; Orationem Dominicam aliquoties repetere, abs re non erit: Litaniç quoque, de quibus ſuprà mentionem feci, admodum idoneæ ſunt ad gratiam peccatoribus exorandam: expediet etiam, hodie paruum Officium ad Patris cæleſtis honorem factum, quod in Manuali precum ad hoc tempus ſeruientium continetur, hoc fine recitare: quidquid agas, DEVM PATREM ſtude peccatoribus conciliare; ſunt enim fratres noſtri, & eius gloriæ capaces, quam IESVS non illorum minùs, quàm noſtrâ gratiâ, SS. ſuo Sanguine comparauit.

CAPVT

CAPVT V.

DECEM PIETATIS EXERCITIA ERGA FILIVM DEI pro Festo Admirabilis Ascensionis, & sequentibus diebus, vsque ad diem Pentecostes.

EXERCITIVM I.

Pro Festo Ascens.

Frequenter, ac pio animi sensu Cælum, quod Filius Dei conscendit, intueri, exemplo SS. Apostolorum hoc ipso Ascensionis die.

MAGNA est mortalium felicitas, posse cælum intueri; illic enim patria nostra, hîc in terris iter peregrinantium est, vt olim S. Varus Martyr tyranno, eius constantiam tentanti, respondit. Quis igitur non acquiescat, quando tam felix

fix patria nunquam poteſt noſtris oculis ſubduci, cui perpetuo propiùs accedimus, quantumuis lentis paſſibus progrediamur? hanc quidem infra poſitam patriam ſæpe intueri prohibemur; illa verò ſemper nobis ob oculos verſatur. Solus Cæli aſpectus ſapere nos docet, ac rerum infimarum nobis faſtidium ingenerat, ne nobis fraudi ſint, noſtróſque ſenſus lenocinijs ſuis faſcinent: atque ob eam cauſam S. Patriarcha noſter Ignatius toties exclamauit: *Quàm ſordet mihi terra, cùm Cælum aſpicio!* vnicus Cæli obtutus omnes præclaras actiones noſtras animat, neque ſupplicium aut labor vllus eſt, qui non fortiter ſuſcipiatur ac miteſcat, meliori oculo Cælum contuenti: Generoſa mater S. Symphoriani, cùm ei fuiſſet ad ſupplicum pro fide obeundum procedenti obuia, non niſi paucas ei has voces innuit: Fili mi! cælum reſpice, animóque illum contemplare, qui cælos gubernat: adimitur tibi modò vita multis calamitatibus obnoxia;
ſed

sed tuâ constantiâ in aliam longè felicissimam commutatur, quæ omnium, quæ fingi possunt, felicitatum copiâ æternùm abundat.

Si quis grauioribus malis premitur, oculorum aciem tantummodo sursum attollat, illico diuinæ consolationis ac fiduciæ radius ei desuper illucescet, animúmque demulcebit: & quamuis tunc Cælum foret nubibus obductum, aut nocturnâ caligine obscurum; eius tamen occulta vis per ipsas etiam nubes non omittit, nostris mentibus se insinuare, vt eos exhilaret, & mœstitiam omnem animis abstergat. Femina quædam Mexicana grauissimo mœrore ob mariti absentiam, qui duodecim jam annis aberat, oppressa, multásque insidias quotidie perpessa, quibus eius pudori hactenus fortiter defenso adulteri imminebant, cùm esset jam omnis consilij inops; nocte quadam, quâ tristitię magnitudo somnum illi excussit, hoc vnum solatij reperit, vt è lecto progressa ad fenestram concederet atque

que inde cælum, etsi tunc obscurâ nocte oculis imperuium, suspiceret, malorum suorum solatium, & tædij leuamen petitura: nec infeliciter illi successit, eo aspectu admonitæ, DEI Matris meminisse, eiúsque opem implorare: quod vbi magno affectu fecit, DEI Mater & luce, cuius radijs diuinitus erat cubile illustratum, & voce animos illi addidit; exinde adeò animum sibi mutatum ac serenatum persensit, vt affirmaret postea, se, auditâ DEI Matris voce, nihil vltra desiderâsse, quàm vt olim in cælo conspicere illius sanctissimum vultum posset. a Ipsi adeò desperati penitùs mortales non se continent, quin oculos in Cælum attollant: éstque illud homini à naturâ insitum, ac tantopere mentibus hominum infixum, vt ipsi damnati apud Inferos manes illius aspectûs nondum possint obliuisci, quin in hoc sulphureo ac Tartareo carcere viuis carbonibus iniecti, omnium primò in Cælum oculos leuârint,

a *Ex Annalibus Bencij.*

rint, veluti amabilem illam pulchritudinem requirerent, quâ totâ æternitate essent carituri. a

Hagiophile, omnes hæ considerationes, & hæc insuper, quòd Apostoli Christo ad Cælos ascendente, locum illum, quo Magister illorum in altum leuabatur, tam constanti ac fixo vultu sunt intuiti, vt necesse fuerit, Angelum illis submittere, qui desistere illos ab eo spectaculo juberet; hæ inquam meditationes ad scribendum me animant, vt te inducam, sæpe in illam regionem oculos conijcere: quod modò facies, oculis blandè in illud elegantiæ omnis theatrum defixis, submissâ voce suspirando: O Cæli venustas! quando te propiùs videbo? aut: ah! quando in beatum illud domiciliũ transibo? aut: ô Cælestis vrbs Ierusalem! ecquando omnes mihi tuas pulchritudines sine tegumento exhibebis? modò obfirmato vultu ac attentâ cogitatione cum S. Ignatio cæli amœnitatem inter hæc

a Luc. 16.

ba expendendo: *quàm ſordet mihi terra, cùm Cælum aſpicio!* vt interim in hoc admirandi operis palatio mentem occupes, quod in ſe omnem Paradiſi voluptatem complectitur.

Malo autem hac potiſſimùm ratione jucundum tibi hoc exercitium efficere, quàm vt te jubeam totis diebus agere, quod glorioſo Martyri Gonſaluo Syluerię è noſtrâ Societate vſitatum fuit; is enim perpetuò, ſeu ſederet, ſeu rectus aſſiſtetet, ſeu obambularet, cælum reſpiciebat, faſſus, ex eo ſe aſpectu maiorem voluptatem percipere, quàm ſi omnes mundi illecebras oculis ſubijceret.

EXERCITIVM II.

Pro Fer. VI. poſt Aſcenſ.

Roſarium dicere, vbi per quinque decades quinque glorioſa Myſteria recoluntur, aut eadem ſecum expendere, exemplo Letbaldi viri Nobilis.

OMNIA quidem Vitæ Chriſti Myſteria conſolatione abundant; ſed illa imprimis, quæ Glorioſa appel-

appellantur, quorum gratiâ multi Fidelium recitare Rosarium solent quinque decades continens, quæ tertia pars est totius Rosarij: & quoniam illi inter recitandum solent illa mysteria expendere; hinc causam sumpsi, cur & ego hisce precibus vnà quoque istiusmodi considerationes adiungerem.

Non autem cogito circa hoc argumentum, considerandi capita tibi adscribere; satis est, te vim & sensum Mysteriorum assequi, quorum cogitatione te distineas, siue Rosarium illud recites, siue seorsim animo duntaxat reuoluas. Vt verò non aliud tractem, quàm quod ad DEI Filium refertur, ea capita tibi ordine adiungam: Transfiguratio, Descensus ad limbum, Liberatio SS. animarum illic detentarum, Resurrectio, Ascensio, & locus, qui ei est ad Patris dexteram attributus: hæc omnia Christi decora pias & pulchras cogitationes suppeditant. Reprehensionem mererer, Hagiophile, si meas tibi eâ super re propinarem; erit tibi

harum copia maior & melior, si hodie, aut alio tempore seriò velis ad hoc negotium mentem & curam adijcere. Illud tamen nolim dissimulare, animos illos Deo charos esse, qui hac occupatione se oblectant: & quoniam in hoc tempore Christi Ascendētis versamur, id quod subiungam, huc aptè quadrabit, fidémque dictis & assensum apud te mihi conciliabit.

Augustoduni vir nobilis, Letwaldus nomine, pietatis causâ iter in Palæstinam suscepit; quam cùm attigisset, corámque oculis illa loca sacrosancta, à IESV CHRISTI vestigijs & gestis rebus nobilitata, piè perlustrâsset, diutiùs in Oliueti monte substitit, vnde Christus in Cælum emigrauit: cuius gloriosi mysterij consideratio tam potenter ac validè illius animum occupauit, vt exuto omni rerum humanarum, cognatorum, ac patriæ amore, magnis apud DEI Filium lacrimis ac suspirijs institerit, mori sibi eo loco liceret, vt anima eâdem viâ posset ad

Cælum euolare, quam pridem ipse admirabili suâ Ascensione strauisset. Inde humi toto corpore prostratus, distentis in Crucis modum brachijs, rupis illius, cui pedum Seruatoris ad Cælum euntis vestigia fuêre impressa, monumentis osculum impressit, piáque obtestatione negauit, se loco discessurũ, nisi anima corpore egressa Domini ac Seruatoris sui iter adiret, Amabilis Redemptor! inquiens, si hoc anno finienda mihi vita est, cur non hodie finem impono, dum in hoc loco versor? Eo dein' situ fatigatus, in genua se erigebat manibus junctis & ad Cælum leuatis, quod ardentibus oculis ac desiderijs contuitus, aspectu illo tam amabili IESVM in sua vota traxit, precésque illic tam calentes profudit, vt amoris illius suspirijs Angelos ac Cælites omnes ad suscipiendum eius patrocinium permouere potuerit. Verùm vbi frustrari suas spes & carere euentu animaduertit; velut amor, quo totus jam æstuabat, illum in altum efferret, toto

impetu corpus vibrabat, eodem loco ſublimè ſubſultans, quo ſe cœpit ſurſum DEI Filius euehere: tandem fuit coactus, infectis rebus hoſpitium repetere. Ea tam ſancta impreſſio Cælis intentata totum manè tenuit; jámque menſæ accumbendi tempus aderat, ad quàm itineris comites eum accerſebãt. At ille, vbi hoſpitium repetijt, loco menſæ lectum adijt, cauſatus, ſibi ſomno potiùs, quàm cibo opus eſſe; ad æternas nimirum epulas famem opſonabat: quippe cùm denuo incenſis amore oculis ad Cælum ſuſpexiſſet, illico exclamare incipit: *Gloria tibi Domine:* quo clamore exciti mox aduolârunt, quibus aſſerens, malè ſe habere, poſtulabat ſibi ſacrum Viaticũ afferri: quod intra paucas horas, eius comitibus id vrgentibus factum eſt, admodum ſanè opportunè, vt ei ad extremum morienti adeſſent; quippe ijs præſentibus felicem Spiritum illi reddidit, quem ſequendi tam flagranti deſiderio tenebatur, Chriſto ſanctæ illius impatien-

tiæ

tiæ fructus dulcissimos eodem die ipsi largiente. Ita mortuus est, ita Cælum petijt, Christo Ascendenti & glorioso huic Mysterio tantopere deuotus. a

a *Rudolph. l. 4. hist. c. 6. Gretser. in Apologet.*

EXERCITIVM III.

Pro Sab. post Ascens.

Paruam Christi Coronam recitare in honorem triginta trium annorum, quibus inter homines vixit, exemplo B. Michaëlis Florentini.

IDONEVM omnino hoc tempus est, quo honori ac memoriæ triginta trium annorum, quos Seruator noster inter nos exegit, pium quoddam opus suscipiatur; quando his ipsis diebus finem illis imposuit. Obseruaui, hunc numerum multos Christi amatores vt sacrum coluisse: & alio loco dixi, P. Cæsarem Buzæum quot annis tres ac triginta dies expendendæ Chri-

ſti Morti ac doloribus deſtinâſſe. B. Victoria diem in tres ac triginta partes diuidebat, quot videlicet annis Seruator noſter in terris vixit; eas ipſa ſtationes appellabat; cuilibet enim aliquod myſterium vitæ aut mortis illius aſſignauit, quod ipſa cæteræque Moniales ordine ad initium ſuarum actionum conſiderarent. B. Stephana Soncinas, è S. Dominici familiâ pari honore conſueuit hunc tricenarium venerari: in quem finem longo tempore funiculum geſtabat triginta tribus nodis contortum, eúmq; nudæ carni tam diu, ac tantâ auſteritate applicuit, vt, cùm eo ſe vellet diſcingere, magnos cruciatus experiretur, tot nodis totidem vulnera caſto corpuſculo affricantibus.

Quid expalleſcis? Hagiophile, an vereris, ne eundem tibi laborem imponam? Profectò ſi ita malè corpus haberes, id ſeriò tibi interdicerem, ne funem triginta ac tribus nodis aſperatum, ad recolendos Seruatoris noſtri

annos,

annos, adhiberes, qui adeò te seuerè constringeret, vt cruenta tibi vestigia imprimerent: si tamen non nisi modicè fodicando leuem doloris sensum ferenti inferret, dissimulemus; neq; tunc grauiter me posses incusare. Ast ego sanctæ lætitiæ destinatis diebus non cogito quidquam de rigore loqui: mihi satisfiet, si in animum inducas, hunc numerum, de quo agimus, venerari; ac hodie & aliàs pro tuâ commoditate, Festis præsertim Christi diebus Coronam recites, quam eâ mente B. Michaël Florentinus ex Ordine Camaldulensium dicebat, cuius vsum primus inuenit, & in suos mores ac chariora pietatis exercitia induxit. a Eam Leo X. Pont. Max. approbauit, ac dicenti Indulgentias, & plenarias maximè, in horâ mortis concessit, si quis eam quotidie in viuis recitaret. Sixtus V. eas ratas habuit, ac pœnas item omnes remisit, quocunque anni die vellet eas sibi ex illis aliquis relaxari, qui quauis

V 5 heb-

a *Ex Vionio ad 21. Ianuarij.*

hebdomade quater eâ vterentur. Cura, vt eius Coronæ copiam & vſum tibi compares; ſi nolis illam è ſeparato funiculo geſtare, poteris quotidianum illi Roſarium ſubſtituere; cuius ſi primas tres decades percurreris, adiectis illis, quæ ad Crucem & ſequentes globulos dici ſolent, antequam ad decades perueniatur, ritè numerum explêſti: tota diuerſitatis ratio in eo conſiſtit, vt ad maiora grana ſalutationem Angelicam, ad minores verò orbiculos Orationem Dominicam dicas: ita triginta tres orationes Dominicas totidem annis Chriſti, & quinque Salutationes Angelicas quinque SS. Vulneribus IESV CHRISTI admetieris.

EXERCITIVM IV.

Pro Dom. infra Aſcenſ.

Omnia Chriſti D. N Feſta peculiari cultu proſequi, & vni illorum ſtudioſiùs ſe impendere, exemplo S. Radegundis.

SI vel tantillum probioris in IESVM amabilem Redemptorem noſtrum affectûs habemus, magna pietate cultú-

cultúque à nobis hæc festa, seu solennia sint, seu minùs celebria, transigenda sunt: Ipsemet Dei Filius admodum ijs recreatur, quando ipsius pugnæ, victoriæ, ac gloriosa facinora illis proponuntur, atque amicorum suorum memoriæ iterum repræsentantur; adhæc illius gloria clariùs elucescit, quia fideles maiorem illius cognitionem percipiunt; inde causas, eum ardentiùs amandi, desumunt. Ego Festa illa ad duodecim reduxi, videlicet, Incarnationem 25. Martij, Natiuitatem 25. Decembris, Circumcisionem 1. Ianuarij, Epiphaniam siue Adorationem Regum 6. Ianuarij, Præsentationem in Templo 2. Februarij, Reditum ex Ægypto 7. Ianuarij, Transfigurationem 6. Augusti, SS. Mortem die Parasceues, Resurrectionem, Ascensionem, festum Corporis Christi certo dierum interuallo, festum Excellentiarum IESV à R. R. PP. Oratorij celebrari solitum, 28. Ianuarij. Hi sunt festi dies, qui semel tantùm per añum recurrunt: quos

IESV amantiores conantur pro dignitate non ſine eximijs honoris ac reuerentiæ indicijs celebrare, aut pridie jeiunando, aut illis diebus SS. Euchariſtiam ſumendo, aut vacãdo piæ lectioni meditationiúe, præſenti myſterio accommodatæ, aut protractioribus ad Chriſtum precibus indulgendo, id maximè poſtulantes, vt eas poſſint virtutes conſequi, quæ in eo myſterio elucent; aut deniq; pro eiuſdem diei honore pijs operibus ſe impendendo, quę ſeu corporibus aliorum, ſeu animis proſint. Dixi, hæc eſſe feſta, quæ ſemel tantùm in anno redeunt, vt à Feriâ III. cuiuſuis hebdomadæ diſtinguerem, quæ apud Chriſti amantes ſolet Verbo Increato Deo-Homini eſſe ſacra, & à Feriâ V. quæ Venerabili Sacramento, item à Feriâ VI. quæ Chriſto Patienti, longâ Eccleſiæ conſuetudine, dicata habetur: quibus diebus animi ardentiores ad amorem atque obſequium ſuum demonſtrandum non omittunt, ſeu maiori aliquo, ſeu tenui ſaltem officio pietatis eum demereri.

Hagio-

Hagiophile, Ante tibi familiaria hæc pietatis exercitia esse, non dubito: quòd si secùs id esset, hodie illorum tibi vsum indiceres. Sed hoc præcipuè velim à te in cultu horum festorum ac Mysteriorum obseruari, vt vnum potissimùm deligas, cuius venerationi præ reliquis te addicas. Eam rationem comperio Sanctos tenuisse, quorum alij in hoc, alij in aliud mysterium magìs propendebãt, soliti plùs apparatûs & honoris in illis ornandis insumere. Et vt ne ad experimentum singulorum te inducam, satis mihi est, scire te inter mysteria omnia, quæ video ab alijs religiosè culta, Christi Natiuitatem primas ferre. B. Cæcilia Panormitana, è tertio Ordine S. Francisci de Paulâ, quindenos dies ante illud festum jeiunio transegit, vt aptè se ad id præpararet, & antè IESV nasciturì gratiam aucuparetur.

S. Radegundis Regina, attendebat, in quam septimanæ diem Christi Nati dies quouis anno incideret; ac tum

eam diem per quaſuis hebdomades illius anni ita tranſigebat, precibus, pietati ac pijs operibus intenta, atque ſi ſolennis illa dies fuiſſet. Et hoc ſancti amoris in hoc ſacrum myſterium inuentum, maximopere ſibi placere, Deus præclarè teſtatus eſt; quippe die Chriſti Natali in diem Mercurij anno 590. incidente, quodam Mercurij die mori promeruit, quem illa vt maximè ſibi ſolennem & celebrem eo anno colebat. Plures alij huic Seruatoris noſtri Natiuitati ſe dediderunt; ſed quoniam hoc pietatis Exercitium ſeparato Capite eſt à me paulò inferiùs tractandum, nihil hîc addam: idipſum etiam, quod huc retuli, non niſi pro argumento piæ conſuetudinis adhibui, quâ Sanctarum mentium aliquæ vni potiùs Myſterio, quàm alijs ſe impenderunt, prout eorum animi erant variè affecti. Tuum erit, Hagiophile, hodie iſta myſteria, à me propoſita, percurrere, ac vnum ex illis deligere, cui præ cæteris animum adijcias.

EXER-

EXERCITIVM V.

Pro Fer. II. infra Ascens.

Habere Christi imagines, ac earum pio aspectu se recreare. exemplo S. Teresiæ.

QVI IESVM intueri nequit, eius pulchritudinem olim non nisi in Regno gloriæ visurus, interim jure gaudeat, eius imaginem se videre: quòd si quilibet, qui IESVM, vt decet, ceu cordis sui delicium amat, erga omnia monumenta ad illum spectantia, nullo prorsus excepto, piè afficitur; consequens ac necesse est, ei præ cæteris rebus charum ac jucundum fore, illius imagines oculis vsurpare, quibus ipse repræsentatur: illi enim, cui concessum non est, prototypon contueri, satis est, ectypon exhiberi, cui pari propemodum auiditate inhæret.

Ludouicus XI. famâ didicerat, B. Ioannam Lusitaniæ Principem inter sui temporis feminas formæ ac virtutis mira-

miraculũ esse; hinc cùm de eâ Delphino suo in matrimonium collocandâ ageretur, quandoquidem, inquiebat, videre coràm præstantem illam formam nondum licet, volo mihi eius effigiem exhiberi: quæ vbi pictoris penicillo elaborata, oculos illius subijt, adeò Rex illam deperijt, vt non in genua solùm se demitteret, quò occasionem ab hoc venustatis prodigio mutuatus, increatam pulchritudinem, ceu fontem omnis elegantiæ adoraret; sed adiungeret, sæpius in tam amabilem picturam se oculos coniecturum, ac posse interea, dum de matrimonio filij sui cum illâ Principe ineundo transigeretur, omnia se fastidia illius moræ abstergere. *a* Sed multò rectiùs de sancto desiderio Principis Edesseni loquar, quo Seruatoris imaginem obtinere gestijt: cùm enim ab eo magno interuallo abesset, nec idcirco coràm oculos suos pascere in eius contemplatione posset; pictorem in Palæstinam ablegauit, qui eius

a *Vasconcell. in Ioannâ.*

eius vultum coloribus exprimeret. Sed penicillus officium minimè fecit, nec assequi pictor vllo artificio, aut colorum attemperatione tam excellentem formam potuit; vt necesse esset, ipsum DEI Filium heri, & pictoris conatibus succurrere; igitur tabulæ loco linteum diuino vultui applicuit, qui confestim lino impressus prodigiosè comparuit: eam effigiem Edessenus Princeps omni suâ ditione pluris deinceps fecit: *a* vt verum sit, si quis amantium intueri coràm rem amatam nequeat, illius imagine ipsum tantisper oblectari. Et vt de IESV ac ijs, qui IESVM amant, tantummodò loquamur, magni illam S. Teresiæ vocem facio, dicentis: magnæ mihi consolationi est, imagines nostri Seruatoris dilectissimi conspicere; cuperémque ex omni angulo, in quem oculos conijcio, earum conspectum offerri. *b*

Hagiophile, habes vtique, amas & adoras MARIÆ icones; atqui IESV Filij eius

a *Ex Niceph. lib. 2. cap. 7.*
b *In viâ perfect. cap. 34*

eius plus gratię, plus venerationis continent; cura, vt eas auidè inſpicias, nec alteri ſpectaculo quàm huic tuos oculos magìs impendas. B. Coleta eâ de causâ oculos ſuos magno in pretio habuit, quòd ijs liceret ſibi Species Euchariſticas intueri; quòd ſi, aiebat illa, oculorum vſu ante vitæ finem priuarer, ob id præcipuè acerba mihi eorum jactura foret, quod deinceps prohiberer, diuinas illas ſpecies, & IESV latentis tegumenta, vt & eius venerandas imagines atque Matris amabilis icones aſpicere. Non hæc dico, quòd nolim te ſemper MARIÆ aliquam penes te imaginem circumferre, ſed aio, hunc honorem & locum apud te IESV quoque effigiem promereri; vt eius aſpectus memoriam tibi Seruatoris tui refricet, centies in die illam reſpiciendi, exoſculandíque occaſionem præbeat, & deniq; vt ceu felicitatis quoddam pignus amplectaris. Mille benedictiones ac beneficia ſibi promittat, quiſquis amore ac cultu illam dignabitur,

tur, secúmq; amuletum tam boni ominis gestauerit. Eius rei fidem mihi sequens historia facit. Dominus quidam gentilis longâ paralysi attinebatur, quem post adhibita omnis generis remedia, pertinax malum grauiter nihilominus exercuit: donec ab homine Christiano persuasus, fiduciam salutis in DEI Filio collocare, ab eius manu Christi ad Cælos ascendentis imaginē sumpsit; cuius consilijs obsecutus dum iconem eam videt, tractat, ac osculatur, tantoperè fuit recreatus, vt à morbo penitùs desertus, ex toto conualesceret, præsentibus tunc eius pietatem ac reuerentiam, quam ei picturæ tribuebat, admirantibus: gemina tunc illius curatio fuit, cùm & corpore & animo sanitatem recuperâsset, IESV imagine hanc omnem felicitatem illi procurante.

EXERCITIVM VI.

Pro Fer. III. infra Aſcenſ.

Amare ac peculiari affectu Sanctos illos proſequi, quorum ſtudium ac pietas in amando IESV præcipuè eluxit, aut quos IESVS præ cæteris amauit, exemplo S. Eduardi Regis.

EXEMPLI causâ hunc maximè glorioſum Angliæ Regem aſſumo; quoniam toti orbi notum, eſt, quanto ſtudio S. Ioannem Apoſtolum & Diſcipulum, *quem diligebat IESVS*, a ob eum amorem coluerit, quo IESVS illum dignabatur, & ipſe viciſſim IESVM magiſtrum ſuum diligebat: cuius Regis amor in illum eouſque excreuit, vt nihil cuiquam negaret, nomine & amore S. Ioannis poſtulanti.

Hagiophile, ſi apud Chriſtum ſummo eſſe loco nō potes, ſtude, vt ſaltem ſis aliquo: conſidera quæſo Aularum aſſeclas, qui ſi apud Principes nequeūt eſſe gratioſi, in eorum ſaltem ſtudent ſe

a *Ioan. 21.*

se gratiam insinuare, qui Regis aures & animum occupant; quod ij, quibus ad summam gratiam aspirare non licet, vtcunque pro magno habent, magnatibus se placere. Te, cuius conatus omnes ad Cælestem Aulam collimant, non decet his inferiora facere; & quoniam neuter nostrûm meretur, inter primæ admissionis amicos apud IESVM Regem gloriæ esse, nostris obsequijs illos demereamur, quos ille arctiùs est amplexus, quíque sanctâ quadam vicissitudine eum amare & colere non destiterunt.

Hinc velim te diligenter perquirere ac obseruare, quinam illi sint: neque illos ignorabis, è rebus gestis Sanctorum vtique edoctus; & ego ipse suo loco id significaui, quando de cultu Cælitum disserui. Si hoc feceris, duodenos ex hoc Amantium & Amatorum numero tibi delige, eósque sæpe precare, & illius amoris, quo ipsi ardent, aliquam tibi dari scintillam postula, euolue illorum gesta; magno illos affectu

fectu prosequere, ac palàm profitere, te illorum gratiarum prensare; quam si es consecutus, puta te saltem in secundis consistere.

Quo in negotio decens omnino est, gloriosam Virginem DEI Matrem primas tenere: quam etsi tuâ sponte ames, præcipua tamen apud te amandi causa sit, quòd ipsa tantopere IESVM Filium suum dilexerit: ac vt semel rem totam assequaris, IESVS amari se non existimat, si Mater eius fuerit illius expers: & quemadmodum MARIA tanti amorem illum facit, quo in Filium eius mortales feruntur, vt mallet non amari, imò prorsus non esse, quàm IESVM amore priuari, aut leuissimam etiam illius diminutionem pati; pari ratione IESVS dilectus eius Filius gloriosum sibi putat, videre Matrem suam apud nos in pretio & amoribus esse: desideratque ab illâ obsequiorum illorum initium fieri, quæ ipsi præstare cogitamus.

Post illa liber tibi ac ingens eligendi

cam-

pus patet, quos è tot eximijs Sanctis aut IESV amore, aut fauore præ alijs celebres adoptes. Ego inter cæteros S. Franciscum Seraphicum delegi, qui pro documento sui amoris à sancti amoris Magistro sacra Stigmata suscepit: S. Ignatium Martyrem Episcopum Antiochenum, cuius cordi IESV dilecti sui Nomen potiùs charactere amoris, quàm aureis fuit inscriptum: S. Ignatium Patriarcham nostrum, cui Romam eunti visus Christus blandis hisce verbis est locutus: *Ego vobis Romæ propitius ero*: B. Franciscum ab Infante IESV, qui cùm millena pia opera ob amorem IESVLI ac delicij sui patrâsset, viderétque, innumera adhuc superesse, quæ confici potuissent, optabat vehementer, corpus suum in infinita frusta ac particulas diuidi, quarum quælibet aliquis Franciscus à IESV Infante esset, qui totidem diuersis locis laborare ac inseruire IESV posset: S. Catharinam Senensem tantopere DEI Filio dilectam, vt cum illâ Officium diuinum recita-

citaret: S. Catharinam Genuensem, quæ illum non alio, quàm Amoris sui nomine compellabat: B. Catharinam de Raconis, quam Christus legere prima litterarum elementa docuit: S. Teresiam, quæ pro suo symbolo his verbis, *aut pati, aut mori*, vsa, mori potiùs optauit, quàm nihil pro IESV triste perferre: B. Columbam Reatinam, quæ SS. Eucharistiam sæpe è manibus Seruatoris accepit. Hos magnos Dei Hominis amatores datâ operâ huc apposui, vt digitum ad ea tibi facinora intenderem, ob quæ illos in hanc classem retuli; vt, si quando tibi eiusmodi occurrerint, ad eos colendos stimuleris, & allabores, officijs ipsorum honori exhibitis, eorum tibi beneuolentiam conciliare, téque illorum numero adiungere, qui eorundem venerationi ac obsequijs præ vulgo se mancipârunt.



EXER.

EXERCITIVM VII.

Pro Fer. IV. infra Aſcenſ.

Amare, quidquid IESVS amat, aut ad IESVM refertur, exemplo S. Franciſci.

S. ANTONIVS ſæpe diſcipulis ſuis inculcabat, Dæmonem jeiunia, vigilias, preces & pia juſtorum hominum opera, & imprimis magnum ergo IESVM amorem formidare. Hagiophile, ob ingens deſiderium, quo cupio te omnes hoſtes ſubigere, ac triumphare, magnum tibi arcanum comitto, vt ſcilicet ames, quidquid IESVS amauit, adhuc amat, & ad eius diuinam Maieſtatem aliquâ ratione refertur: in hac enim tenerâ affectione erga omnia, quæ illum concernunt, magnus ille IESV amor ſitus eſt, de quo ſanctus Anachoreta loquebatur. Certè videmus eos, qui alterum amant, amorem ſuum in ipſas adeò ædes, veſtimenta, litteras, & omnia alia amico-

rum suorum supellectilia extendere. Atq; in hunc modum existimo, IESVM nobis amandum esse, & illius causa animarum nostrarum quoq; salutem, quoniam & ipsæ illius sunt, vtpote pretioso illius sanguine redemptæ; præterquam quòd hominum & Christi fratrum sint: amandi quoque sunt justi & serui DEI, qui ad ipsum vt Regni cælestis cohæredes pertinent: templa quoque ac sacella ei consecrata; sunt enim honoris diuini palatia: alia loca sancta, velut adorandæ illius Humanitatis domicilia: virtutem & sanctitatis functiones, quibus tanquam gratissimo spectaculo mirum in modum capitur: SS. Sacramenta, velut canales gratiæ: eius SS. Verba, siue ab ab alio prolata; quoniam eius voluntatem nobis exponunt: denique quidquid eum aliquâ ratione contingit: & cur id non fiat? quando totus per omnia est desiderabilis; vt Sponsa ipsa vmbram illius expeteret, fassa, in illâ se suauiter conquiescere? a

Hanc

a Cant. 2.

Hanc amandi methodum sancti seruârunt, præsertim S. Franciscus Seraphicus, qui amori suo ad omnia, quæ quauis ratione ad eum pertinebāt, aut quadam similitudine, alióue jure accedebant, habenas laxauit. Hinc agniculis blandiri consueuit, recordatus, IESVM verum esse Agnum, qui peccata mundi sustulit; hinc oues libenter spectabat, memoriā repetens, eum instar innocentis ouis sine voce, in hostium suorum, luporum rabiem vincentium, vngues incidisse; Soli præcipuè fauebat, qui, quòd præstantissimum esset naturæ opus, videbatur illi nonnihil ad pulchritudinem IESV accedere, qui est speciosus formâ præ filijs hominum, & sol verus Iustitiæ: neque hîc eius in solem amor desinebat, sed ob eam similitudinem, quâ cum Filio DEI in comparationem venit, mille encomijs ornabat, de quo si loqueretur, fratrem suum solem vocitabat: de eodem Canticum composuit, in quo IESVM cum sole comparabat; si recreare suorum

rum animos vellet, decantari illud jubebat, canendi prouinciâ illorum vni demandatâ, qui à puero fuissent Musicæ, melodiæ ac Musicorum instrumentorum periti. Illo ipso Cantico ad patranda miracula vsus est. Grauiter & magnâ ciuium offensâ Episcopus & Gubernator Assissij inter se dissidebãt; quorum alter Gubernatorem è communione Fidelium eiecit! iste edicto vetuit, ne quidquam Episcopo, aut eius ministris vendere cuiquam liceret: hanc litem finire S. Franciscus statuerat; qui postquam Gubernatorem eò permouisset, vt vellet ad Episcopale palatium concedere, quamprimùm ad componendam discordiam pars vtraque conuenit, duos suorum jussit Canticum solis exordiri, cui aptam ad eam rem stropham ipse subiecit, solem Iustitiæ clementi eos radio dignari, qui nullâ odiorum flammâ accensi, veniã hostibus darent. Fuitque tam felix eius negotij consilijque successus, vt Gubernator, nondum causâ in medium alla-

tâ, se ad Episcopi pedes abiecerit, veniámque rogârit: hic totus restituendæ pacis apparatus fuit, in quo arbitri locum Canticum solis occupauit, ac vtriúsque animos conciliauit, qui deinde in stabilem amicitiam coaluêre.

EXERCITIVM VIII.

Pro Octauâ Ascens.

Singulari animi sensu erga Cor IESV CHRISTI affici, exemplo S. Mechtildis.

HAGIOPHILE, nulla pars in hoc corpore animato, quod circumferimus, corde nobilior est; hæc est portio omnium præstantissima: hinc est, quòd S. Lucianus Martyr, cùm captiuus detineretur, ac pro re diuinâ illi Ara deesset, ad peragendum sacrificium & Venerabile Sacramentum apto loco reponendum, suum pectus adhibuerit: illa enim sedes amoris est, vnde amor sua oracula flammis inde erumpentibus edere solet. Hæc causa fuit cur

cur generosa illa Sigismunda cor mariti sui defuncti suo pectori applicuerit, vt aut cor mortui vi caloris reuiuisceret, aut suum mariti fato periret: atque ita posterius euenit, amoris ardore, quem incredibilis ob mariti sui jacturam dolor comitabatur, vitam illi suffocante.

Necesse est sanè, corda nostra aliquid eximij habere, & opus melioris notæ ac pretij esse, vel ob id solùm, quòd IESVS illa tot modis depereat. Corda nostra sibi vendicat, hæc primo ac præcipuo jure sibi arrogat. S. Lutgardis omnis generis morbis prodigiosè medebatur, vt eâ de causâ ex omni parte maximi ad illam accursus fierent: vnde mille modis à pietatis consuetæ exercitijs ac mentis solitudine abstrahebatur: quod illa apud Dei Filium questa; Dilecte mi, aiebat, quæso te, aliam mihi gratiam præsta, ac morbos curandi facultatem adime, quæ me tam violentè à tuis obsequijs auellit; omnium gratiarum loco Cor tuum mihi

mihi dona, tum cæteris omnibus vale-dicam: cui Christus, Lutgardis! inquit, tuis precibus obsequi paratus sum, sed eâ conditione, vt mihi vicissim tuum præbeas: cor tuum volo, ab eo capienda sunt sanctitatis initia. Corda ergo nostra IESVS appetit, quæ vt gratissima sibi domicilia deligit; hæ illius voluptariæ domus sunt. S. Mechtildis magno desiderio expetebat, DEI Filio liberale ac splendidum munus è suo corde parare; qui illi mox respondens, Filia; dicebat, nullum à te potest gratius mihi munus obtingere, quàm si cor tuum in modum domûs efformes ac disponas, in quâ me oblectare, & commorari pro meo libitu ac perpetuò queam. *a* Nimirum in cordibus nostris arcana sua consignat, eis loquitur, ac operum suorum rationem exponit. De P. Rocho Gonzalez è Societate nostrâ, qui in Brasiliâ Fidei causâ fuit interemptus, refertur, cor eius fuisse locutum, etsi caput eius fuerit à corpore

a *Lib. 2. grat. cap. 26.*

euulsum, ijs, à quibus ipse fuit peremptus, tyrannidem exprobrans, cur ausi fuissent ei vitam eripere, qui ipsorum salutis gratiâ ex altero orbe aduenisset; & his similia: Cor Filij DEI multò maiori miraculo corda nostra alloquitur. Eadem S. Mechtildis quondam amabilis Redemptoris sui Cor loqui audijt, quod insolitâ sui palpitatione eã allocutum, veni, dicebat, veni filia mea! vt ritè de tuis peccatis doleas: veni amica mea! vt consolationem ac benedictionem percipias: veni Soror mea! vt possideas Regnum Patris mei, quod tibi meo sanguine comparaui: veni Sponsa mea! vt de meâ Diuinitate gaudeas. a IESVS omnes motus & cogitationes cordium nostrornm obseruat, quasi nullius rei alterius, quàm horum cura illi incumberet: idquod Angelus eidem S. Mechtildi testatus est, qui Christi jussu è corde sanctæ huius Virginis schedulam extraxit, eiusdẽ cordis sanguine hoc sensu inscriptam: malo millies mori, quàm à te ô IESV mi!

per

a *Lib. 2. grat. c. 1.*

per peccatum ſeparari: ſchediaſma illud poſtea ab eodem Angelo fuit Chriſto oblatum, qui S. Mechtildi affirmauit, has ipſas eius cogitationes eſſe, quibus eo manè ſtuduiſſet, cùm importuniùs moleſtis alijs inuaderetur: addebat, Deum generoſâ ſanctáque cordium noſtrorum pugnâ oblectari, eóſque omnes conflictus obſeruare, vt ſuo tempore præmijs remuneretur. IESVS corda noſtra etiam expurgat, & in meliùs mutat; hoc B. Catharina de Raconis experta eſt, cui cor omnino pallidum & malè affectum exemit, niſi quòd illâ ſui parte meliùs haberet, in quâ litteris argenteis erant hæc verba expreſſa: *IESVS ſpes mea!* tum poſtquam cor emundâſſet, purgâſſet, & litteras argento factas mutâſſet in aureas, priſtino loco reſtituit, vt tamen vulnus & hiatus, quâ cor extrahebatur, deinceps appareret.

Vtcunque corda noſtra in ſe contineant, quidquid alicubi pulchrũ, eximium, & amabile exiſtit, adhuc parùm

est id totum, si cum Corde Filij DEI comparetur: Cor enim illlius est Cor cordium, Rex bonorum cordium, & idea summæ sanctitatis, quam corda præstantiora omnia complectuntur: hæc est amantium regia domus. S. Mechtildis die quodam paruam è Cedro pulchrámque domum vidit, intus argenteis laminis mirè splendentibus obductam, in cuius medio Christus visebatur; ædis huius porta aureo pessulo claudi & aperiri potuit: hanc verò domum tam illustrem Cor esse IESV CHRISTI, diuinitus intellexit. *a* Eius sanè Cor amicorum suorum habitaculum est; in cuius rei fidem legimus, olim in ditione Inculismensi Monasterium quoddam à S. Francisci Religiosis habitatum, Cor IESV CHRISTI fuisse appellatum; quemadmodum aliud in Montepessulano Paradisus dicebatur. *b* Cor eius est domus refugij: Cor meum instar asyli tibi patet, inquiebat olim Christus, cùm S. Mechtildi loqueretur,

a *Lib. 1. gratiæ. cap. 29.*
b *In Annal. Minorum ad An. 1288.*

retur, vt poſt obitum tuum non alio loco quàm in meo Corde quietem capias. *a* Cor eius eſt quoddam promptuarium armorum, eſt armamentarium, eſt quoddam Copiæ Cornu, vnde omnes gratiæ ac fauores rariores depromuntur: quòd ſi hæc S. Virgo, quod ei frequens erat, diuinum munus accepiſſet, dabat operam, ne aliunde quàm ab admirabili Corde in ſe deriuaretur: & ipſamet dicere religioſâ planè ſimplicitate ſolebat: ſi dona omnia, quæ à IESV ſponſi mei Corde in me ſunt profecta, eſſent litteris conſignanda, ingentia plurimáque volumina multùm excederent. Cor eius eſt Liber Electorum, in eo IESV amatorum nomina profundè impreſſa atque cælata ſunt: S. Mechtildis animaduertit, nomen ſuum illic fuiſſe aureis characteribus inciſum, qui ſeptem diuerſis admirandi ſplendoris gemmis diſtinguebantur: eorum quælibet innuebat, quid ab illâ Deus exigeret, videlicet, puritatem cordis, memoriam Cæleſtis

a *Lib. 2. gratiæ cap. 16.*

patrię, humilitatem, imitationem IESV, longanimitatem, excellentia desideria, & amorem DEI omnino perfectum & eximium.

Quando igitur corda nostra planè corda sunt, & Cor IESV Cor est cordium, meretúrque vt omnia corda ei Sacramentum dicant; quid agere gloriosius possumus, & magis sincerum, quàm pro Corde cor dando, nostra corda illi consecrando, & toto corde Cor illud tam amabile, dignúmque rerum omnium creatarum summis ac indesinentibus obsequijs, amando?

Summum illum amorem, quem illi nos decet impendere, ad quatuor capita reduco, quæ hodie poteris experiri, vt ea deinceps per otium continues. Initium à dulci ardentis amoris ac sacrosancti Cordis memoriâ sumo: Anna Pellouacensis Vrselina cuiuscunque cordis aspectu, Cordis IESV meminerat; quę si acu laboraret, quam scitè admodum tractabat, volupe illi erat, corda efformare, & flammas imitari, à quibus

bus amantissimi Seruatoris, sui ardentis amoris admonebatur.

Ex eâ pietate, & Cordis huius memoriâ illud etiam fructu non caret, Christum per bonitatem sui Cordis obsecrare, velit ea nostris precibus cōcedere, quod pro illius maiori gloriâ postulamus, professi, nos nulli alteri cor & amorem nostrum, quàm illi dicaturos, ita quidem, vt etsi ille nos minimè amaret, (quod fieri non potest, si à nobis ipse ametur) nos tamen nunquam vellemus ab eo diligendo desistere: hanc precandi formam ex parte à S. Mechtilde desumpsi. a Eadem sancta Virgo sæpe solita est, hoc sacrosanctum Cor salutare, ad expiandas maximè præteritæ vitæ negligentias, quemadmodum Seruator ipsemet illam edocuit. Quâ salutandi formulâ sit vsa, equidem ignoro; sed facile est, honorificas salutationes per insignia encomia, quibus hoc diuinum Cor potest ornari, ad eum instituere, siue illæ desumantur ex ijs, quæ hoc loco diximus.

a *Lib. 3. gratiæ cap. 7.*

mus, siue illas malimus præferre, quas ipsi inuenimus.

Vltimum genus pietatis, quod amabili Cordi IESV potest deferri, est, ei mentis inter orandum euagationes, defectus in vsu piorum operum obrepentes, tempus inutiliter collocatum, & similes næuos offerre, vt illos veniâ donet. Seruator noster S. Gertrudem docuit, Cor suum mirâ lætitiâ perfundi, quoties eiusmodi offensarum dolorem illi testaremur, seipsum omnes eius negligentias supplere; & reum æquè esse diuinę suę bonitati acceptum, quàm antè fuisset. a Vt ergo perpetuò in pristina errata relabimur, ita semper inde emergendi, animúmque ad nouum ardorem excitandi facultas præbetur: neque aliâ re opus est, nisi vt ad finem precum, aliarúmue tuarũ actionum dicas: IESV mi dulcissime! Cordi tuo hoc meum opus offero, ac dedico; ah me miserum! qui tam malè hoc tempus impendi, tam parùm attentionis &

a *Blosius in moni, c. 4, & in spec. spir, c. 7.*

& sanctæ intentionis habui, vt meo muneri satisfacerem: quæso te, dignare meos defectus supplere, ac omnis hîc admissæ desidiæ obliuisci!

EXERCITIVM IX.

Pro Fer. VI. post Octau. Ascens.

Nihil prudenter negare, quod à nobis amore & nomine IESV CHRISTI D. N. postulatur, exemplo DEI PATRIS.

AMo IESVM animitus, sæpe dicere quidam Dei Seruus, olim mihi nõ ignotus, consueuit: alium noui, cui sæpe inter agendum hæ voces exciderant: quid non æquum est pro IESV nos agere & pati? Hagiophile, aliam tibi gnomen affero, quam tibi posthac familiarem reddes: Pro amore & Nomine IESV quid non æquum est, me concedere? Ego quidem capere duritiem cordis illius non possem, quod eleemosynam, commodum, veniam, motuum,

mutuum, charitatis obſequium negaret, amore aut nomine IESV CHRISTI poſtulanti; ſi quidem id alioqui fieri aut ſine grauiori incommodo, aut noxâ poſſit, quod rogaris. Honorificum habetur, neque negatur quidquam, quod interpoſito Principis, ſeu viri, ſeu feminæ, Monarchæ, aut magnatis aut alterius, quem magno loco, &in amore habemus, nomine poſtulatur: & terræ viles vermiculi, ac illi ipſi, qui IESVM vt ſupremum Dominum & ſummè in ſe beneficum, quíque apud ſuum Patrem omnia poſſit, vt ſuum amicum, quemadmodum quidem cupiunt videri, agnoſcunt, audebunt aliquid negare, ac eos repellere, qui per amorem, & nomen Filij DEI precantur? hoc ego non capio: homines eiuſmodi jactant, ſe IESVM amare; ſed gratis hoc dicunt: veri amoris documentum eſt, nihil ei negare, quem amas, & eius gratiâ quidlibet poſcenti indulgere. Moloſſi, ſi quando voluêre quidpiam à ſuo Rege impetrare, ſoliti ſunt filium eius parvulum

uulum

vulum intra brachia recipere, veluti dicerent, nomine filij se ad eum supplices accedere; quo facto nihil non consequebantur. Apage profana exempla! nos de filijs, de populo DEI loquimur: ita Christiani sunt à suo amabili Magistro instituti, vt ad eum omnino modum preces suas peragerent, si ad DEVM Patrem illas fusuri essent; eo facto vota illorum rata omnia fore pollicebatur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* *a* Vero verius est, orationes ritè ad DEVM Patrem per nomen Filij eius profusas seriùs aut citiùs postulata ac assensum obtenturas esse: ob quam causam Ecclesia constituit, vt omnes publicæ preces ad eam methodum fierent, probè gnara, præter facta sibi promissa, quoniam IESVS CHRISTVS est omni amore ac honore dignissimus, meretúrque, vt nullius omnino postulati ferat repulsam, Patrem eius facilem in admittendis fidelium supplicantium precibus illius causâ fore, quòd aliunde existimet, quid-

a *Ioan. 16.*

quidquid illis concesserit, tantundem fore, atque si proprium Filium suum voti damnâsset.

Ob has rationes caue, Hagiophile, ne vnquam patiaris aut vacuum à te, aut tristem quemcunque discedere, si quidem occasionem tibi pij operis præbeat, per nomen & amorem Seruatoris nostri te obtestatus: ac ne in hoc negotio fortè offendas, S. Gregorij magni sententiam sequere. Is, quoties pauper stipem siue corâm siue per alium Christi amore rogabat, etsi sæpius idem rediret, jussit ei satisfieri: quid si, aiebat, Seruator noster mendici formam indutus in quopiam mendicabulo lateret? quantopere tunc dolerem, ei me nihil fuisse largitum? Atque reipsâ Mercator, qui asserebatur, se fortunarum omnium jacturam fecisse, illi se obtulit, opem eius implorans; cui cùm sex Philippæos porrigeret, negabat mercator, eam sibi summam sufficere; igitur S. Gregorius Monasterij Oecononum, cuius tunc ipse Abbatem

age-

agebat, jubet ſex alios numerari: ijs acceptis mendicus euanuit; ſed paulò pòſt eâdem de causâ reuertenti S. Gregorius, ne quidquam egenti negaret, cùm argenti inopia ipſe jam laboraret, juſſit pateram argenteam donari, quâ mater eius ad ſubmittenda illi legumina vtebatur: eius liberalitatis eandem ſemper ac prægnantem cauſam attulit; quid ſi IESVS ipſe Mercatoris in perſonâ adeſſet? Neque ſe fefellit; cùm enim ad ſummum Pontificatum fuiſſet euectus, ac duodecim pauperes menſæ admouiſſet, numeratis in illâ tredecim egentibus, ad ignotum illum conuerſus, rogabat, ecquis eſſet; cui alter reſpondit, eundem ſe Mercatorem eſſe, cui bis diuerſis vicibus nuper ſex Philippæos ac pateram ex argento dediſſet: de cætero Angelum ſe eſſe è cælo aliquoties miſſum, vt eius in Deum amorem exploraret; modò verò ſe adeſſe, vt ei ſignificet, DEVM ſuas in terris illi vices commiſiſſe, vt aliquâ ratione magnas ipſius ac pias in miſeros largitiones

tiones remuneraretur. Quin ipſe quoque DEI Filius nonnunquam in alienâ ſpecie comparuit, vt quoſdam ad obſequia quædam certa prouocaret: pro cuius rei teſte ſeruit, quod in Vitâ S. Lutgardis habetur. Quidam enormi vtcunque peccato obſtrictus, tantâ verecundiâ laborabat, vt confiteri prorſus abhorreret: eius vicem miſeratus Redemptor noſter, habitâ præteritæ vitæ ratione peregrini habitu ei conſpicuus, eum multis precibus vrgebat, vellet ad obtinendam peccatorum ſuorum, quibus excruciaretur, veniam, manum ſuam aliquantum eius capiti admouere: quod officium alter minimè detrectauit: ſed cùm caput illius attigiſſet, in eius vertice oculum omnino viuidum conſpexit; quo viſo oſtento attonitus, DEVM bonum! quid hoc eſt? exclamat, en hominem, qui in ſummo capitis oculum habet! tum peregrinus, hic eſt oculus ille, reſpōdet, qui te in arcano peccantem arbitratus eſt, cuius aciem effugere nihil vſpiam poteſt.

test. a Hoc facto admonemur, perutilem esse, cogitationem istam: Deus mihi hunc hominem submisit, & per illum hæc, vel illa à me postulat, vt mentem meam experiatur: neget, qui volet; ego negare non ausim, quoniam per eius amorem & nomen sum rogatus: adhæc decorum mihi hoc erit, me tali charitatis officio functum fuisse, quod IESVS non secus acceptet, atque si ipsimet fuisset præsenti exhibitum: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* b

a *In vitâ S. Lutg. l. 2. c. 20. per Cantipr.*
b *Matth. 25.*

EXERCITIVM X.

Pro Sab. & Vigiliâ Pentecostes.

Ardenti desiderio flagrare, Filium Dei videndi, exemplo S. Augustini.

QVIS tantorum desideriorum, quorum plerique mortalium tyrannide excruciantur, fructus est? quid possit à quoquam excellen-

tius

tius desiderari, quàm IESVM in gloriæ sede cælesti pulchritudine splendentem intueri ? S. Augustinus inter tria desideria potiora etiam hoc laborabat, IESVM in illâ humanâ Maiestate ac diuinâ humanitate inter homines versantem videndi : sed si fas est, animi mei sensum & studia explicare ; multò maiori cupiditate contenderem, eum pulchritudine gloriæ suæ ac statu supremæ felicitatis inter Cælestis Hierosolymæ ciues intueri : longè aliud est, diuinam eius Maiestatem in cælis contemplari, quàm cùm in terris visus olim fuit ; etsi enim vbique animos contuentium capiat, in Cælis tamen multò potentiùs spectantium oculos ac mentes in se conuertit : *IESVS, qui dulcis est in voce, dulcis in faciè, dulcis in nomine, dulcis in opere, dulcior apparebit in Deitatis visione*, ait S. Bernardus. a Illic tam pulcher, tam numeris omnibus absolutus, tam admirandus apparet, vt summa sit Angelorum voluptas, post Diui-

a *Serm. de Cœnâ Domini.*

Diuinitatis intuitum, hanc tam amabilem ac adorandam IESV CHRISTI Hominis naturam cõtemplari: *in quem desiderant Angeli prospicere*: a neque contenti intellectu solummodò illum agnoscere, optarent nostra etiam corpora subire, vt oculis ad hominum exemplar factis, possent illam formam considerare.

Mirare nunc, IESV amantes tanto studio, Seruatorem omnium gloriosissimâ venustate præditum videndi flagrâsse; jucundum foret, eis omnibus auscultare: diceres, eos inter se contendisse, quis ardore ac desiderio eum cõspiciendi primas ferret. S. Ioannes dilectus illi Discipulus, etsi jam nonaginta nouem annorum senex, tam auidè suspirabat, tã claris verbis suos gemitus explicabat, vt juuenum etiam contentionem æquaret: *Veni Domine IESV!* b veni! tui videndi desiderio emorior. *Coarctor*, ait S. Paulus Apostolus, *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* c *Domine*, exclamat S. Gregorius

a 1. *Petri*. 1. b *Apoc*. 22. c *Phil*. c. 1.

rius Nazianzenus, *solue hanc tunicam, ita mihi grauem & ponderosam, & da mihi leuiorem.* S. Bernardus millies vocem intendit, vt animi sui æstum prodat: *Desidero te millies, mi IESV! quando venies?* S. Augustinus paratus ac cupidus est mori, dummodo fas illi sit, faciem IESV contemplari: *Ubi es absconditus pulcher, quem desidero? cur faciem tuam abscondis? forte dicis, non videbit me homo, & viuet? Eia Domine! moriar, vt videam te, videam vt hîc moriar: nolo viuere, volo mori, dissolui cupio, & esse cum Christo.* a S. Ignatius gloriosus Martyr Antiochenus, nullam mortis sæuitiem & crudelem illius apparatum pertimescit; exquisita quæuis tormenta prouocat, eâ tamen conditione, vt post totam hanc carnificinam possit IESV dilecti sui aspectu perfrui: *Ignis, Crux, Bestia, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant: tantùm Christo fruar:* hi omnes, hæc tam accensa desideria, non nisi per inter-

a *Soliloq. 1.*

nulla reuocabant: S. Maria Ogniacensis verò per duodecim menses, hoc est, supremum vitæ suæ annum, nihil aliud animo ac ore voluebat, nisi quòd miserabili clamore, ac amãtis animi languore ingeminaret; *Domine! non cupio hîc morari ampliùs, volo ire domum.* a S. Cyprianus credit, non sufficere, si omnino ipse solus cupiat Seruatorem videre; sed ad idem votum mundum vniuersum inuitat; & tantò maiorem gloriam ac magìs admiranda illic spectacula pollicetur, quantò desideria erunt magìs accensa: *Optemus, vt citò ad Christum venire contingat: daturus est enim maiora gloriæ præmia, si maiora fuerint erga se desideria.* b

Nunquid prædixi, perquam jucundum fore, illorum desideria percipere, intelligere suspiria; cùm cęlestis Sionis portas, & Cor IESV, vnicum piarum mentium votum, suis suspirijs, & miserabili vociferatione pulsarent? Hagiophile, quid tu cum tot amantium ex-

Y emplis

a *Vita lib. 2. cap. 1.*
b *Tractatu de mortalit.*

mutuum, charitatis obſequium negaret, amore aut nomine IESV CHRISTI poſtulanti; ſi quidem id alioqui fieri aut ſine grauiori incomodo, aut noxâ poſſit, quod rogaris. Honorificum habetur, neque negatur quidquam, quod interpoſito Principis, ſeu viri, ſeu feminæ, Monarchæ, aut magnatis aut alterius, quem magno loco, & in amore habemus, nomine poſtulatur: & terræ viles vermiculi, ac illi ipſi, qui IESVM vt ſupremum Dominum & ſummè in ſe beneficum, quíque apud ſuum Patrem omnia poſſit, vt ſuum amicum, quemadmodum quidem cupiunt videri, agnoſcunt, audebunt aliquid negare, ac eos repellere, qui per amorem, & nomen Filij DEI precantur? hoc ego non capio: homines eiuſmodi jactant, ſe IESVM amare; ſed gratis hoc dicunt: veri amoris documentum eſt, nihil ei negare, quem amas, & eius gratiâ quidlibet poſcenti indulgere. Moloſſi, ſi quando voluêre quidpiam à ſuo Rege impetrare, ſoliti ſunt filium eius paruulum

vulum intra brachia recipere, veluti dicerent, nomine filij ſe ad eum ſupplices accedere; quo facto nihil non conſequebantur. Apage profana exempla! nos de filijs, de populo DEI loquimur: ita Chriſtiani ſunt à ſuo amabili Magiſtro inſtituti, vt ad eum omnino modum preces ſuas peragerent, ſi ad DEVM Patrem illas fuſuri eſſent; eo facto vota illorum rata omnia fore pollicebatur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* a Vero verius eſt, orationes ritè ad DEVM Patrem per nomen Filij eius profuſas ſeriùs aut citiùs poſtulata ac aſſenſum obtenturas eſſe: ob quam cauſam Eccleſia conſtituit, vt omnes publicæ preces ad eam methodum fierent, probè gnara, præter facta ſibi promiſſa, quoniam IESVS CHRISTVS eſt omni amore ac honore digniſſimus, meretúrque, vt nullius omnino poſtulati ferat repulſam, Patrem eius facilem in admittendis fidelium ſupplicantium precibus illius causâ fore, quòd aliunde exiſtimet, quid-

a *Ioan. 16.*

quidquid illis concesserit, tantundem fore, atque si proprium Filium suum voti damnâsset.

Ob has rationes caue, Hagiophile, ne vnquam patiaris aut vacuum à te, aut tristem quemcunque discedere, si quidem occasionem tibi pij operis præbeat, per nomen & amorem Seruatoris nostri te obtestatus: ac ne in hoc negotio fortè offendas, S. Gregorij magni sententiam sequere. Is, quoties pauper stipem siue coràm siue per alium Christi amore rogabat, etsi sæpius idem rediret, jussit ei satisfieri: quid si, aiebat, Seruator noster mendici formam indutus in quopiam mendicabulo lateret? quantopere tunc dolerem, ei me nihil fuisse largitum? Atque reipsâ Mercator, qui asserebatur, se fortunarum omnium jacturam fecisse, illi se obtulit, opem eius implorans; cui cùm sex Philippæos porrigeret, negabat mercator, eam sibi summam sufficere; igitur S. Gregorius Monasterij Oecononum, cuius tunc ipse Abbatem

age-

agebat, jubet ſex alios numerari: ijs acceptis mendicus euanuit; ſed paulò pòſt eâdem de causâ reuertenti S. Gregorius, ne quidquam egenti negaret, cùm argenti inopia ipſe jam laboraret, juſſit pateram argenteam donari, quâ mater eius ad ſubmittenda illi legumina vtebatur: eius liberalitatis eandem ſemper ac prægnantem cauſam attulit; quid ſi IESVS ipſe Mercatoris in perſonâ adeſſet? Neque ſe fefellit; cùm enim ad ſummum Pontificatum fuiſſet euectus, ac duodecim pauperes menſæ admouiſſet, numeratis in illâ tredecim egentibus, ad ignotum illum conuerſus, rogabat, ecquis eſſet; cui alter reſpondit, eundem ſe Mercatorem eſſe, cui bis diuerſis vicibus nuper ſex Philippæos ac pateram ex argento dediſſet: de cætero Angelum ſe eſſe è cælo aliquoties miſſum, vt eius in Deum amorem exploraret; modò verò ſe adeſſe, vt ei ſignificet DEVM ſuas in terris illi vices commiſiſſe, vt aliquâ ratione magnas ipſius ac pias in miſeros largitiones

tiones remuneraretur. Quin ipse quoque Dei Filius nonnunquam in alienâ specie comparuit, vt quosdam ad obsequia quædam certa prouocaret: pro cuius rei teste seruit, quod in Vitâ S. Lutgardis habetur. Quidam enormi vtcunque peccato obstrictus, tantâ verecundiâ laborabat, vt confiteri prorsus abhorreret: eius vicem miseratus Redemptor noster, habitâ præteritæ vitæ ratione peregrini habitu ei conspicuus, eum multis precibus vrgebat, vellet ad obtinendam peccatorum suorum, quibus excruciaretur, veniam, manum suam aliquantum eius capiti admouere: quod officium alter minimè detrectauit: sed cùm caput illius attigisset, in eius vertice oculum omnino viuidum conspexit; quo viso ostento attonitus, Devm bonum! quid hoc est? exclamat, en hominem, qui in summo capitis oculum habet! tum peregrinus, hic est oculus ille, respōdet, qui te in arcano peccantem arbitratus est, cuius aciem effugere nihil vspiam potest.

test. a Hoc facto admonemur, perutilem esse, cogitationem istam: Deus mihi hunc hominem submisit, & per illum hæc, vel illa à me postulat, vt mentem meam experiatur: neget, qui volet; ego negare non ausim, quoniam per eius amorem & nomen sum rogatus: adhæc decorum mihi hoc erit, me tali charitatis officio functum fuisse, quod IESVS non secus acceptet, atque si ipsimet fuisset præsenti exhibitum: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* b

a *In vitâ S. Lutg. l. 2. c. 20. per Cantipr.*
b *Matth. 25.*

EXERCITIVM X.

Pro Sab. & Vigiliâ Pentecostes.

Ardenti desiderio flagrare, Filium Dei videndi, exemplo S. Augustini.

QVIS tantorum desideriorum, quorum plerique mortalium tyrannide excruciantur, fructus est? quid possit à quoquam excellentius

tius desiderari, quàm IESVM in gloriæ sede cælesti pulchritudine splendentem intueri? S. Augustinus inter tria desideria potiora etiam hoc laborabat, IESVM in illâ humanâ Maiestate, ac diuinâ humanitate inter homines versantem videndi: sed si fas est, animi mei sensum & studia explicare; multò maiori cupiditate contenderem, eum pulchritudine gloriæ suæ ac statu supremæ felicitatis inter Cælestis Hierosolymæ ciues intueri: longè aliud est, diuinam eius Maiestatem in cælis contemplari, quàm cùm in terris visus olim fuit; etsi enim vbique animos contuentium capiat, in Cælis tamen multò potentiùs spectantium oculos ac mentes in se conuertit: *IESVS, qui dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere, dulcior apparebit in Deitatis visione*, ait S. Bernardus, a Illic tam pulcher, tam numeris omnibus absolutus, tam admirandus apparet, vt summa sit Angelorum voluptas, post Diui-

a *Serm. de Cœnâ Domini.*

Diuinitatis intuitum, hanc tam amabilem ac adorandam IESV CHRISTI Hominis naturam cōtemplari: *in quem desiderant Angeli prospicere*: a neque contenti intellectu solummodò illum agnoscere, optarent nostra etiam corpora subire, vt oculis ad hominum exemplar factis, possent illam formam considerare.

Mirare nunc, IESV amantes tanto studio, Seruatorem omnium gloriosissimâ venustate præditum videndi flagrâsse; jucundum foret, eis omnibus auscultare: diceres, eos inter se contendisse, quis ardore ac desiderio eum cōspiciendi primas ferret. S. Ioannes dilectus illi Discipulus, etsi jam nonaginta nouem annorum senex, tam auidè suspirabat, tā claris verbis suos gemitus explicabat, vt juuenum etiam contentionem æquaret: *Veni Domine IESV!* b veni! tui videndi desiderio emorior. *Coarctor*, ait S. Paulus Apostolus, *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*. c *Domine*, exclamat S. Gregorius

a 1. *Petri*. 1. b *Apoc*. 22. c *Phil*. c. 1.

nalla reuocabant: S. Maria Ogniacensis verò per duodecim menses, hoc est, supremum vitæ suæ annum, nihil aliud animo ac ore voluebat, nisi quòd miserabili clamore, ac amãtis animi languore ingeminaret; *Domine! non cupio hîc morari ampliùs, volo ire domum.* a S. Cyprianus credit, non sufficere, si omnino ipse solus cupiat Seruatorem videre; sed ad idem votum mundum vniuersum inuitat; & tantò maiorem gloriam ac magìs admiranda illic spectacula pollicetur, quantò desideria erunt magìs accensa: *Optemus, vt citò ad Christum venire contingat: daturus est enim maiora gloriæ præmia, si maiora fuerint erga se desideria.* b

Nunquid prædixi, perquam jucundum fore, illorum desideria percipere, intelligere suspiria; cùm cęlestis Sionis portas, & Cor IESV, vnicum piarum mentium votum, suis suspirijs, & miserabili vociferatione pulsarent? Hagiophile, quid [illegible] cum tot amantium ex-

Y emplis

a *Vita lib. 2. cap. 1.*
b *Tractatu de mortalit.*

emplis ages? Desideras vtique incomparabilem illam pulchritudinem aliquando videre, quæ vna plus habet venustatis, quàm vnquam fuit, aut inter maxima fluxæ elegantiæ decora deinceps futura est. Hunc igitur diem tuis desiderijs indulge, & illam consolationem si non hominibus, quorum oculos cupis luculentiores animi tui flammas effugere, saltem Angelis concede, votorúmque tuorum arbitros constitue, centies cum S. Ioanne dicendo: *Veni Domine IESV!* & quingenties cum S. Bernardo: *Desidero te millies, mi IESV! quando venies?* Si me audis, in cubili tuo, omnes hasce calentes sententias, quas suprà adduxi, pronuntiabis, ac insigniores cæteris retinebis, vt pro opportunitate illas vsurpes, ac toties repetas, quoties rerum creatarum fastidium, aut fraudes consideranti in mentem veniet, IESVM centies millies pulchriorem & amabiliorem illis esse, adulterinam fictámq; speciem jactantibus. Hæc vna demum ratio ac egregium

gium inuentum est, vt patienter vitam toleres, & mortem in voto habeas, vt S. Augustinus loquitur: *Qui desiderat dissolui & esse cum Christo, patienter viuit, & delectabiliter moritur.* Adeste, adeste vanitatis sectatores, & IESV dilectæ Virginis mortem spectate, quæ centies millies in viuis ingeminabat. *IESV mi! non cupio hic morari amplius; domum ire volo*: obseruate postremas vitæ illius actiones, dicite, si potestis, num vllus vestræ factionis mortalis tantâ hilaritate mortem oppetat. Hæc est S. Maria Ogniacensis, quæ sub anni illius quo tantopere exoptabat IESVM in gloriâ intueri, finem, felici nuntio recreata, se post pauculos dies *Sancta Sanctorum* ingressuram, præ gaudio exsilijt, ac sui propè impos, perpetuò has voces iterabat: Clementia! (id ancillæ nomen erat) quæ sunt hæc *Sancta Sanctorum*? quid *Sancta Sanctorum* sibi volunt? hoc identidem rogabat; sed ego mihi persuadeo, heram multò probiùs intellexisse, quænam illa essent, quàm famula

 potue-

potuerit assequi : posthæc tres dies ac noctes aliud nihil egit, quàm vt Canticum laudis diuinæ gloriæ, & Hymnos Sponso suo IESV decantaret, Seraphico Spiritu aures eius occupante, qui singulas illi strophas ordine suggerebat : cæterùm vultus erat ridenti similis, vox Angelica, amor eius diuinus: ita exacto triduo, quod vitæ tam cælestis extremum fuit, totâ vltimâ horâ, quæ mortem antecessit, non aliud quàm intercalare hoc ac cæleste carmen occinuit : *Quàm pulcher es, Rex noster Domine! Alleluia* : ita mortua est Maria, vt hinc egressa, illic MARIAM, & MARIÆ Filium videret.

CAPVT



CAPVT VI.

SEPTEM PIETATIS EXERCITIA ERGA SPIRITVM sanctum, pro festo Pentecostes, & sequentibus diebus, vsque ad Festum SS. Trinitatis.

EXERCITIVM I.

Pro Festo Pentecostes.

Precari & colere SPIRITVM S. frequenter eum inuocando, exemplo Gallicae Antistitae.

HAGIOPHILE, næ tu me hodie jubebis in malam rem abire, si hoc tam festo hilaríque die precari tibi sustineam, vt viuus concremeris: bona verba! compesce furorem; ignem diuini amoris & illas flammas tibi imprecor, quæ supra

Apoſtolorum capita comparuêre: neque crudeliùs tecum ago, quàm B. Felix Capuccinus S. Philippum Nerium excepit: is ſi S. Philippum haberet in plateâ obuium, dicere illi nonnunquam conſueuit: vt ardeas! puta pro DEI amore & causâ IESV CHRISTI. Eodem aduerſum te rigore vtor, quo Cæli ciues feſto Pentecoſtes die B. Sybillinam Patauinam, è tertio S. Dominici Ordine, quæ ſingulariter erat Spiritui Sancto deuota, inuaſerunt: eo igitur die parua feneſtra caſæ primò impellebatur; dein audijt clarâ ſe ſe voce compellari: Sybillina! vt tu poſſis ignibus illis ardere, qui hodie in SS. Apoſtolos delapſus eſt! Alio tempore Diuorum aliquis ei ſe viſendum obtulit, ac flammas in eius faciem coniecit, à quibus, vt & à prioribus, ſenſit ſe Spiritu S. repletam, & ardentiſſimo DEI amore ſuccenſam, vt nihil vnquam ſimile antè fuerit experta. Atque hic eſt ignis, quem cupio in corde tuo accendi: ſed optima ratio, in mentem tuam è Cælo
has

has flammas prouocandi, est, assiduis aspirationibus diuinum Paraclitum precari, dignetur ad te diuertere, & omnes animæ tuæ facultates occupare. Semper quidem expedit, quouis tempore, aut sæpius ita suspirare; sed imprimis in hoc tempus, & hunc diem aptè cadit. B. Sybillina, de quâ feci mentionem, toties iterabat: Veni S. Spiritus intra cor meum, & animam meam diuini amoris flammâ accende; vt tandem liberaliter obtinuerit, quod tanto desiderio atque constantiâ expetebat. Galliota à S. Annâ, Antistita vitę sanctitate celebris, hoc die ac tempore longè solito frequentiùs eiusmodi Spiritûs sancti inuitationes repetebat; quin millies hodie carmen illud ordine dicebat: *Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium!* Forsan à S. Francisco Xauerio didicit, hanc diuinam in se flammam accendere, qui singulas Officij diuini horas ab ijs verbis inchoabat: *Veni Creator Spiritus, mētes tuorum visita*; aut à P. Petro Fabro,

qui in recitatione Officij ad cuiuslibet Psalmi initium à DEO Patre sanctum eius Spiritum postulabat: *Pater cælestis! da mihi Spiritum bonum*. Verùm quid interest, nos intelligere, vnde laudata hæc consuetudo promanârit? satis est nos scire, illam hoc sacro Pentecostes die penitùs arsisse, nobísque eadem audendi exemplum reliquisse: si millenarius numerus tuas vires, aut volũtatem excedit, imminue: dummodo cælesti hoc igne flagres, salua res est.

EXERCITIVM II.

Pro Fer. II. Pentec.

Gratias agere Spiritui sancto ob accepta ab eius bonitate beneficia, exemplo Henrici III. Galliæ & Poloniæ Regis.

HENRICVS III. Rex æternâ memoriâ dignus est, qui in cultu Spiritûs sancti promouendo cũ quouis sui temporis certauit, ob Ordinem S. Spiritûs institutum: cuius operis

ris duas potissimum causas habuit, vt alias dissimulem, cur nobilissimum ac excellentissimum huncOrdinem Equitum pro honore diei tam festi,& tertiæ huius è SS. Triade Personæ instituerer: prima fuit, vt in animis Fidelium debitam obseruantiam ac pietatem in Spiritum sanctum denuo restauraret, quæ hoc tempore ob hæreticorum impietatem, nullâ eum peculiari prece colentium, admodum languebat; & re ipsâ vix inter omnes hæreticorum preces eius fieri mentionem vldebis: cui malo auertendo, ac ne noua quædam hæresis aduersus hanc diuinam Personam pullularet, pius Princeps statuit, eâ pietate potiorem Regni sui Nobilitatem imbuere, vt à magnatibus eò faciliùs in subiectos deriuaretur.

Altera, quæ huc facit, gemini beneficij, DEI gratiâ singularíque Spiritûs sancti ope ipsoPentecostes die accepti, grata recordatio fuit; tali enim die duorum ac diuersorum regnorum fuit Rex inauguratus; & priori quidem an-

no Poloniæ regnum suscepit, anno 1573. in eiusdem gentis comitijs electus; sequenti verò Galliæ gubernationem jure successionis adijt, Caroli IX. fratris sui morte sibi relictam.

Vnde discimus, nunquam nobis debere beneficia, singulari Spiritûs sancti operâ in nos collata, è memoriâ excidere, siue illa in Baptismo per sanctificationem, siue in pœnitentiæ Sacramento per tot justificationes ac reconciliationes, siue diuersis vocationibus per interiores ac serios instinctus, siue alijs modis, qui cuilibet priuatim constant, nobis obtigerint. Aptissimum porrò tempus, huiusmodi gratias quàm maximâ demissione agendi, hoc octiduo offertur, si aut SS. Synaxin hoc fine sumas, aut Hymnos recites, quos in huius diuinæ Personæ honorem Ecclesia his diebus decantat. Quot coronæ, putamus, Spiritûs sancti liberalitate nobis cuduntur? Ille Monarcha nõ nisi duas numerabat, nec aliò, quàm ad perituri Regni clauum vocatus: dum

dum ille interim tibi duodenas procurat, omnes beatas, & regni illius vindices, cuius terminus est æternitas: hæc profectò digna sunt, & plùs quàm digna, quibus gratiæ infinitæ referantur.

EXERCITIVM III.

Pro Fer. III. Pentec.

Magna & pura desideria. Deo seruiendi concipere, pro honore Spiritûs sancti, qui nos excitare illis instinctibus dignatur, exemplo Ludouici Hierosolymæ & Siciliæ Regis.

EXIMIVS hic Rex, postquam & ipse eodem die Pentecostes Hierosolymæ ac Siciliæ fuisset sceptro potitus, pro gratiarum actione ob geminum regnum sibi oblatum, Ordinem inchoauit, quem Ordinem Spiritûs Sancti à recto desiderio vocauit: Eius militiæ adscriptis pro Symbolo paucas has voces attribuit: *Si Deo placet*: quas extremo capulo gladij in-

cisas jubebantur secum circumferre, vti & vestibus loco spectabili assuere: mensa, ad quam die Pentecostes illis erat accumbendum, Mensa desiderata appellabatur. Dolendum est, in huius Principis gestis occasionem fuisse prætermissam, quâ hæc verba, *Rectum desiderium* suam originem traxissent, Ordini S. Spiritûs annexa. Ego quidem existimo, eum suos Equites erudire voluisse, hunc diem esse pijs desiderijs sacrum, ac eius Ordinis Equitibus magna puráque pro DEI obsequio & gloriâ esse concipienda, & quidem operâ & beneficio Spiritûs sancti, qui nos indesinenter ad meliora impellit.

Hagiophile, semper quidem æquum est, magnis ac sanctis desiderijs nos calere; sed imprimis hoc tempore; vt adeò te adhorter, velis & tu è numero istorum Equitum esse, atque Ordinem S. Spiritûs à *recto desiderio* restaurare: hodie igitur maxima desideria concipe, quæcunqne tibi animus dictabit, eáque Spiritui sancto, qui est Pater &

Lu-

Lumen cordium, dedica, vnde sancta desideria velut è fonte hauriuntur, *Si Deo placet*, successum habitura. Et quãuis nunquam ad opus progressa, simplicis tantùm desiderij naturam semper retinerent; suo tamen merito nunquam fraudabuntur: Deus enim adeò benignus est, vt maximos & minimos nostræ voluntatis conatus remuneretur, eo casu nostram impotentiam inter generosa facinora adnumerans.

Si ignoras, quid desideres, materiem tibi dabo: Spiritui sancto deuotos intuere, gloriosos Equites considera, qui rectà ad *rectum desiderium* diuinæ gloriæ contendunt, qui jam locum in *Mensâ desideratâ* occupârũt, vt seipsos omnis generis magnis ac heroicis desiderijs animent, parati res ipsas suis votis substituere, *si Deo placet*. Tu vtrumque genu ad pedem Oratorij tui submitte, quod tibi instar *desideratæ Mensæ* sit: illic Cælum desiderijs fatiga, ac varietate & sanctitate suspiriorum tuorum DEI cor ad te rape, vt isti faciunt; &

dic, quod illi dicunt, ſed ex animo, Magne DEVS! quid egi, quòd tamdiu diſtulerim, te amare, & me tibi totum permittere? ſatis quidem etiamnum feſtino, ſi ſatis bene ago, quod agendum eſt. Sed ah! cur tam felix non fui, vt ab eo momento tibi ſeruirem, quo rationis imperium adij? ah! cur non primo temporis illius articulo, quo creata mihi fuit anima, fui rationis vſu donatus; vt jam tunc inciperem eo me debito amoris, quo tibi cor meum eſt obſtrictum, exſoluere? aut ſi juſtò altiùs meam originem repeto, cur ſaltem tuus ab ortu meo non fui? ah! vt mihi tunc liberè incedendi facultas fuiſſet; næ ego quoquàm aliò, quàm ad domũ aliquam tibi ſacram primum pedem intuliſſem: illic ego primo vitæ momẽto ſedem fixiſſem, totâ reliquâ vitâ nunquam deſerendam: proh dolor! totum ac tam prolixum manè infantiæ meæ ſine tuo amore, ſine tuo obſequio exegi. Cuperem denuo velut in aliquod nihilum reuerti, vt inde non

priùs

priùs prodirem, quàm quò momento diuini amoris tui Aurora meæ menti exoreretur. *a*

O DEVS! Creator mi! ah! quàm cuperem è numero illorum esse, qui nunquam in te peccârunt! ah! vt innocentem vitam, quâ tantoperè delectaris, exegissem; heu! cur non sum omnis culpæ immunis? ô quàm libenter omnes meos defectus & imperfectiones exuerem, etsi ad id obtinendum necesse foret, omnia me Inferorum supplicia perferre! subeamus Infernum, subeamus, cupio viam doceri; sed eâ lege, vt sim peccati expers, & omnes etiã leuissimas imperfectiones meas aboleam: ducat me illuc, qui volet; mala, quæ eo loco tolerantur, patientiùs feram, quàm cordis à tuâ lege temerè discedentis supplicium. *b*

O DEVS omnis Maiestatis! vtinam possem gloriæ tuæ fines propagare, tibique rerum omnium à te conditarum hono-

a *Hoc desiderium P. Petri Ribadeneiræ è Soc. IESV fuit.*

b *Ita S. Catharina Genuensis aspirabat.*

honorem & obſequium conciliare! æternis ignibus addicti omnium contumaciſſimè tuiSS. Nominis reuerentiam proculcant, & explodunt: hîc optarem totus quantus ſum in portam transformari, vt aditum ad has abyſſi Infernalis voragines obturarem, omnéſq; deſperatos ab earum ingreſſu arcerem, qui in moribus ſuis præ ſe ferunt, ſe magnis paſſibus eò feſtinare. *a* Verùm vt his malis vniuerſis occurratur, deſiderio emorior, vt ad peccata omnia toto orbe proſcribenda, mea præſertim vtpote tam enormia, acerbiſſimis quibuſque Purgatorij cruciatibus ad extremum vſque mundi diem ſuſtinendis addicar: *b* parùm hoc eſt; vellem in me vno omnem æternorum ſuppliciorum carnificinam expleri, vt Dæmones etiam ipſos ſaltem ad mundi finem vſque inde eximerem: neque vlla inter mortales mentio ampliùs fieret de violatis præceptis tuis, de blaſphemijs, de ſceleribus, de inſolentiâ & con-

a *Ita S. Catharina Senenſis.*
b *Hoc fuit deſiderium B. Iacoponi.*

conculcatione diuinæ ac adorandæ Maiestatis tuæ. a

O DEVS! supremus actionum nostrarum scopus! quanto gaudio gestirem, si, quod tanto animi studio efflagito, aliquando eueniret! Vtinam tibi omnem illam gloriam, omnes perfectiones, quas modò possides, omnes honores, omnes pulchritudines, omnes opes, & omnia bona; quibus res à te creatæ perfruuntur, possem conferre! te solum, si hæc omnia mei juris essent, te, inquam, solum in horum possessionem immitterem: veruntamen quia his vniuersis longè excellentiora complecteris, & Maiestate tuâ dignum putas, ea dona in fideliores seruos tuos esse sparsim diuisa; nullum genus honoris ac reuerentiæ potest excogitari, quod non sim paratus ijs ipsis exhibere: auidè terræ illi, quâ incedunt, locísq; omnibus, vnde ad te preces fundunt, osculum infigerem: quantum ad illos attinet, qui tibi jam propiores, in æternæ Sionis arce degunt, vt mea desideria exsa-

a *Ita sensit B. Magd. de Pazzis.*

exſatiarem, concedendum mihi eſſet, vt ſtellas omnes, omnes vniuerſi Orbis gemmas, mille Soles, & ipſam gloriam Phrygio poſſem operi intexere, ad effingendas coronas illas, quas poſtea illorum capitibus imponerem, dignis, quæ in Regno Diuinitatis tuæ diademata coronent. a

O DEVS Sanctitatis! qui animas bonâ voluntate præditas deperis, magno deſiderio afficior, curioſè inueſtigandi, ac intelligendi, quidquid interiores amici tui vnquam deſiderârunt, ac illo in muneris vicem tibi oblato ita te cõpellandi: Accipe, Domine! quidquid pro tuo amore, pro tuâ gloriâ, ad exemplum Amatorum tuorum facere peroptarem. Fortaſſis nimis magnus iſte auſus foret: quâ enim ratione aſſequi tot Sanctorum deſideriorum diſcrimina & amoris flammas poſſem! Credo, me feliciùs laboraturum, ſi ex illarum rerum, quæ ſenſibus occurrũt, aſpectu, deſideria ceu teſtes mei in te amoris eliciam: ita ſi laneum textum

alám-

a *Hoc votum fuit S. Hedvvigis.*

aliámue materiam videro, cupiam omnia Orbis mendicabula vestire: si in morbidos incidam, quibus medica potio aut aliud medicamentum propinetur; cogitabo, me velle vitam & cibum de corde meo suppeditare: si quamcunque rem conspexero in partes diuidi, dicam, optare me, in hunc modũ haberi; ac in totidem partes dissecari, vt Martyrum tuorum numero accenserer: atque ita è rebus alijs, quæ se mihi offerent, sancti amoris cogitationes eruam, quibus animus desideria sua affigat. *a* Et hoc animi sensu præditus, ne diutiùs morer, denuntio tibi, DEVS vitæ meæ! me, quamuis manus haberem bonorum operum fructu plenas, velle nihilominus nomine Desiderantis & Danielis gloriari, qui *vir desideriorum b* fuit.

Hagiophile, satis hodie desideriorum: disce nihilominus, quomodo tua desideria concipias, & illi methodo, quam hîc descripsi, similia: imò multò lar-

a Ita desiderauit Catharina de IESV Carmelitana. b *Dan. 9.*

largiora effinge: quòd si vni alteriúue vacaueris, liberale præmium exspecta; quippe in domo DEI nemo gratis laborat; desideria non minùs quàm opera coronantur: aliorum merces maior, aliorum minor est, semper tamen auctuario maximóque fructu cumulata.

EXERCITIVM IV.

Pro Fer. IV. post Pentec.

Officium de S. Spiritu recitare, exemplo Alexandri Lusacij.

DE minori Officio Spiritûs S. loquor. Alexander Lusacius, qui æuo suo fuit pietatis cultu insignis, singulis septimanis semel ad præfixum diem illud recitabat. Potest id perfacilè quauis Feriâ IV. à quouis fieri, si quidem vnum in hebdomade diẽ pro veneratione Diuinæ huius Personæ plurium, quibus tali die hoc agere solenne est, exemplo decernat. Si illud sub

ſub re diuina perſolueretur, aliquid temporis ille redimeret, cui graue eſſet, dimidium inſuper quadrantem horæ Deo impendere, quíque metueret, ne juſto liberaliùs in preces tempus dilapidaret. Neminem ſanè pœnituit, tam ſanctam conſuetudinem tenuiſſe. Et quoniam in hoc argumento pietatis erga Spiritum S. verſamur, ac de minori eius Officio agimus, quod in Horis Concilij ad hunc vſum habetur, non omittam, rarum è Cælo beneficiũ percenſere, quod ante paucos menſes in nobilem quandam Virginem collatum eſt, ob eam potiſſimùm piam conſuetudinem, quam in ſæpe recitando, de quo loquor, officio tenuit. Hæc ergo puella in graui ſalutis ſuæ diſcrimine verſabatur, cuius exiguam ipſa rationem atque curam habuit; cùm eo morbo, quo ferè laborare nobiles puellæ ſolent, etiam ipſius animus teneretur; vt miraculo tribuendum ſit, eam inde conualuiſſe: & fuit omnino Spiritûs ſancti opus illud, vti mihi non

vanè

vanè perſuadeo. Quodam ergo die, cùm ipſa nihil minus cogitaret, humanarum rerum faſtidio corripitur; magno inſuper deſiderio Religioſæ vitæ impulſa: cùmque planè ſibi perſuaderet, hoc vitæ genus ſequi è re ſuâ fore; decreuit tam ſanctum conſilium maturare: quod tantâ ſimul contentione ac ſucceſſu effecit, vt parentibus tandem poſt varios conatus in ſuam ſententiam pertractis, intra menſem votorum ſuorum ſit compos facta: ita pro more Ordinis recepta, vehementer cupiebat cuipiam, cui poſſet animi ſui arcana detegere, ordine exponere, quidquid ſibi in toto, diuino ſeruitio ſe mancipandi, negotio eueniſſet: opportunè tunc illa in me incidebat, cui totam ſeriem explicaret: & quoniam prorſus exiſtimo, hæc magna beneficia, vt eſt, rebus fluxis valedicere, & ſi quæ ſunt huic paria, in eas mentes non ſolere profundi, quæ parùm ergà pietatem affectæ, mundi vanitates auidiùs ſectantur, niſi aut pio quopiam

opere

opere DEVM, aut peculiari cultu B. Virginem demereantur; pia me curiositas instigabat, ab eâ percontandi, ecquid demum boni foris vnquam præstitisset: eximia enim dona, quibus videbam illam diuinitus cumulatam, præsertim iniectum vitæ religosæ studium, quæ illam viuendi licentiam, miniméque idcirco tanto beneficio dignam, consequebantur, me inducebant, vt crederem, eam pium aliquod opus suscepisse, cuius rationem DEVS habuerit: illa verò mihi roganti aliud nihil respondit, quàm se, vtcunque cæteroqui in DEI obsequio fuisset frigida, moribúsque vixisset parùm integris, quotidie tamen Officium de S. Spiritu dixisse: quo dicto nihil ampliùs dubitaui, quin pro certo haberem, ei ad nomen religioni dandum iniectos stimulos, alióśque è cælo fauores paulò antè concessos à DEO fuisse, vt exilem piúmque laborem minus illud Officium recitandi remuneretur. Idem & ipsa sentit, serióque secum statuit, se, quamdiu viuet,

uet, tantum beneficium eiúsque auctorem Spiritum S. in amoribus perpetuò habituram. Nec deerant alia insuper argumenta, quæ fidem mihi facerent, eam pietatem hanc illi felicitatem peperisse: sed illa vetuit, quidquam præter ea, quæ modò significaui, à me publicari.

EXERCITIVM V.

Pro Fer. V. post Pentec.

Litanias de Spiritu S. recitare, aut considerare diuinas eius perfectiones, exemplo B. Catharinæ Raconisiæ.

QVI verbis paucis & per modum precantis cupit S. Spiritui laudes persoluere, eius tantummodo honori factas Litanias recitet, quæ facilè in Enchiridio similium exercitiorum occurrunt: diuinorum verò eiusmodi encomiorum maximè idoneum tempus hoc octiduo se offert: nec aliud est, eius Litanias percurrere, quàm simul-

mul & Spiritûs S. laudes percensere, & eundem precari, vt nobis diuinæ lucis suæ radium indulgeat. Si Litaniæ tibi desint, poteris horæ quadrantem in considerando Spiritûs sancti, specie linguarum ardentium in Apostolos, & occultâ ratione in nos quoque delabẽtis, aduentu insumere. Ita mentem B. Catharina Raconisia ex Ordine S. Dominici, festo & octiduo Pentecostes detinebat: quæ occupatio tantum illi emolumentum attulit, vt quodam eiuscemodi festo die Spiritus sanctus specie candidissimæ nubis ad eam descenderet: aliàs simili die post biennium, cùm secum ad Horam Tertiam in conclaui suo reputaret, quàm grande illud munus esset, SS. Apostolis post decem ab Ascensione Christi dies in allapsu tertiæ huius è SS. Triade Personæ concessum, cogitarétque idem beneficium etiamnum continuari, quando, vbi primùm aliqua rationis in animis nostris scintilla promicat, eiusmodi sumus donorum capaces, si intactam penes

nos primæuam innocentiam gratiámque Baptiſmi tueamur; Angeli duo ad eam inuiſerunt, S. Catharinâ Senenſi aliíjſque Diuis eos comitantibus, qui eam jubebant, ad copioſam Spiritûs ſancti gratiam recipiēdam, ſe idoneam efficere: eodem tempore viſum eſt cæleſti luce totum cubile illuſtrari; auditúſque ſonus vehemens, qui totam viciniam obſtupefecit: cúmque ipſa vellet oculos in altum leuare, vt obſeruaret, vndenam tantus ſplendor emicaret, ingens globus & ſeptenæ linguæ è diuino illo incendio emiſſæ in eius capite comparuêre; quæ linguæ, velut totidem ſagittæ, confeſtim ad eius cor penetrârunt. Ipſa verò ab effectu, & ſuauiſſimo animi amore languentis ſenſu abundè intellexit, Spiritum ſanctum ad ſe nouo inuento diuertiſſe: ſenſit enim ſe magno gratiæ & amoris diuini incremento auctam, vt propè præ languore ac deſiderio emoreretur, quòd occaſio illi deeſſet, in publicum prodeundi, ac IESV CHRISTI doctrinam

ctrinam Barbaris atque à verâ fide æquè ac nostris terris longissimè remotis prædicandi.

EXERCITIVM VI.

Pro Fer. VI. post Pentec.

Cogitatione & vocabulo Amoris Diuini piè affici, quandoquidem Spiritus sanctus est Amor Patris & Filij, exemplo Raymundi Lulli.

NON est mihi animus, Hagiophile, eò te inducere, vt per amorem DEI rogatus nihil deneges: hoc liberale decretum S. Francisci Seraphici fuit, qui concepto etiam voto se obligauit, nihil se hoc nomine postulanti negaturum: vnde accidit, vt, cùm quidam ex eius sanctâ familiâ ob viri Sancti venerationem cuperet illius veste vti, per amorem DEI poscenti quamprimùm factâ permutatione suam illi tunicam cederet. Hoc facinus vires tuas excedit: acquiescam in præsens, si

familiarem tibi hanc nobilem vocem Amoris, vt & cogitationem facias: nomen DEI nomen Amoris est. B. Iacoponus interrogatus quondam, cur tantam vim lacrimarum profunderet, *quòd amor non amaretur*, respondit. Hoc peculiare Spiritûs sancti nomen est, cùm Patris & Filij sit Amor, atque ideo dignus, qui nobis perpetuò in corde ac persæpe in ore versetur. Multorum animos & ora comperio ita esse hoc sensu imbuta, vt vehementi desiderio accendar, nihil animo, nihil ore nisi hunc amorem reuoluere, nulli nisi ipsi labores omnes consecrare. O quã præclarè Raymundus Lullus, ille tantus pietatis cultor, nos hîc erudijt! si quid ab eo rogaretur, jucundum illi ac vsitatum fuit, responsi loco Amoris nomen reponere, quod quauis occasione iterabat: si ab eo quæsijsses: cuius es? Amoris, respondisset: vnde venis? ab Amore: quò pergis? ad Amorem: quis te huc adduxit? Amor: vnde viuis? Amore: vbi habitas? in Amore:

totum

totum eius ac vnicum negotium erat, de Amore cogitare ac loqui: eos etiam vitâ indignos credebat, qui alio genere mortis, quàm amore obirent: si quē ęgrotantem vidisset finem vitæ facere, nullo gestientis animi indicio, quòd ei liceret ad suum Amorem hinc emigrare, non secùs ac maximæ rei jacturam, id deplorabat. Si litteras exararet, earum aliqua pars vocabulo solenni Amoris diuini dabatur: eos maximorum loco amicorum habebat, ac libentiùs adibat, qui de Amore loquebantur; ita quidem, vt, cùm vrbem quandam ingressus comperisset, mendicabulum quoddam adeò fixum in animo diuinum hunc amorem habere, vt præ consolatione perpetuò lacrimis maderet, illicò ad eum accurrerit, eiq; se socium lacrimarum adiungens, de amore suo sermonem institueret. Delectat vtique te hic amoris amor, quo vir sanctus suum amorem testabatur: sed S. Francisci exemplum non minus habet leporis; qui etsi adhuc ante institutum Or-

dinem foris degeret, per DEI amorem precanti nihil abnuebat: atque ex eo tempore incredibili gaudio demulcebatur, si vel solum Amoris Diuini nomen percepisset; vt pauperes, qui eum circumstabant, & pretiosæ illius tesseræ phrasin callebant, certi essent, se vacuos à Francisco non redituros: vnicũ duntaxat semel reiecit, etsi legitimâ esset obsecrandi formulâ vsus, quòd domesticis negotijs nimiùm quantùm, esset occupatus: à quibus vt se collegit, repulsæ illius memor, secum expendebat si Princeps aliquis ab eo rem quamcunque postulâsset, studio morem illi gerendi, omnia se fuisse depromptum; móxque in eum pauperem inquisiuit, cui reperto liberalem, stipem erogauit, veniam etiam precatus, quòd eum indonatum ad primas preces dimisisset. Vbi verò jam in Religione versabatur, eius amor ad Amoris mentionem multò auctiùs inualuit; eius preces, eius sermones mirè amorem spirabant: Domine! sæpius iterabat,

bat, absorbeat amore tui! moriar amore amoris tui! Fratres mei! suis dicebat, semper eleemosynam per DEI amorem petite; quam si accipitis, ne dubitetis, eius pretium esse jam largiēti persolutum, imò liberaliùs compensatum, quàm si totos argenti aceruos ei annumerâssetis: quid enim DEI Amore pretiosius, cuius amore ij à vobis ad pium opus excitantur, qui stipem vobis porrigunt?

Hagiophile, hi duo Amoris amantes tantum apud te poterunt, vt animū tuum permoueant, tibíque Amoris Diuini vocem inculcent, nihil hîc perdes; pro symbolo enim illud S. Bernardi vsurpabis: *Amor per omnia, omnia per Amorem*: quin magnum tibi lucrum accedet; quippe S. Ioannes Eleemosynarius olim recensuit, quotiescunque pro DEI amore aliquid expendisset, DEVM illi duplo plus reposuisse. Dein maiorem apud omnes gratiam inibis; si enim ad illa, quæ per DEI amorem fueris rogatus, annueris, paria tibi per

idem nomen obſecranti referentur: hanc felicitatem B. Victoria obtinuit, quæ audito Diuini Amoris nomine parata erat, quodlibet pium facinus aggredi; ſed viciſſim illa præſtari ſimilia cupiebat; hoc teſtatum cuidam ſuarum Monialium fecit, quæ admodum perturbata erat; cui Soror, inquiebat, per amorem DEI mentis quietem & ſanctam pacem denuo admitte: ſed cùm altera non deſineret turbas animo fouere, B. Victoria non aliud addidit, quàm, Soror, inquit, ſuſpicor, te ignorare, quid ſit DEI Amor; eius amore mihi obſequere: vbi itaque Monialis illa ſecum tam ſancta poſtulata accuratè perpendit, confeſtim priſtinam animi tranquillitatem recepit.

EXERCITIVM VII.

Pro Sab. poſt Pentec.

Approbare Baptiſmum, in quo primam Spiritûs ſancti gratiam accepimus, exemplo Margaritæ Arbuſiæ.

NON poſſum ſatis pro dignitate Margaritæ à S. Gertrude Antiſtitæ

ſtitæ in Valle Gratiæ conſilium laudare: illa ter quot annis Baptiſmum ſuum renouabat, ſolita eiurare aut approbare, quidquid eo die, quo fuit ſalutis fonte abluta, ritu Eccleſiæ infans rogabatur. Ex illis temporibus aliud fuit Sabbathi ſancti, quoniam eo die ſacræ Baptiſmatis vndæ renouantur; aliud Pentecoſtes, vt deſiderium ſuum teſtaretur, quo flagrabat, Spiritûs ſancti Baptiſmo ſe perfundi, qui animæ eius poſſeſſiōem eo die adijt, quo fuit Chriſtianorum numero per piaculares aquas accenſa; tertium diem delegit S. Margaritæ ſacrum, cuius nomine ſibi per luſtrales vndas attributo gaudebat: hoc triduo à negotijs & conſuetudine cæterarum ſe ſubducebat, vt ſibi ſoli & ſancto huic exercitio vacaret, vbi gratias Deo de beneficijs in eo Sacramento acceptis agebat, ac memoriâ illa omnia repetebat, quæ olim Patrinus loco ſuo reſpondit; dein promiſſa quoque vitæ æternæ ſibi à Deo tunc facta, ſi quidem in fide ac obſe-

quio persisteret, recolebat, aliáque, quæ in hac sacrâ regeneratione adhiberi consueuerunt.

Hagiophile, legere duntaxat, aut legentem audire oporteret, quæ Sacerdos in Baptismo infantum obseruat, vt pio animi assensu ratum haberes, quidquid tecum in Batptismo actum est. Vtile erit, hîc summatim ea proponere, quæ considerandi, respondendíque ad illa materiam tibi dabunt, in quibus olim expendendis ac affirmandis Patrinus vices tuas obijt.

Quando itaque fuisti ad templum, inter obstetricis brachia deportatus, Sacerdos eo nomine, quod tibi erat imponendum, te priùs compellatum, interrogauit his verbis: *Quid petis ab Ecclesiâ Dei?* vbi loco tuo Patrinus respondit: *Fidem*: iterum Sacerdos: *Fides quid præstat?* cui Patrinus: *vitã æternam*: tum Sacerdos ita fuit orsus: *Si igitur vis ad vitam ingredi, serua mandata: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota animâ tuâ, & ex totâ*

mente

mente tuâ, & proximum tuum, sicut teipsum. Quo dicto Sacerdos ter in faciem tuam emisso leniter halitu, circum te diabolum abegit, *Exi*, inquiens, *ab eâ immunde Spiritus, & da locum Spiritui sancto Paraclito.* Inde pollice in fronte ac pectore tuo efformatâ Cruce ita te fuit allocutus: *Accipe signum Crucis tam in fronte, quàm in corde, sume fidem cælestium præceptorum, & talis esto moribus, vt templum Dei jam esse possis.* His peractis sacrati salis aliquãtum ori tuo immisit, addens: *Accipe salem sapientiæ, propitiatio sit tibi in vitam æternam, Amẽ.* Paulò pòst Sacerdos jussit te templo inferri, datâ ingrediendi facultate hisce verbis: *Ingredere in templum Dei, vt habeas partem cum Christo in vitam æternam, Amen.* Secutæ sunt exinde omnes hæ interrogationes, quibus tuo loco Patrinus ordine respondit: *Abrenuntias Satanæ? abrenuntio: & omnibus operibus eius? abrenuntio: & omnibus pompis eius? abrenuntio.* Postquam verò te Oleo Catechumenorum inunxit,

ductâ ſupra pectus & humeros Cruce, alia ex te quæſiuit: *Credis in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cæli & terræ? Credo: Credis in IESVM CHRISTVM Filium eius vnicum Dominum noſtrum natum & paſſum? Credo: Credis in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorū, carnis reſurrectionem, vitam æternam? Credo. Vis baptizari? volo.* Poſt peracta à fideiuſſore tuo hæc omnia reſponſa, Sacerdos ter in modum Crucis aquâ piaculari ſuper caput effusâ Baptiſmi Sacramento te his verbis initiauit: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritûs ſancti:* ac mox capiti candidum è lino amiculū, ceu albam tunicam impoſuit, ita te alloquens: *Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri IESV CHRISTI, vt habeas vitam æternam, Amen.* Expletis hiſce ritibus manui tuæ ardentem cereum inſeruit, hæc adiungens: *Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi*

ſtodi Baptiſmum tuum, ſerua Dei mandata; vt cùm Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei vnâ cum omnibus Sanctis in aulâ cæleſti, habeáſque vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum. Amen. Denique Sacerdos recenti nomine ita te compellauit; *N. vade in pace, & Dominus ſit tecum. Amen.*

En! Hagiophile, modum, quo Baptiſmum ſuſcepiſti, fruere hodie conſolatione iſtâ, ac exemplo ſanctæ huius Antiſtitæ renoua, ratáſq; habe omnes has tam pias aſſeuerationes: rituum illorum ſingulis aliquantùm immorare, ac recordatus, quid tunc fuiſſes reſpõſurus, ſi fuiſſes rationis vſu præditus, eadem prorſus in tuo conclaui reſpondere memineris: expende, quæ alij pro te promiſſa fecerint: conſidera beneficium, quo tibi ad Chriſti fidem & domum Dei aditus patet; quod eſt beneficium Orbis totius imperio præſtantius; quemadmodum S. Antonius Cõſtantino Imperatori demonſtrabat: denique SS. Ttinitati infimas gratias ob

incomparabilem gratiam age, quâ sacræ Natiuitatis die te affecit: non enim te fugiet, quamlibet è tribus Diuinis Personis admiranda in illius animo efficere, qui lustrali fonte ablutus est: Pater enim in filium ac Cæli hæredem adoptat, atque in suam fidem recipit: Filius pro fratre & cohærede admittit, ei fructus & merita suæ Mortis indulget, pro discipulo & charo amico acceptat: Spiritus sanctus animam sibi despondet, eámque virtutibus diuinis ac magnis dotibus instruit: SS. Trinitas pro suo templo & domicilio deligit, ad illum eâ voluntate ingressa, vt illic perpetuò per nexum amoris nunquam violandi versetur, ad eum ferè modum, quo diuinę tres Personæ vnam simul naturam constituunt.

CAPVT



CAPVT VII.

QVATVOR PIETATIS EXERCITIA ERGA SS. TRINITATEM, pro festo Eiusdem die, ac sequenti triduo, vsque ad Festum Corporis Christi.

EXERCITIVM I.

Pro Festo SS. Trinitatis.

Piè ac sæpe repetere: Gloria Patri, &c. *exemplo Venerabilis Bedæ.*



AGIOPHILE, nullus dubito, quin magno studio in cultum SS. TRINITATIS feraris: ad quid enim pietas tua, si in hoc ineffabili mysterio, vnde tibi omnium bonorum origo, deficiat? Ob hanc causam, nihil aliud præfatus, statim in limine ad breue sed cæleste carmen, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.*

Ela, &c. te inuito. Hoc est illarum laudum compendium, quæ huic adorandæ Trinitati debentur: hoc ardens in se gloriæ illius desiderium complectitur: hic est Angelici concentûs intercalaris versus; quippe S. Ignatius Martyr Antiochenus die quadam precibus intentus, cælestem Angelorũ symphoniam audiuit, qui alternis Psalmos nonnullos canentes, ad eorum finem subiunxêre: *Gloria Patri, &c.* vnde postea occasionem sumpsit Damasus Papa, eam consuetudinem in totam Ecclesiam introducendi: hæc est epitome primæ & præcipuæ partis è Summâ D. Thomæ, omniúmq; illorum, quæ profundissimi Theologi de his tribus Diuinis Personis tradiderunt: hic est Fidei actus paucis verbis exactè comprehensus, quo Vnitatem Naturæ, & Triadem Personarum profitemur nos in admirabili illo Mysterio venerari: hoc est breue illud memoriæ pensum, quo SS. trium Personarum sacrosancta nomina docemur; hæc est fax illa diuina, quæ

nos

nos illustret, ne quid in illis inæquale fingamus, discamúsque, quòd prima, secunda, & tertia vocetur, non aliud quàm ordinem originis innuere: hæc est postremò grata mentis occupatio. Venerabilis Beda, inter alios, ita hoc cantico delectabatur, tantúmque eius vsum nactus erat, vt cùm animam ageret, hæc postrema illi cantilena esset.

Hæc me monent, vt te adhorter, ad sanctum eius vsum inducendum; siue Angelorũ olim exemplo aut ad finem Psalmorum, aut per modum aspirationis piæ illis verbis religiosè vtaris; siue illa ad Rosarium, quod SS. Trinitatis appellatur, admetiaris: constat illud tribus decadibus; ad Crucem Symbolum Apostolorum recitatur, ad maiora grana: *Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula*: ad minores orbiculos: *Gloria Patri, &c.* a congruum eius dicendi tempus in omnes anni totius Dominicas dies cadit; illi enim dies

a *Ex Corn. à Lapide in Isaiam.*

dies à pluribus pietatis studiosis sunt ad simul honorandas illas Diuinas Personas delecti.

Atque hoc pium diei maximè venerandi exercitium tibi committo, vt posthac in animum certò inducas, maximi omnino reuerentiam pietatémque aduersus hoc diuinum mysterium esse faciendum; & oraculi loco habeas, eum, qui SS. Trinitati est deuotus, jus in cælestia dona obtinere. Diuione an. 1616 Sanctimonialis Carmelitana obijt, ei mysterio valdè addicta, à quo nomen quoque mutuata, Maria à SS. Trinitate dicebatur: ac illo ipso die ex hac vitâ ad cælum emigrauit. Hanc tu sententiam vt indubitatam amplexus, sæpius animo eam ipsam reuolue: illa studium in te erga breue hoc canticum accendet, quod isto loco proposui: actus fidei, amoris, ac reuerentiæ erga Augustissimum Mysterium subministrabit: & tandem ad vitæ tuæ finem de te verissimè pronuntiari poterit, quod de quouis dici solet, cùm in ago-

ne

ne constitutus Deo commendatur; *licet enim peccauerit, tamen Patrem & Filium, & Spiritum sanctum non negauit, sed credidit*: si contingeret, me tibi morienti adesse, adiungerem: *& coluit, & amauit.*

EXERCITIVM II.

Pro Fer. II. post SS. Trinit.

Officium de SS. Trinitate recitare, aut de illâ cogitare, & frequenter adorare, exemplo gloriosi Martyris Gonsalui Syluería è Societate IESV.

HAGIOPHILE, si Officium de SS. Trinitate domi tuæ est, nullum aptius illud recitandi tempus ac hodiernum nactus es. Si verò eodem careas; supersunt frequentes cogitationes, considerationes, adorationes de SS. illo Mysterio instituendæ, quas attexo, futuras non minoris apud DEVM pretij, quàm Officium foret, eas verò simul coniunxi, quod eodem tempore

pore ſimul quoque à nobis exerceri queant.

Ad adorationes quod attinet, nonnunquam certum tibi numerum pro diuino penſo iniunge. Gonſaluus Sylueria Monomotapæ glorioſâ pro Christo morte peremptus, è Societate noſtrâ, piæ relaxationis loco habuit, ijs vacare. Sed caue, ne tantum audeas, quantum illi ſibi impoſuêre, qui eo Goanum Collegium gubernante, ſingulari ardore in pietatis ſtudium incubuêre; è quibus vnus intra vnum diem decies millies SS. Trinitatem adorauit. Tam laudabili prouocatione piáque Religioſorum iuuenum contentione, quâ inter ſe de victoriâ certabant, Rector pijſſimus admodum gauiſus, eorũ pietatem religioſis munuſculis ac piâ remuneratione fouebat. Si ſtimulo quopiam maiori te vis eò incitare, vt eas adorationes ſeu flexis genibus, ſeu demiſſo capite, ſeu ad ſingulas ſubmiſſo reuerentiæ causâ genu, ſeu alio modo ſanctè obeas, B. Magdalenæ de

Paz-

Pazzis argumento vtere: illa enim quotidie manè SS. Trinitatem adorabat, gratóque animo prosequebatur, tot Idololatrarum & infidelium loco, qui toto Orbe sparsi nullum illi vnquam honorem habent: tu, si lubet, adde, pro ijs etiam te laborare, qui parùm illi aut penitùs non sunt deuoti.

Verùm quoniam hæ adorationes non sunt piarum cogitationum ac meditationum expertes, nihil de his seorsim dicam: satis est, te doceri, Deum reuerenti cogitatione ac frequenti cõsideratione summi illius Mysterij delectari, tunc maximè, si quis in eius cultu etiam amorem illius profiteatur. S. Edmundus Archiepiscopus Mathematicis studijs se oblectabat; hisce omnes cogitationes & tempus propè immodicè dicabat: ita quodam die penitùs curiosâ inuestigatione abreptus matrem vidit, magnâ sanctitatis famâ nuper mortuam, quæ arreptâ eius manu duos ei digitos in circini modum diduxit, ac tres in mensâ orbes fecit, ad quo-

quorum primum adiunxit, Pater, ad secundum, Filius, ad tertium, Spiritus sanctus: neque necesse fuit, alijs eum rationibus ad SS. Trinitatis venerationem inducere, vt secum decerneret, sæpe illius se memorem fore, vt cuius studium omnibus Mathematicorum inuentis præstet.

EXERCITIVM III.

Pro Fer. III. post SS. Trinit.

Frequenter SS. Trinitatem inuocare, aut dum Litania de illâ recitantur, aut sacrum votiuum de eadem dicitur, aut alio quouis modo, exemplo Annæ à S. Bartholomæo.

VBI aut magni momenti negotia vrgent, aut gratiæ à Christianis DEO aguntur ob felices rerum successus; vsu receptum est, votiuum Sacrum de SS. Trinitate facere: quæ vna est ex ijs rationibus admodum pia, quibus Augustissimæ tres illæ Personæ inuo-

inuocantur: ita legimus, quosdam S. Mechtildis amicos curâsse in SS. Trinitatis honorem totidem sacra peragi, quot annos illa vixit; siue vt ita illius defectus supplerent, siue vt ob præstita eidem beneficia grati essent. a

Ille quoq; modus ad implorandam SS. Trinitatis opem idoneus est, si quis Litanias eidem sacras recitet, quæ in Enchiridio precum huius temporis habentur, & à multis quauis Dominicâ dicuntur. Sed maximè expeditus ille modus est, cuius exemplar Venerabilis Antistita Anna à S. Bartholomæo, Carmelitana nobis reliquit, vt videlicet sæpe in rebus præsertim arduis SS. Trinitatem inuoces, eámque supplex roges, velit in quauis necessitate tibi præstò esse. De illâ hoc imprimis in eius vitâ memorandum legitur: cùm adhuc foris degeret, jámque meditaretur, desertâ patriâ & amicorum grege, Carmelitano se Ordini adiungere: domum vnà cum comite è campis redeun-

a *Lib. 5. gratiæ cap. 16.*

deunti tam horrendum monstrum se videndum præbuit, vt præ terrore exanimis in terram vtraque sit collapsa; vbi Anna illas tantùm à se voces obtinuit: S. Trinitas auxiliare nobis! inde cùm ad se fuissent sensim reuersæ, & aliquantulùm sibi restitutæ, viarum incertæ, appetente jam nocte, iter ad pagum desperârunt. Sed SS. Trinitas, cuius opem Anna implorabat, tribus viatoribus candido habitu indutis, qui illas anteibant, ceu casu illac euntibus illarum formidini consuluit: hos illæ insecutæ, interim inter se diuinabant, quinam illi viatores essent: neq; enim, inquiebant, pastores hi sunt, qui domũ repetunt; habitus enim est ab illorum conditione alienus. At vbi non procùl à domo aberant, ecce tibi! momento tres illi viæ duces euanuêre: nec Annæ alia cogitatio in mentem venit, quàm tres istas Personas è SS. Trinitate fuisse, quas in auxilium euocâssent, aut certè tres Angelos illarum loco eò submissos.

EXER-

EXERCITIVM IV.

Pro Fer. IV. post SS. Trinit.

Pias & bonas actiones omnes ternario numero in honorem SS. Trinitatis peragere, exemplo P. Francisci Folliani è Societate IESV.

MVLTO sermone opus esset, si vellem de numeri ternarij præstantiâ ac diuino Numinis delectu loqui, quo numerum hunc omnibus alijs antetulit. Iuxta hunc enim calculum agendum mihi differendúmque de tribus Hierarchijs esset; de tribus cuiusuis Hierarchiæ ordinibus; de triplici Lege, naturæ, Moysis, & Gratiæ; de tribus Regibus stellam ducem sequentibus; de tribus Pastoribus Angelico concentu ad IESV Infantis præsepe inuitatis; de tertio S. Pauli Cælo, ad quod fuit raptus; de tribus Ecclesijs, Militante, Purgante, & Triumphante; & de pluribus alijs huius generis argu-

mentis. Hæc omnia præfixum à me scopum excedunt: mihi enim nõ aliud est propositum, quàm vt tibi, Hagiophile, ostendam, sanctas animas pro Augustissimæ Trinitatis honore numerum hunc certis pietatis exercitijs, hoc ipso numero definitis, veneratos fuisse atque sectatos. Ipsa DEI Mater quondam ita S. Mechtildem instituit: *a* hæc enim curiosè semper modos inquirebat, sanctam mortem obeundi; cui Dei Parens hoc aliquando consiliũ suggessit: Filia, dicebat, ter quotidie in hunc finem mihi dic: *Aue MARIA! &c.* ad primam salutatiõem in memoriam mihi Patrem reuoca, ad secundam Filium, ad tertiam Spiritum sanctum; méque per illas gratias, quas ab his tribus Diuinis Personis accepi, obtestare. Sed neque hoc exemplar est, quod mihi modò præfixi: illud autem P. Francisci Folliani è Societate nostrâ volo, qui suo æuo in colendâ SS. Trinitate admirandus fuit. Si nomen SS. Trinitatis ei exarandum fuit, seu studeret, seu

a *Lib. 1. gratiæ.*

ſeu aliâ de causâ calamo vteretur, flexis genibus id ſcribebat: ſi inter comeandum imago ei SS. Triadis occurreret, in genua prouolutus eam adorabat, etſi in mediâ plateâ verſaretur: ſi cum proximo agebat, ſemper omnes allaborabat ad idem ſtudium perducere. At, quod eſt maiori admiratione dignum, omnia bona opera & corporis animique afflictationes triplici numero peragebat: cupiditates ternariâ victoriâ ſubegit: Venerabile Sacramentum ter viſitauit: res nulla illi adeò fuit accepta, quàm tribus omnino vicibus, aut modis diſtincta; tantopere mens eius erat in Diuinarum trium Perſonarum cultum propenſa. Roſarium illi erat in tres decades diſtributum, quæ tribus coloribus albo, cæruleo, & rubro erant diuerſæ. Erat fortè Romæ, vbi diu morabatur, cubiculum, quod quia tribus muris in tres fuit angulos compreſſum, tantum apud Superiores effecit, vt eius vſui fuerit conceſſum. Deníque credi nō poteſt, quot magnis

eiuſmodi documĕtis, ſupremis triginta vitę annis, ſanctum ardorem prodiderit, vt omnia pro honore huius ternarij numeri conferret, ad hanc, quam tanto amore prenſabat, diuinam Triadem, debito honore afficiendam. Fortaſſis ſanctum D. Barbaræ V. M. morem tenuit, quæ à parente ſuo interrogata, cur, cùm juſſa fuiſſet duas tantùm feneſtras ædificio ſuo inſerere, illa nihilominus tres aperuiſſet, reſpondit, ſe in honorem SS. Trinitatis id egiſſe: quo reſponſo pater eius, qui erat Chriſtianæ Religionis expers, ita fuit offenſus, vt vitæ illam juberet, aut Chriſto valedicere: ſed pater ſibi ipſi plùs nocuit; cùm interim eâ morte, quam pater crudelis illi intulit, filia glorioſam Martyrij coronam ſit adepta.

Ignoro equidem, num S. Clara de Monte Falconis ex Ordine S. Auguſtini actiones ſuas ternario diſtinxerit, eo numero SS. Trinitatem veneratura; hoc tamen mihi certum eſt, pro eâ, quâ in SS. Trinitatem propendebat, pietate,

te, post eius mortem prope cor tres paruos ac solidos globos fuisse repertos, nucis auellanæ magnitudine, nullo euidenti colore tinctos, vt potiùs ex omnium permixtione colorum confusè aspersi viderentur; quod symbolum quoddam SS. Trinitatis erat, vt & tres globi; qui cùm ad libellam in coronâ plurium fide dignorum hominum examinati fuissent, æquale singulis ac omnibus pondus inerat, vt eadem grauitas vnius esset, quæ duorum aut trium; & vicissim trium pondus, vnius ac duorum æquaret.



CAPVT VIII.

OCTO PIETATIS EXERCITIA ERGA VENERABILE SACRAMENTVM, pro Eius Festo & Octauâ.

EXERCITIVM I.

Pro Festo Corporis Christi.

Interesse Supplicationibus in honorem Venerabilis Sacramenti institutis; aut de adorando illo Mysterio loqui, exemplo B. Victoriæ.



NNA Santonica, Vrsulinæ familiæ decus, Festum & Octauam Corporis Christi, messem virtutum dictitabat; quòd piè credi possit, eo tempore DEVM SS. Corporis sui amantes liberalibus donis cumulare, aut quòd ijdem studiosiùs

quàm

quàm vnquam virtutum ſtudio ſe addicant.

Vndecunque hoc fiat, percupio, Hagiophile, vt hoc octiduo ſanctam meſſem & annonam bonorum operum colligas. A Supplicationibus publicis, quæ hoc die per omnes Orbis Chriſtiani vrbes inſtituuntur, initium duco; quibus te jubeo cum cæteris adeſſe, vt Magiſtro ac Domino tuo debitam reuerẽtiam, ſanctitatem, ac pietatem exhibeas. Per reuerentiam autem, modeſtam oris compoſitionem, ac decẽtem inceſſum in comitatu ſupremi huius Monarchæ intelligo: quâ in re ſummos viros ſępe videmus maximè accuratos. Franciſcus I. Galliæ Rex anno 1533. Pariſijs ſplendidam juſſit ſupplicationem adornari, ad propugnandum Venerabilis Sacramenti honorem, qui eo tempore impiorum hominum operâ euiluerat, famoſis libellis paſſim ſparſis, ſacrilegè Auguſtiſſimum Sacramentum proſcindentium: ipſe pedes intererat, per præcipuas vrbis plateas nu-

dato capite, ſumpto in manus cereó, religioſo ſilentio precibus intentus; cuius exemplum Regina, totáque Aula, quæ è Principibus viris ac feminis Regníque magnatibus conſtabat, ſecuta eſt. Ita decet ſupplicationes omnes, & has imprimis, de quibus hîc agimus, frequentare. Alius è præcipuis Regibus pio admodum reſponſo, quod hoc Feſto Corporis Chriſti die Medico ſuo dedit, orbis famam & ora promeruit: cùm enim ſupplex agmen pius hic Princeps nudo capite per medios ſolis accenſi calores, qui rectà eum petebant, proſequeretur, Medicus eum admonere auſus eſt, ſi pergeret aperto capite diutiùs incedere, Solem illi valetudinis periculum creaturum: at Rex, mitte timorem, inquit, ſol ille, qui in Cælo ardet, nihil incommodi poteſt illi afferre, qui hunc diuinum adorat. Per ſanctitatem ſignifico, huc magnam conſcientiæ puritatem, abſque lethali noxâ, ſi fieri poſſit, afferendam eſſe: cùm indecens admodum ſit, Princi-

pem

pem nitoris studiosum in sordidâ veste & odio Principis comitari. Quo loco non possum dissimulare, quin eos perstringam, qui tam sacro die per speciem festum apparatum adornandi, nõ verentur compotationibus, intemperantiâ & prætextatis colloquijs, aut etiam contemptu rei diuinæ illo ipso tempore DEVM offendere, quo videri cupiunt, eius honori studere: quod est, eodem tempore eundem & honore & iniuriâ afficere. Et hoc adeò certum est, vt ipse in præcipuis vrbibus fuerim, vbi minimùm tria, aut quatuor hominum millia sacrificium diuinum neglexerint, eo prætextu, velut interim ornandum corpus, concinnanda pia supellex, corpori aptanda vestimenta, cogendi cætus essent, vt præstitutum ad locum confluentes inde supplicationi se adiungant. Addidi, incedendum quoque cùm pietate esse: nihil enim tam est indecorum, quàm nihil pietatis in illis animaduertere, qui non aliud deberent quàm mode-

ſtiam & animum præſentem ſpirare. Porrò conſtat, nonnunquam loco pietatis inanem garritum, loco humilitatis vanitatem, loco modeſtiæ inſolentiam graſſari.

Cæterùm vſuuenit, Hagiophile, vt aut morbo aut religioſo clauſtro, aut aliâ ratione detinearis, quo minùs poſſis tam piam pompam comitari: age igitur, conare huic honori, quem præſtare IESV CHRISTO nequis, aliud pium opus ac honoris genus ſubſtituere: de hoc eius incomparabili beneficio ſermonem inſtitue, quòd noſtri amore ſub adorandis hiſce ſpeciebus deliteſcat; de gloriâ, quæ ab vniuerſo Chriſtiano orbe illi hodie fuit delata; de eximijs miraculis in hoc Angelorum Pane elucentibus. Aderis etiam concioni, quæ de hoc argumento tractabit; atq; inde colloquendi thema mutuaberis: loquere igitur de diuino animarum noſtrarum amatore, qui inſtar perditè amantis obire atque prenſare ædium noſtrarum fores voluit. B. Victoria

ctoria

ctoria tam hoc, quàm alijs diebus eiusmodi sermonibus oblectabatur, in quibus quidquid de illo potuit præclarum dici, in medium attulit; eum mille laudibus, mille liberalibus encomijs ornabat; Venerabile Sacramentum suas opes, suum thesaurum vocitabat; atque cum suis Monialibus collocuta Religiosorum hominum felicitatem prædicabat, qui id in suis domibus haberent, vbi adire, colere & adorare quauis horâ possent. Eosdem sermones B. Aloysius Gonzaga in delicijs habuit; pridie præsertim quàm SS. Eucharistiam sumeret, tanto animi sensu de illo colloquebatur, vt alij datâ operâ idcirco ei se adiungerent, vt cum eo agerent, ac disserentem de tam vtili argumento tanto mentis calore audirent. Vtinam imposterum familiaria gratáque tibi huiusmodi colloquia forent!

EXERCITIVM II.

Pro Fer. VI. post Festum Corporis Christi.

Frequenter Venerabile Sacramentum visitare, exemplo B. Magdalenæ de Pazzis.

TOTVS rubore perfundor, quoties considero, quâ contentione Aularum asseclæ allaborent in suorum Principum conspectum venire, illos salutare, ad illorum colloquiũ admitti, eorum lateri vicini esse: cùm interim permulti Christianorum tam parùm solliciti sint, officiosâ præsentiâ Regem gloriæ demereri, qui legitimus illorum Princeps coràm in Venerabili Sacramento dies noctésque versatur; hoc eius tentorium, conclaue atque palatium est: & nihilominus à paucis admodum inuisitur & salutatur; pauci alloqui & adorare illum solent. Si breui itinere possent terram illam contingere, quam IESVS olim peram-

perambulabat; fluuium, in quo fuit aquis à S. Ioanne tinctus; atrium, vbi lata in eum mortis sententia fuit; intueri spinas, quibus fuit coronatus; frustillum Ligni è S. Cruce conspicere; præ desiderio æstuarent, illuc festinandi: & tamen vt Dominum suum, etsi maximè vicinum, & paucis passibus adeundum accedant, insuper habent, ac desidiâ incredibili maiori ex parte laborant.

Veruntamen, Deo, quem in Aris veneramur, sint laudes, multi hodie sunt IESV amantes, qui reuerenter illi adstant, eum sæpe adeunt, omnésque occasiones captant, quas possunt, ei colloquendi, honorémque exhibendi. Thomas Sanchez è Societate nostrâ vir pius quotidie quinquies, Feriâ autem V. octies id ei officium præstabat. Ioannes Berckmannus eiusdem Societatis, quinquies, sexties, septiésue idem per diem faciebat. B. Magdalena de Pazzis trigesies illuc itabat, eum numerum à Christo, inter alia perfectionis

obtinendæ documenta, obſeruare juſſa. Cardinalis Bellarminus adhuc ſtudioſus ante initam Societatem, quoties duo templa, quæ ad Collegium eunti occurrebant, tranſiret, illuc ad ſalutandum DEI Filium diuertebat. B. Franciſcus ab Infante IESV ſi templum aliquod præteriret, in illud precandi animo aliquantiſper ſeceſſit, dicere ſolitus, inurbanum eſſe, ſi quis fores amici prætergreſſus, nullam ei ſalutem diceret. P. Iacobus Saleſius è Societate noſtrâ Albonaci Fidei causâ interemptus, quoties jubebatur ad portam deſcendere, quod perſæpe fiebat quotidie, aut domum obiret; in itu & reditu prope templi Odeum, vnde potuit SS. Euchariſtiæ receptaculum videre, ſemper eò accedebat, vt ſuas illic preces & adorationes perageret: quin obſeruatum eſt, vix interdiu horam fuiſſe elapſam, quâ non eâ viſitatione defungeretur. Neque gratis hanc viam ſuſcepit; ſed tam feliciter hæc illi vrbanitas ceſſit, vt pro veritate viuáq; Cor-

poris

poris Christi in SS. Eucharistiâ præsentiâ propugnandâ moriendi gratiam sit consecutus. Maria Amata ex Ordine Visitationis B. V. templum prætergressa nunquam omisit Christo diuinum debitúmque cultum præstare: solebat insuper ita in occasionem eius esse intenta, vt vltrò citróque domum obambulando, studio, si posset, à viâ deflecteret, quò facultas ei esset chorum accedendi, atque inibi Sponsum suum salutandi.

Magna me admiratio tenet, studium tam piarum mentium cogitantem, quo toties nitebantur debitis obsequijs IESVM afficere: & quantò accuratiùs mecum perpendo, tantò magis abripior, sempérque reperio, quod ampliùs admirer: hi mihi videntur Heliotropijs persimiles, quæ vbique Soli se obuertunt, illíque, quâ fieri potest, ratione cupiunt vicini esse. B. Victoria si semel in conspectum Venerabilis Sacramenti propiùs venisset, non poterat sponte discedere, aut à suis inde facilè auelli.

li. B. Franciſcus Borgias, præterquam quòd omnia templa in obuijs, quà trāſibat, plateis ingrederetur, dabat operam, vt cubiculum eius eſſet templi Choro vicinum. S. Franciſcus Xauerius itidem proximè templum, quàm potuit, diuertebat, & in ſacrario dormiebat: inde faciliori operâ ad maius Altare proreptans longis precibus vacauit; vbi ſi fuiſſet à ſomno, aut laſſitudine oppreſſus, ad gradus eiuſdem Aræ ſe ante Chriſtum in Euchariſtiâ præſentem abiecit, & veniam præfatus, aliquantum ſomni admiſit. Marchio de Feriâ vidua non ampliùs viginti quatuor annos nata, cùm in S. Claræ Ordinem adſcripta non poſſet ad templum atque inde propiùs ad Aram deſcendere, paruum cubiculum habitabat, per cuius feneſtellam proſpectus ei ad Maius Altare patuit; ad quam plerumque morabatur, vt eum locum intueretur, quem incoleret ille, cui per vitæ reliquum ſe deſpondiſſet, atque inibi aſſiduè poſſet precibus indulgere.

re. Maria Diazia, de quâ suprà egimus, plus quàm Religiosa hæc vidua ausa est: Episcopi enim eius loci permissu Auilæ in suggestu templi S. Æmiliani habitabat, vbi clausa perpetuò coram Venerabili Sacramento ad votum suum excubabat: ac pluribus annis inde nunquam fuit progressa, nisi cùm ad peragendam confessionem, ac recipiẽdam SS. Synaxin prodijt, Christum illic latentem solita suum vicinum vocare, quòd domicilium incoleret ei tam propinquum. Non est obliuione mihi prætereundum, quod P. Petro Fabro, primo S. Ignatij Socio in vsu fuit: is vbi ad vrbem aut pagum fuerat delatus, omnium primò Venerabile Sacramentum accedebat; huc itabat priùs, quàm diuersorium aut locum quemuis alium peteret. P. Ioannes à S. Guilielmo è S. Augustini familiâ hunc quoque pium morem tenuit, cui tam cõstanter insistebat, vt sæpe à magni nominis viris rogatus, vellet apud se aliquantisper respirandi causâ di-

uer-

uertere, ac tum suæ pietati obsequeretur, nunquam se dimoueri à sententiâ sit passus, illis Euangelij verbis pro responso vsus: *Quærite primùm Regnum Dei*: a Christum quoque, cùm Ierosolymam ingrederetur, priùs templũ fuisse ingressum, vt cælestem Patrem adoraret. Ergo ad templum properabat, ac genibus nixus coràm SS. Sacramento integrâ nonnunquam horâ perdurabat; & sæpe accidit, vt toto itinere pluuio cælo vsus, vbi fuit à templo & precibus regressus, siccas omnino vestes efferret, ne pauimento quidem, vbi flectebat, humoris defluentis vestigium retinente; licet comes illius ac locus, quem precaturus occupabat, adhuc probè maderet. Superest, vt addamus, B. Stanislao adhuc adolescenti, antequam Societatis nostræ tirocinium adijsset: visum fuisse, infelicem sibi eum diem fore, quo Christum in templo salutare eique matutinum Aue dicere neglexisset: noctu quoque priùs ad lectum non concedebat, quàm Eidem

a *Matth.* 6.

dem vale ante somnum dixisset. Quæ res in memoriam eos mihi reuocat, qui tali occasione destituti, domi suæ manè ac vespere versus templum aliquod, vbi SS. Sacramentum asseruatur, se vertunt, quem, adoratione peractâ salutare & valere jubent; veluti eo Aue & Vale innuerent, velle se ab omnibus rebus creatis illum diligi, coli, ei seruiri, ac nunquam eâ nocte, vel die offendi: quod exercitium est plenum consolationis, ijs præsertim, qui occasionem sunt nacti, templum adeundi, ac in propinquo Christum salutandi.

Hagiophile, ad te redeo, méq; apud te purgo, quòd eum tibi catalogum sanctarum mentium ac diuersarum inuentionum pertexuerim, quas illę ipsæ ad ritè compellandum Principem suum excogitârunt. Omnia propè in medium attuli, quæ mihi occurrêre, vt & copiam tibi ad vices alternandas suppeditarem, & desiderium tibi inijcerem, si quidem vitæ conditio ferat, modò hanc, modò istam ratiōem imitandi:

tandi: quod ego plerumque ſpecto, vt ſemel ſaltem in anno, aut certè totâ vitâ omnis generis honores Chriſto exhibeas; quibus ſancti ac ſerui DEI eundem ſunt proſecuti. Neq; idcirco impedieris, quò minùs ſtata tua exercitia ſingularium propoſitorum poſſis obire; vt eſſent, quotidie ter aut quinquies SS. Sacramentum adire, Feriâ V. qualibet octies, hodie vigeſies aut trigeſies alióue huius Octauæ die ſalutare. Iam dixi, quinam tibi exempla reliquerint: atque ideò finem hîc facio, eo maximè gaudio ac ſolatio perfuſus, quòd videam, Heliotropia nunquam tanto ſtudio, amore atque conſtantiâ ſolem ſuum ſequi; quanto ardore IESV amantes ſolem Iuſtitiæ in SS. Sacramento ſequuntur & amant.

Flores adorant vertice
Hiante Solis Orbem:
Summóque rapti lumine,
Vertuntur ad trahentem.
Sol Chriſte! mentes allicis.
Paruo videndus Orbe:

In

In quo tamen Tu maximus,
Es maior Orbe magno.

EXERCITIVM III.

Pro Sab. post Festum Corporis Christi.

Peculiari cultu & affectu Venerabile Sacramentum prosequi, dum est in templo, aut aliâ occasione expositum, exemplo P. Balthasaris Aluarez è Societate IESV.

NON video, cur tot IESV amatores tantoperè se excrucient, quòd eum intueri coràm nequeant; quandoquidem id priùs fieri non potest, quàm ad æterna gaudia admittamur: an non satìs, imò multum est, eum nunc in hoc nostro exilio byssino contectum contemplari? quid enim adoranda Hostia, quam videmus, est aliud, quàm byssinum tegumentum? sacrosanctæ species nonne sunt vestimenta, sub quibus certo certiùs continetur? oculis

oculis quidem corporeis velum intuemur, ſed mentis acie fideíque lumine Seruatorem conſpicimus : quid ampliùs optemus ? amicum aut Principem ſuum videre ſuis veſtibus indutum, etſi neq; corpus eius, nec animam inſpiciam, an hoc non eſt amicum aut Principem videre? ne dubita; ita Chriſtum videre, ita tangere, ait S. Ioannes Chryſoſtomus, *a* eſt eum verè videre ac tangere.

Ob hanc cauſam multos pietatis ſtudioſos reperio difficulter oculos ab adorandâ Hoſtiâ auocare, ſi contueri illis conceſſum eſt; cùm non ignorent, in huius vitæ curſu nihil poſſe dignius illorum oculis obijci. Balthaſarus Aluarez è Societate noſtrâ vir raræ virtutis, oculos perpetuò ei tenebat affixos; vbicunque eſſet Venerabile Sacramentum expoſitum, nunquam poterat ab eius aſpectu dimoueri. B. Margarita Hungarica ſumptâ SS. Euchariſtiâ, etſi Regis filia, ſemper tamen mappam ad SS. Synaxin accumbentibus ſtratam ſuſti-

a Hom. 83. in Matth.

ſuſtinebat, dum alij SS. Hoſtiam acciperent, vt tanto diutius Chriſtum in manu Sacerdotum contemplari poſſet. Quâ in re Sacerdotum felicitas animum ſubit; qui dum Panem Cæleſtem alijs diſtribuunt, oculos toto illo tempore in eum defigunt. Margarita Arbuſia Antiſtita pari deſiderio illic eſſe contendebat, vnde diuinum hunc Sponſum aſpiceret: hinc conſtituit, vt ſingulis menſibus ſemel Monialibus exponeretur, quas, eo tempore & ſæpe aliàs hortabatur, ne prætermitterent, frequenter eum ac piè adeundo eius gratiam aucupari. Alio loco dixi, S. Coletam peculiariter ſuos oculos ob id amâſſe, quòd illorum operâ poſſet SS. Hoſtiam intueri. Plures alij oculos magna pietate, modeſtiáque, quin & aſpectantium admiratione ita firmârunt, vt eorum animos eodem pietatis ac ſanctitatis ſtudio incenderent. B. Franciſcus ab Infante IESV illic immotus hærebat, oculis eo ſpectaculo abreptis, velut cælo delapſus Angelus adeſſet.

esset. B. Aloysius Gonzaga eius aspectu satiari non potuit; vt è diuturniori intuitu formę illius venustas amplior conciliaretur: adeò vt pictores Aloysij effigiem elegantiori penicillo expressuri eum non alio situ pingerent, quàm eundem sancto obtutu SS. Hostiam respicientem.

Hagiophile, hoc tam sanctum studium ac ardor adorandas hasce Species contemplandi etiamnum viget: in eum finem multi Fer. V. hebdomadis maioris religiosè omnia templa obeunt, vbi publicæ adorationi proponitur: frequentes ac assidui ad percipiendam à SS. Sacramento benedictionem accurrunt, vbi illa per hoc Octiduum, alijsque per annum solennibus diebus impertitur: piè curiosi sunt, cùm sacrificio Missæ intersunt, vbi vel Sacerdos SS. Hostiam eleuat, aut occasione aliorum rituum, spectantibus illam videndam offert. Tuum ac meum est, eam pietatem tueri ac propagare, & esse ita persuasos, maiorem isto spe-

ctaculo felicitatem oculis nostris nunquam hîc posse obtingere. Si enim ingentis voluptatis materies est, oculos in DEI Matris aut IESV imaginem defigere, quanta erit, eos in SS. Sacramentum conijcere, vbi Verbum Caro factũ reipsâ præsens continetur? S. Bonauentura cùm supremo totius Christiani Orbis solatio, sacrâ scilicet Communione, quòd æger graui nauseâ stomachi laboraret, frui non posset, ac jam de vitâ periclitaretur; nihil post illam credidit sibi posse sanctius ac diuinius accidere, quàm si in SS. speciebus DEI Filium videret: quare petijt ad suum cubiculum SS. Eucharistiam afferri, vt eam ad extremum videre & adorare posset: id quod facilè impetrauit. Sed DEVS hunc illius conatum magno miraculo nobilitauit: postquam enim amanter eam contemplatus ac veneratus fuisset, cùm agere aliud non posset, jussit Pyxidem Eucharisticam proximè suo pectori admoueri: & en inauditum prodigium! imminente jam sacro

Vasculo, latus eius apertum, venustum & instar rosæ se aperientis rubens hiabat, ac eodem momento inde diuinitus è SS. Hostijs vna exempta, se intra sancti viri latus omnibus, qui tunc aderant, spectantibus immisit: exinde, quamprimùm latus denuo coaluit, ceu nunquam antè patuisset. a

a *Ex Annal. Minor. & ex libro qui dicitur vinea* S. *Francisci.*

EXERCITIVM IV.

Pro Dom. infra Octau. Corp. CHRISTI.

Meditari, aut longis precibus vacare, ad præsentiam aut honorem Venerabilis Sacramenti, exemplo B. Margaritæ filiæ Regis Hungariæ.

QVIVIS alius extra DEI amantem ab illâ longiori morâ quorundam abhorrebit, qui ad pedem Altaris in templo, aut alio loco, meditationibus aut precibus pro SS. Sacramenti

menti honore tamdiu inhærēt. Sed eadem ratio, quæ facit, vt tempus omne breue ac jucundum inter amicos videatur, etsi simul tres quatuórue horas, aut etiam totos dies confabulentur, efficit, vt longæ preces ac meditationes coram Venerabili Eucharistiâ institutæ, aut verso in illam partem, quâ asseruatur, corpore peractæ, suaues amantibus videantur. Amori nihil est arduum: hîc IESVM sub velo latentem vt Sponsum fidelem, vt charum amicum, vt prorsus speciosum, totum amabilem, bonum, sapientem, beneficum, omnipotentem compellamus, & si quę sunt aliæ summę illius perfectiones: hæc omnia priusquam expendas, & ad ea respondeas, quæ secretò à te postulat, antequam tuas preces & vota peragas, atque pro te cæterísque exponas, siue huius siue alterius vitæ negotia attingat, multum temporis elabi necesse est. Ama duntaxat IESVM, & nunquam temporis moram accusabis, quam eius consuetudini, meditationi,

immensóque amori impendes, quem in admirabili Angelorum Pane conclusit.

Hagiophile, experire hodie, aut alijs diebus, quid hoc sit: Illud tibi certò affirmârim, P. Thomam Sanchez, è Societate nostrâ, virum eximiæ pietatis, nunquam de temporis diuturnitate questum esse, etsi singulis añis per hoc Octiduum quotidie, aliósque octo dies ante, & post Octauam totidem duabus horis meditationi de Venerabili Sacramento vacaret, non annumeratis alijs eius statis precibus, quas quotidie peragebat: hinc facilè crediderim, ad hoc diuini amoris incendium ita illum incaluisse, vt animi sui sententiam verbis illis memoriâ dignis testaretur, quę ab eius morte inter Ascetica aduersaria fuerunt reperta: *Omnis mea cura erit Venerabilis Eucharistia*! Meam fidem! Hagiophile, næ summam voluptatem P. Balthasaro Aluarez attulit, in templo, aut illius Odeo noctes non raró integras precibus absumere: qui aliàs

aliàs indignè ferebat, ita Magnatum palatia frequentari, in quibus dimidium diem ſine faſtidio vllo ambulacra, conclauia & veſtibula Principum obeuntur; dum interim templa, quæ ſunt IESV palatia, adeò ſunt deſerta, & tantillo tempore habitata. Modò ſaltem in Feſtorum ſummorum peruigilijs, ac pridiè, quàm SS. Euchariſtia ſumitur, maior in hoc negotio cura adhiberetur. Vbi B. Margaritam Hungaricam videas, quæ, die SS. Communionem antecedente, pane & aquâ victitabat, noctem inter preces, alterum diem ſilentio exigere ſolita? Vbi B. Victoriam reperias, quæ pridie Cæleſtis conuiuij, vt cras venturo hoſpiti DEO domicilium aptius pararet, & honorem haberet, magnam noctis partem ſomno ademit, quam precibus daret? Hæ ſanctæ mentes cælo & IESV fruuntur: de te, Hagiophile qui hæc legis, modò ſpes eſt, te aut paria facturum, aut ea te ſaltem in parte ſectaturum, quæ citra incommodum tibi valebis iniungere.

EXERCITIVM V.

Pro Fer. II. infra oct. Corp. CHRISTI.

Preces vocales in honorem Venerabilis Sacramenti peragere, exemplo B. Ioannæ Francicæ.

HAGIOPHILE, non est mihi animus, ad dicendum de Venerabili Sacramento Rosarium te hortari, quod ter denis senis diuersis actibus constat, ad memoriam sedecim præteritorum sæculorum colendam, ab eo tempore, quo Christus illud instituit. Corona illa ter sedecim grana numerat, habitâ illius SS. ternionis, qui in hoc Mysterio latet, videlicet Diuinitatis, Animæ Christi, & eius pretiosi Corporis ratione: nihil ampliùs addo, neque quidquam illorum, quæ in paruo libello legi: horum nihil tibi sapit, neque animum vis tot rebus obruere.

Hodie igitur minus Officium de SS. Sacramẽto recita, aut Hymnum illum, cuius

cuius initium: *Lauda Sion Saluatorem.* S. Thomæ Aquinatis inuentum, aut Litanias eiuſdem argumenti, quæ receptis; pulchris, píjſque encomijs refertæ ſunt. Omnes hæ preces Deo perquam placent; ſunt enim è laudibus Filij ſui conflatæ. Si nimius tibi in affundendo precandi themate videor; vnicum ſelige: alia tibi ad eam rem vſui erunt, de quâ ſequenti Exercitio te admonebo. Si verò velis inſuper breuiori compendio vti; preces tibi B. Ioannæ Francicæ adſcribo; quas tamen illa, quemadmodum fuit à DEI Matre edocta quotidie iterabat. Dicenda eſt igitur duodecies Salutatio Angelica, in honorem duodecim fructuum & commodorum, quæ diuinus hic cibus, qui SS. Synaxin adeuntibus præbetur, pijs mentibus confert. Eas preces S. Regina nunquam dicere prætermiſit, effecítque vt ſummus Pontifex cuicunque ad eum modum recitanti Indulgentias impertiret. *a*

a *Ex Chron. Ordinis Annunt. Bitur.*

EXERCITIVM VI.

Pro Fer. III. infra Octau. Corp. Christi.

Singulari cultu omnes per annum dies exigere, qui à quibusdam pietatis studiosis Venerabili Sacramento sunt dicati, exemplo P. Thomæ Sanchez Societatis IESV.

DIES pro cultu SS. Sacramenti per annum destinati sunt isti: Octiduum Corpori Christi sacrum, Feria V. Hebdomadæ Maioris, tertia Dominica cuiusque Mensis, Feria V. cuiusuis hebdomadis: quos dies omnes Ecclesia & SS. Eucharistiæ addictiores honore ac obsequijs peculiaribus traducunt. P. Thomas Sanchez è Societate IESV octo dies Octauæ Corporis Christi præmisit, totidémq; subiunxit; primos, vt idoneum se ad illud Festum redderet, postremos verò, vt eius cultum prorogaret, & geminati octidui spatio ei plus otij suppeteret,

tam

tam immensum beneficium, quo genus humanum DEI Filius affecit, gratiori animo perpendendi.

Ecce igitur te pro singulis annis, quouis mense, qualibet hebdomade instructum! Non equidem negauerim, ad vnum ex his plus apparatûs & pietatis afferendum, quàm aliud: nunc SS. Eucharistia percipienda; nunc SS. Sacramentum frequentiùs adeundum; modò precibus & meditationi insistendum; aliàs vocali orationi vacandum, vt sunt Litaniæ, aut minus Officium de Venerabili Sacramento: quisque eorum sibi delectum faciet, quæ putauerit tempori, occasioni, & suæ pietati magìs congruere. Expedit autem, per hosce dies suum erga SS. Eucharistiam studium & infimum obsequium, quocunque demum honoris significatione, profiteri. Et quoniam S. Communio & vocalis oratio plerumque solent esse his diebus in plurium vsu; addam, quod operum illorum meritum atque præstantiam te doceat.

S. Gertrudis quadam die, dum Moniales ad Cæleſtem menſam accumberent, obſeruabat, DEI Matrem ſingularum lateri ordine accedentium aſſiſtere, ac vt quæque fuiſſet diuino Cibo paſta, Filio ſuo loqui: Fili chariſſime! obſecro te, pro tuo in me amore, reſpice & ama hanc piam animam, cui pretioſum Corpus tuum indulges. Quâ re IESVS videbatur ſingularem voluptatem capere, ac dulciſſimæ Matris ſuæ precibus promptè annuere. *a* Sed quod ad rem meam imprimis facit, eſt, quòd DEI Mater pretioſo pallio veſtita comparuerit, precibus vocalibus, quas Moniales illæ dicebant, velut floribus totidem diſtincto: eodémque tempore, quo illæ Panem Angelorum ſumebant, Virgo Mater glorioſo illum pallio tegebat, velut ſignificare amantiſſimo Filio ſuo voluiſſet: vide-ſis, chariſſime Fili orationes illas, quas famula hæc tua ad te honorandum perſoluit! certè remunerationem & amorem tuum promeretur.

a Ex lib. 4. Inſin. diuin. cap. 49.

EXER-

EXERCITIVM VII.

Pro Fer. IV. infra Oct. Corp. Christi.

Comitari Venerabile Sacramentum, quando ad agros deportatur, exemplo P. Cæsaris Buzæi.

PROH! quàm indignor, si nonnunquam videam, DEI Filium & Regem gloriæ à Sacerdote ad ægros deportari, vno tantùm fortè ministro, & tribus quatuórue mulierculis, eum comitantibus: cùm interim Præsides & supremi magistratus quadraginta aut quinquaginta post se asseclas trahant; cùm Reges & Principes florem Nobilitatis magno numero in comitatu habeant. Scio equidem, non vbique in hac re peccari, ac illis in locis, vbi Sodalitates sub auspicio ac nomine Venerabilis Sacramenti institutæ in flore sunt, jucundum esse, videre multos vtriusque sexûs homines SS. Sacramentum, quod ad moribundos defer-

tur, magnâ modestiâ, silentio ac pietate comitari: sed neque ista vbiq; fiunt, magno passim pietatis neglectu. Profectò optandum est, amorem studiúmque in plerisq; erga tam sanctam consuetudinem auctius fieri; & ab ijs, qui IESVM ægrorum domicilia & ora non dedignantem comitantur, Christianorum oppidorum plateas frequẽtiori numero expleri. Hagiophile, noli vnquam hanc viam detrectare; i, i, fac velis libenter in tali Seruatoris tui comitatu esse: duplex inde ad te meritum redibit, dum & ęgrum inuises precibúsque juuabis, & vnà in Regem Regum & PatremSanitatis officiosus eris: nihil omnino te impediat, quò minùs cæteris eò accurrentibus te adiungas; etsi tibi maturiùs aliquanto sit lectus deserendus, etsi nondum exquisitè sis comptus, & publico vestitus: spectatores potiùs modestiâ tuâ capientur; & Angeli, qui turmatim Regem suum insequuntur, tantò magìs te suspicient. i bonis auibus, animo promto & pijs cogi-

cogitationibus instructo, illâ præsertim, quam tenuit P. Simon Garzia, Minimus: qui cùm Monasterio præesset, Religiosis suis, jam ad supplicationem & Christi comitatum accinctis, ita fuit locutus: Seruator noster, ô Filij mei! nobis se socium adiunxit, ac nobiscum in hac mortali vitâ tres ac triginta annos commoratus est, multa incommoda & labores perpessus, quos pro peccatis nostris exantlauit: an non igitur æquum est, vt & nos eum quadrantem horæ ad pietatem & sanctam modestiam compositi prosequamur? Plus dicam, Hagiophile: etsi grauissimis etiam negotijs vrgereris, tum quoque enitēdum tibi foret, vt ea tantisper seponeres; honestissimum enim omnium in hac vitâ negotium est, IESV CHRISTO debitum honorem exhibere. B. Franciscus Borgias, adhuc Gandiæ Dux, omnia negotia abrupit, vt SS. Sacramentum comitaretur, dicere solitus: eamus, eamus, quando DEVS nos vocat! Et certè si Rex aut Princeps a-

liquis ad fores tuas te inuitaret, vt ei velles ad eum locum, quò pergit, comes esse, certus sum, te omnia postpositurum, ac magnæ id gratiæ loco habiturum, persuasum, præclarè te illam viam impendisse: ah! malum publicum! ergóne semper IESVS minoribus obsequijs coletur? ergóne digniori ministerio homuncio à mortalibus afficietur? Postremò, si cupis IESV cordi esse, si eius beneuolentiam prensas; sequere, sequere audacter eorum exempla & vestigia, qui Venerabile Sacramentum sequuntur: quòd si decori ratio postulet, ardentem cereum manu à te sustineri, cape, & alios in eo genere officij, quod Seruatori tuo exhibes, præuenire labora. Omnis Austriacæ domûs fortuna & Maiestas ex eo suam originem habet, vt refertur, quod Rudolphus caput eius familiæ luculentum honoris & officij genus Sacerdoti exhibuerit, qui ex vno pago in alium SS. Sacramentum ad ægrum ferebat; quando ipse equum, cui antè inside-

bat,

bat, Sacerdoti cōmodauit, interim pedes eū equitantē prosecutus. Ausímne dicere, quod sentio? Thomas Morus, magnus ille vir, meruit pro IESV CHRISTO sanguinem profundere, qui est suprem⁹ honor: ego quidē existimo, eam gloriam illum à DEO idcirco consecutum, quòd, etsi Angliæ Cancellarius esset, non erubuerit, Crucem arripere, illámq; in similibus occasionibus præferre. Quid si nostro æuo P. Cæsaris Buzæi eximia virtus initia sua eiusmodi generoso facinori debeat? ausus est enim ardentem cereum manu gestare, ac Venerabile Sacramentum insequi, quod ægris afferebatur; etsi adhuc juuenis dissolutus & vanitatum sectator esset, timerétque, ne in multos commilitonum suorum ac Nobilium juuenum incideret, qui tunc, cùm hoc contigit, Cabellione in comitatu & aulâ supremi Præfecti illius ditionis versabantur: & reipsâ omnem illam Nobilitatem obuiam habuit. Illo opere vix

peracto

peracto DEVS tantâ illum consolatione, ac cælesti luce perfudit, vt totus à se alius esset: quin sequenti nocte, cùm in mediâ caligine in preces se daret, lux è cælo allapsa eius cubile illustrauit, solis splendori non impar; à quà tantopere fuit animatus, vt statueret, posthac nihil nisi IESVM diligere, ac mundi fraudibus atque illecebris valedicere: quod feliciter ac abunde præstitit.

EXERCITIVM VIII.

Pro Octauo die Corp. Christi.

Omnis generis honores SS. Sacramento, & quæ ad illud referuntur, conferre, exemplo S. Wenceslai Bohemiæ Regis.

SATIVS erit, me summatim hoc loco afferre, quæ cultui SS. Sacramenti addicti præstiterunt, suum erga illud amorem & reuerentiam testaturi, aut certè erga res illas, quæ ad istud aliquâ ratione referuntur; quàm vni me exercitio adstringere: habebis inde tantò maiorem libertatem eligendi

di, ſtatuendíque, quodnam aliquoties in viuis ad tuum vſum velis arripere. Auſculta igitur & admirare S. Wenceſlaum Bohemiæ Regem; qui meſſis ac vindemiæ tempore, nihil indignum regiâ maieſtate ratus, aut veriùs memorabili in SS. Sacramentum ſtudio ſuo illam illuſtraturus, ipſe triticum illud metebat, ipſemet illas vuas legebat, quæ vtrinque & ad Cæleſtem panem & Sacrũ Calicem erant neceſſaria.

S. Mechtildis recenſet, inter alia cæleſtia dona, ſe Religioſum familiæ miniſterijs deuotum magnâ gloriâ coruſcantem vidiſſe; quòd, vt SS. Sacramẽto vicinior longiorem idipſum intuendi moram haberet, tot ſacris inſeruierit, quot ei fuit conceſſum intereſſe, conatus ob eandem cauſam, omnem reuerentiam Sacerdotibus præſtare, quibus toties tractare, conſecrare, & attingere SS. Euchariſtiam liceret.

B. Mauritius ex Ordine S. Dominici in hoc vnum erat intentus, vt videre, recipere, amare & colere hoc diuinum Sacramentum poſſet: in eum finem o-

ſtiatim

ſtiatim oleum pro lampade, quæ coram Venerabili ardebat, mendicare consueuit: quàm verò grata DEO hæc serui sui opera fuerit, ex eo collige, quod in eius exequijs euenit. Cùm jam de eo sepeliendo ageretur, ac eius cadauer feretro sub re diuinâ esset impositum, inspectantibus Religiosis alijsque, qui tunc aderant, cùm Sacerdos SS. Hostiam adorandam populo leuaret, B. Mauritius oculos, eandem adoraturus, aperuit; quod itidem fecit, cùm Sacerdos SS. Calicem attolleret: quod sanè indubitatum raræ in illo pietatis gaudiíque argumentum fuit, quibus oculi illius ex intuitu sanctarum specierum demulcebantur.

Galliota de Vaillaco, veneranda Antistita, vt suæ pietati satisfaceret, ipsa lampadem, quæ coram SS. Sacramento erat accensa, curabat; neque id officij obire aliam è suis Monialibus voluit: quam cùm decenter purgâsset, digitis in togâ abstersis, nulla prorsus in veste labes apparebat.

Margarita Arbusia incredibili curâ

studió-

ſtudióque tenebatur, vt Altaris ornamenta & Sacerdos debito cultu niterent; eò quod omnia ad diuini Sacramenti venerationem pertinerēt: quod ad triticum ac vinum attinet, quod erat ſacrificio Miſſæ attribuendum, dabat operam, vt vtrumque melioris notæ eſſet: quin ipſamet lectiora frumenti grana pro conficiendis hoſtijs terebat, ardore mentis admirabili & vel Angelis laudando. Eadem penes ſe clauem tabernaculi, in quo SS. Euchariſtia aſſeruabatur, retinuit; nec paruam inde voluptatem accepit, quòd eius domicilij clauem ipſa ferret, quo deliciæ illius ac ſponſus cæleſtis incluſus lateret: quæ hilaritas mentis ſingulares in ea diuini amoris ignes excitabat, vt nonnunquam diceret: Meus eſt IESVS, clauem teneo; non euadet, quin mihi priùs bene precetur.

B. Victoria, quæ Ordinem Cæleſtinarum inſtituit, quarundam Matronarum me admonet, quæ nullum alium laborem, quàm ad exornanda altaria, templa, & res omnes, quæ ad cultum SS. Eu-

SS. Euchariſtiæ faciunt, in ſe ſuſcipiũt. Poſſem etiamnum viuas percenſere: ſed id me illorum modeſtia vetat: ſufficiat, B. Victoriæ exemplo vti: mentes enim beatæ nulli periculo vanitatis, ex earum commendatione, ſunt obnoxiæ: hæc jam Religioni adſcripta manum & acum omnium promtiſſimè ſacris mappis, (quas Corporalia vocant) elaborandis commodabat, quæ ab ipſis pro Inſtituti ratione fieri ſolent, ac poſtea in egentiora templa gratis erogari: ſi quod ei otium ſuperfuit, aut quidquid temporis potuit aliunde ſuffurari, ei labori dabat; quandoquidem hæc, vt ipſa aiebat, IESV lintea & faſciæ eſſent.

B. Cæcilia Panormitana, è tertio Ordine Minimarum, pro eo amore, ac in Venerabile Sacramentum ferebatur, eluere linteam templi & Altaris ſuppellectilem nunquam prætermiſit: certíq; erant eius templi Religioſi, quamdiu Cæcilia viueret, nunquam illam eſſe paſſuram, ab aliâ hoc genus ſancti obſequij Aris impendi.

S. Tereſia

S. Teresia, S. Catharina Senensis, & plures aliæ, omnem suam voluptatem in frequenter obeundâ SS. Synaxi collocârunt: quo die cogebantur illo cælesti cibo abstinere, miserrimas se credebant; hinc morbis erant tentatæ, & animis deficiebant: eo verò, quo licuit illis ad Dei mensam accumbere, triste illis fuit, alium insuper cibum admittere. Euphrasia de Monte Leonis ex Ordine Minimarum, quo die SS. Eucharistiam capiebat, nullo fuit alio dein' alimento vsa: tam cælesti dape satiata.

B. Magdalena de Pazzis adhuc puella & infans magno desiderio SS. epulo fruendi laborabat; quod cùm ætatis defectu facere prohiberetur, matris ad id accedentis lateri proxima hæsit; nec facilè ab illa toto eo die discessit, cumprimis recreata, si posset ijs esse vicina, quibus interesse conuiuis diuinæ huic mensæ licuit: vbi verò Florentiæ Religionem inijt, ex præcipuis rationibus, ob quas ei potiùs Monasterio animum adijceret, vna fuit, quòd Moniales illæ quo-

quotidie IESV CHRISTI SS. Corpore fruerentur.

Ioannes Baptiſta Tolomius vir magnæ ſanctitatis è S. Dominici familiâ, quòd intelligeret, Sacerdotes DEI Filio tam eſſe familiares, eouſque illos reuerebatur, vt ſæpè illorum, quâ tranſierunt, veſtigia oſcularetur. Et vt nõ niſi de viuis, ſuppreſſo tamen illorum nomine, loquar, hoc ipſum ſæculum eſt, quo Venerabile Sacramentum publico cultu eſt imprimis celebre: liberales in Altaria opibus & ornatu excolenda ſumptus fiunt; lampades perpetuò ante Aras arſuræ annuatim olei prouentu inſtruuntur; Sodalitates ac cætus inchoantur, ad eius præcipuè gloriam propagandam inſtituti; multi viri Religioſi ab eo nomen ſibi attribuunt; Sacerdotes pietatis ergò digitos ſuos eo die frequenter exoſculantur, quo SS. Chriſti Corpus tractârunt & conſecrârunt; alij religioni ſibi ducerent, tergum SS. Sacramento obuertere, ſi contingat ei vicinos fieri; ſunt

bonæ

bonæ mentes, quæ ob honorem SS. Eucharistiæ, arctiori freno linguam coërcent, ne quid indecori inde elabatur; quandoquidem lingua, quæ primò SS. Christi Corpus excipit, ceu tabula quædam & pons ductitius est, quo intra nos suscipitur. Noui alios qui annuo reditu de sanctâ frumenti annonâ pro pinsendis hostijs prouident, ídque in templo, quod multorum Sacerdotum sacrificijs, & ad Diuinum Conuiuium accedentium multitudine est frequens; est, qui quot annis vinum omne pro Altaris sacrificio & ministerio subministret: ac vterque sibi maximopere gratulatur, quòd è suâ crumenâ & penu commeatus ille proficiscatur, qui in SS. IESV CHRISTI Corpus & Sanguinem conuertatur. Hagiophile, plura dixi, quàm præstes: neque interim negauerim, vt omnia hæc pietatis exempla te cupio admirari, ita me nolle, vt illorum quidquam imiteris, nisi quod & gustui tuo & pietati magis arridebit.

CAPVT



CAPVT IX.

EXERCITIVM PIETATIS VNICVM ERGA FILIVM DEI, pro Festo Transfigurationis Eius. 6. Augusti.

Honore & amore singulari IESV CHRISTI SS. Faciem prosequi, exemplo S. Teresiæ.

HOc loco pietatem erga Seruatoris nostri SS. Faciem delegi, quoniã præcipua & nobilior pars est Transfigurationis in mõte Thabor factę: vbi diuin⁹ eius vultus *resplenduit sicut sol*; a qui modus est loquendi, quo significatur diuinam hanc faciem tunc incomparabili pulchritudine claruisse; res enim venustiores dicimus instar solis micare. Neque tamen idcirco necessitas mihi imponitur, in-

cà

a *Matth. 17.*

eâ ſolùm pulchritudine, quæ hoc die in adorando eius vultu emicuit, conſiderandâ immorari: fuit vtique obſtupeſcenda; ac talem fuiſſe neceſſe eſt, quandoquidem Apoſtoli, qui eam ſunt intuiti, crediderint ſe in termino felicitatis eſſe, & S. Petrus inde auelli noluerit, diſertis verbis aſſerens, eſſe illic tria tabernacula ſtruenda, & ibi degere, bonum eſſe. Eam pulchritudinem amabiliſſimi vultûs in eo etiam ſtatu conſiderabo, in quo illa Chriſto quotidiana & innata fuit, vt eam in omnem partem admiremur, adoremus, & amemus.

Et primo quidem loco, nunquam cum Ariſtotele ſenſi, exiſtimante, nihil magnopere poſſe à nobis diligi, quod ante à nobis non ſit viſum: quot enim ſunt, qui res diuerſas, non niſi rudi ſtylo effictas, & in ſolâ picturâ viſas, vltra omnem modum deperierunt? Et ne à præſenti argumento recedam, poſt Chriſtum in Cælos Aſſumptum conſtat, eius Humanæ Naturę deuotos, etſi illum coràm intueri nunquam fuerit

ipſis conceſſum, eum longè ardentiùs amâſſe, quam fluxæ venuſtatis amatores, formas perpetuò ſuis oculis obiectas admirentur. Cùm IESVS adhuc in terris degeret, qui potuit in eum oculos conijcere, ad eius amorem incitatus non potuit illum non amare: at nunc, quando corporeis oculis conſpici ſe non permittit, qui auribus poteſt de illius venuſtate erudiri, præſertim quæ in eius vultu ceu præcipuâ in SS. Corpore omnis elegantiæ ſede elucet, ſentiet ſe potentiſſimè ad eum medullitùs amandũ impelli, omnes alias formas eius ſum̃æ pulchritudini poſthabiturus.

Nemo mihi vultum Salomonis laudet, cuius videndi gratiâ Matronæ Ieroſolymitanæ è domibus ſuis erumpebant, quoties vrbis plateas obiret; qui ad conſiderandam oris eius gratiam integras nationes ſuis è ſedibus exciuit. IESVS amabili gratioſóque vultu ſuo centies millies eſt illo prę̨ſtantior. Erat in eius facie neſcio quid diuini, quod aſpicientes rapiebat, ait S. Hieronymus, S. Ioannes Chryſoſtomus, eam

tantâ

tantâ præditam pulchritudine pronuntiat, vt paratus esset, omnes cruciatus & ignes Inferni experiri, dummodo ei postea permissum esset, vno tantùm oculi nictu IESV SS. vultum in transitu contueri.

Nemo mihi virorum feminarúmue formas prædicet: omnes illi & illæ tenui tantùm venustatis radio perstringuntur; at IESVS omnes gratias oris incredibili spectantium blandimento complectitur: hic S. Basilij sensus est, æstimantis, quemadmodũ omnes pulchritudines sparsim in naturam dispẽsatæ, ad efformandam solis venustatem in cõmune contribuerint, vt gloria & splendor cæterorum luminum esset, ita prorsus omnes elegantias, in quorumlibet vultu sitas, DEVM cõtemplatũm, omnes venustiores formarum lineas ad componendam in IESV oris Maiestatem decerpsisse; qui propterea à Prophetâ Euangelico, *a* Angelus faciei dictus est, velut si diceret, hic homo est compendium insignium for-

a *Isa. 63.*

rum; quoniam omnes alias antecellit, aut certè quia facies eius humanâ augustior & Angelicæ propior est, idonea scilicet, quę omnium Angelorum amores in se capiat æquè ac hominũ: quippe ni? quandoquidem DEVS Pater diuinum hunc vultum aspicere non potest, quin amet, & eius splendore illectus omnium votis annuat: Hoc magnum arcanum Regij vatis erat, quo potuit à Deo omnia impetrare: *Respice in faciem Christi tui.* a

Nemo adeò de pulcherrimâ Seruatoris mei facie ampliùs mentionem inferat; sed cupio mihi spem fieri, eum quantocyus vidēdi. O amabilis ac dulcis IESV, mea pulchritudo incomparabilis! *desiderium collium æternorum!* b pulchrior omnium virorum ac mulierum fluxâ venustate! facies decora, excellens omnes pulchritudines & omnia nostrorum oculorum illicia, quæ vel in terris possunt, vel in Cælo spectari! quando ero tam felix, vt te intuear, te laudem, te pro merito amem? ah! cur non

a *Psal. 83.* b *Gen. 49.*

non ſum totus oculus, vt te cõtempler, totus os, vt formæ tuæ præſtantiam dilaudem? totus auris, vt tuos encomiaſtas auſcultem? totus cor, vt te diligã? totus Seraphim, vt flammis ardeam, quæ à te velut ſancti amoris incendio erumpunt? O felix! ô diuinum incendium! cur non ſum à tam amabili flammâ penitùs jam cõſumptus? cur in hoc ergaſtulo verſamur, in quo cùm intelligamus vbi hæc diuina facies deliteſcat, remouere cortinã prohibeamur? O quantopere ſpero, hanc ſplendidam & admirandam faciem non fore mihi æternùm abſconditam! ſpero penitùs, hoc formę miraculum æterno mihi velo non obducendum! erit, erit illa dies, cùm velum hoc diſcedet, cùm ſe facies illa meis oculis exhibebit, vt in genuinâ illam gratiâ ad inſatiabilem ſatietatem totâ æternitate contempler.

Talibus ac tantis deſiderijs S. Tereſia æſtuabat, quæ eam gratiam conſecuta eſt, vt in tranſitu ei Seruator dulciſſimus diuinam ſuam faciem conſpiciendam præberet: vnde tota extra

se rapta postea affirmabat, nec videri, nec animo cōcipi quidquam pulchrius posse: etsi, inquiebat, per plures annos res vndequaq; pulchras mihi ipsi obijcerem, ad faciem inde tantæ venustatis efformandam: nunquam possem illud decus assequi: omnem enim pulchritudinem excedit, quę hîc à nobis fingi, aut excogitari potest. Si in Cælis nihil aliud spectādum nobis quam pulchritudo illa offerretur, crederem hanc vnam sufficere, laboréſque nostros omnes optimè collocatos & compensatos esse: adhæc longè illustriori Maiestate visenda vultûs sui miracula nobis reseruat, cùm illa in toto illo gloriæ suæ apparatu deteget: quandò in terris nostrę tantisper infirmitati se attemperat. Post hoc spectaculum nullo momento desijt illam formam suspirare: ac pluribus annis eius imaginem tam viuaciter animo retinuit, vt sola diuini illius vultûs, & quæ in eo contemplata olim erat, recordatio, eius mentem componeret, gaudióque & interioribus animi delicijs inundaret, quibuscunque demum

mum turbis, fastidijs & calamitatibus exerceretur. Posthac nihil illi in rebus creatis sapuit; quidquid intueretur, animum eius offendebat, reputantis secum gratiam ac venustatem illam, quâ in admirando illo vultu aliàs pascebatur. Ah! cur non similes in nobis animi sensus cum S. Teresiâ experimur? Fidei oculis æquè nobis concessum est, summam illam in facie IESV pulchritudinem contemplari: ah! cur non omnibus suspirijs illam expetimus? cur non sæpius ingemiscimus: ô pulcherrima & amœnissima IESV facies! quando te videbo? cur non totis viribus connitimur, importunas hasce deformium formarum imagines, ex blandi oris obtutu relictas, penitùs ex animo delere? easque his paucis verbis explodimus? apage fluxa & fallax pulchritudo! IESV admiranda facies centies millies pulchrior & amabilior est: huic meum Cor, meos oculos reseruo.

CAPVT X.

TRIA PIETATIS EXERCITIA ERGA FILIVM DEI, pro Festo Natiuitatis Eius, & sequenti biduo.

EXERCITIVM I.

Pro 25. Decemb.

Peculiari pietatis sensu erga Sanctam IESV CHRISTI Natiuitatem affici, exemplo S. Francisci.

VT sanctum affectum erga SS. IESV CHRISTI Seruatoris Nati Mysterium induas, conserues & augeas, id tantùm age, vt S. Francisci Seraphici tenerrimos erga IESVM Paruulum in præsepi positum affectus memoriâ repetas: hunc ille solebat Paruulum Bethlehemiticum appellare; & sæpe de eodem meditandi

di argumenta ſumebat: auſus etiã fuit totius Mundi imperium affectare, vt omnis generis honores Paruulo ſuo Domino procuraret: Si Imperator eſſem, aiebat, juberem omnium vrbiũ ac oppidorum Gubernatores ingenti apparatu Feſtum Chriſti Nati celebrare: imperarem eis, darent operam, vt per plateas, per vias publicas & in campis paſſim frumentum ſpargeretur; vt ipſæ etiam auiculæ in partem publicæ lætitię venirent, ac paſtu fierent ſaturæ: vellem, quandoquidem paruulus IESVS noſter in bouis & aſini conſortio naſci dignatus eſt, vt omnes, quotquot jumenta domi alerent, eo die lautiùs illis fœnum, auenam, & alia grata ipſis pabula affunderent. Quid ſimili quodam feſto die non egit, cùm poteſtatem ei Summus Pontifex feciſſet, eam celebritatem mediâ nocte in campis inſtituẽdi? in medio campo juſſit ſtabulum erigi; quod ipſe fœno, paleis, præſepi, totóq; apparatu ad repręſentandum hoc Myſterium neceſſario inſtruxit: IESVS etiam Infans pañiculis inuolutus fœno

incubabat; quem Mater eius & S. Iosephus adorârunt; neq; bos aut asinus defuit. Ad hoc spectaculũ plurimi inuitabantur, tam Religiosorum sui Ordinis magnus numerus, quàm pagorũ proximè adiacentium inquilini: si nundinæ essent, ex omni parte accursus fiebant: adhæc Musica agrestis omnes mirè rapiebat, dum fistulæ, Vtriculi, litui, & alia eiusmodi rusticæ harmoniæ instrumenta per vicina juga gratissimo concentu mediâ nocte personarent. S. Franciscus ipse ad sacrificium voluit Euangeliũ recitare, cui affectu plenissimam concionem de hac SS. Natiuitate subiunxit, IESVM Infantem nunquam aliter quàm Paruulum Bethlehemiticum appellans: Omnino feliciter totũ negotium successit, cùm adstantes præ consolatione lacrimas nõ continerent: fructum potiorem vir nobilis, qui tunc aderat, eius pietatis retulit, cui DEVS illo ipso tempore dignatus est oculos aperire, vt S. Franciscum inter preces videret reuerâ IESVM paruulum, sole pulchriorem, brachijs sustinere: quæ

res

res ita illum cōmouit, vt deserto mundi splendore ac vniuersis opibus, in eius Diui familiam concederet, vbi sanctè reliquam vitam transegit.

Hagiophile, existimo nihil tibi deesse, nisi vt ea exequaris, quæ modò dixi: satis illa mentem tuam possunt ad diuini huius Mysterij amorem inducere. Pro auctuario tamen addam, quod facere B. Margarita de Castro consueuit; in cuius pectore post mortem Mysterium Natiuitatis Christi, & illa ipsamet genibus ante præsepe nixa visa est IESVM Paruulum adorare: quæ omnia maiori vnioni eleganter incisa comparuêre: credibile admodum est, sæpe illam in animo, in memoriâ, in ore hanc sanctam Natiuitatem habuisse: idipsum facili negotio, & hisce diebus & sæpe, dum viuis, imitari potes, si recorderis, Deo pergratum esse, nos eius in hoc infantiæ statu, quando nostrâ causâ fuit homo factus, diligēter meminisse; cùm ex illâ recordatione discamus, & nos esse paruuli in oculis nostris, ac humilitatem amare, & amplecti. Hoc ipsum

ter Christus B. Angelæ de Fulginio tunc dixit, cùm Mater eius SS^ma^. Purificationis festo die IESVM Infantem, vt olim eo die fuit, eius brachijs imposuit, Filia, inquiens, qui me paruum non vident, neque magnum aspicient. Vis, Hagiophile, sanctè Christi Natalem transigere? persuade tibi, centies hodie IESVM ijsdem te verbis compellare, quibus S. Angelam fuit allocutus.

EXERCITIVM II.

Pro 26. Decemb.

Tenerum affectum erga sanctam IESV CHRISTI Infantiam induere, exemplo B. Francisci ab Infante IESV.

HOc die B. Franciscus ab Infante IESV, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, sanctè obijt; vnde occasionem desumpsi, in hunc diem pietatem erga sanctam IESV CHRISTI Infantiam assignandi: hoc nomine, antequam Religioni nomen daret, appellari se voluit; ac postea incredibile est, quantis honoribus IESVM Infantem sit pro-

prosecutus. Erat illi IESV Paruuli imago, à quâ nihil non potuit impetrare, in pauperum præsertim causâ, quibus, fiduciâ in IESVM Infantem nixus, liberalissimè stipem & omnis generis officia charitatis exhibuit: & quoniam omnium fiebat votorũ & munerum compos, quæ in egenorum negotio ab eo postulabat, IESVM Quæstorem suum vocitabat: pauperes verò aut Equites aut paruas IESV Infantis copias dicebat: postridie Natiuitatis, hoc ipso scilicet die conuiuium illis adornauit, cuius egentior turba certior facta maximo numero aduolabat; neq; rarò vltra tria vel duo millia comparuêre: nunquam illi eleemosynæ defuêre, quibus IESV Infantis Equitibus congiarium daret: ac sæpe DEVS miraculo effecit, vt illi ipsi aliquid eò subsidij conferrent, qui nihil minùs cogitabant, quàm huic pauperum necessitati aliquid elargiri. Post pauperes summa ei cura fuit, pœnitentium puellarum familiam iuuare. Si quam illarum voluisset ad frugem reuocare, atque efficere, vt cæ-

teris se adiungeret, non alio illi labore opus fuit quàm, vt IESVM suum paruulum supplex adiret; quo facto agere cum illis cœpit, ac eas hortari, vt à flagitiosâ vitâ desisterent. Inter alias quædam Valentiæ in Hispaniâ fuit, vbi vir sanctus degebat, quæ oris venustate ad mille scelera abusa, magnam partem juuentutis corruperat. At B. Franciscus ab Infante IESV postulatâ duntaxat ope, illam accessit, eíque locutus, Soror, aiebat, satis diu scabioso illi, (ita Dæmonem appellabat) militâsti; modò tempus est te Infanti IESV seruire: hanc orationem meretrix illa primò risu excepit; sed B. Franciscus, jam certus, eam paulò pòst assensuram, comitem suum, qui tunc quidam erat piorum operum studio insignis, admonere nõ destitit, vt eadem horâ postridie ad eam reuiseret, esse illam ad hoc negotium planè dispositam: neque aliter euenit, atque ille prædixit: altero enim manè promtissimo animo Pœnitẽtium domicilium subijt, illícque sanctè vitam exegit. Mille alia in sancti illius

vitâ

vitâ istis paria leguntur, quæ totidem sunt pietatis eius monumenta, ac diuinæ approbationis testes, quâ sanctum hoc exercitium, honorémque IESV Infanti præstitum acceptat. Silendus tamen nobis eius obitus non est, qui in hunc diem aptè incidit, quo recens hoc genus honoris Diuino Infanti in pascendis pauperibus exhibuit.

Cæterùm noli persuaderi, Hagiophile, solum hunc B. Franciscum ab Infante IESV fuisse, qui tam teneros affectus Paruuli sui Seruatoris Infantiæ impenderit: multi è sanctis paria in illum studia exercuerunt; neque otium mihi est, omnes percensendi. Nolim tamen insignem P. Bernardi Colnagij è nostrâ Societate pietatem præterire, qui per Aduentum & Octiduum Christo Nato sacrum somnum captaturus, IESVM Infantem secum lecto intulit, cum quo magnam noctis partem, ceu præsens ipse adesset, amanter traduxit, Natalitiam illî cantilenam accinere solitus. Neque omittendus est P. Alphonsus Bárzena eiusdem Societatis, vir

vir magnæ virtutis ac Apostolici ardoris, qui in Peruano Regno multa animarum millia ad Christum adduxit: is tandem sub vitæ finem paralysi correptus, pro molestiarum solatio IESV Paruuli statuam ponè lectum habuit, quē identidem precibus & mille blanditijs prensabat: quòd si interdum contingeret, ab eo Imaginem procùl distare, vt membrorum vsu captus ipse attrectare, aut præ vocis tenuitate eius, qui ægrotanti inseruiebat, operam inclamare non posset; Diuinus Infans vltro illi vicinior eius manibus se ingerebat, eúmque consolatus, Alphonse, dicebat, sine curâ esto: en! locum meum teneo, in quo cupis me collocari.

Consideratione nihilominus dignũ est, quòd DEI Mater non semel hanc alijs pietatem commendârit. Olim S. Mechtildi locuta, si, inquit, sanctitatē desideras, illam in Filij mei, in sanctâ eius præsertim Infantiâ visendam recole, ac vehementer desidera, vt peccata & negligentiæ tuæ, per eximia teneræ illius ætatis merita, veniâ donentur.

tur. *a* Alio tempore ei consuluit, vt ille, pro quâ Mechtildis tunc orabat, Psalmum, *b* *Laudate Dominum omnes gentes*, recitaret, IESVM Infantem manibus complexus, eúmque DEO Patri vnà cum omnibus eius Infantiæ operibus offerret, vt expiaturum suppleturúmque defectum omnium bonorum, quæ ipse exercere in infimâ suâ ætate neglexisset. *c* Magnum illum Heroëm Albuquertium Orientalis Indiæ Dominatorem summis in Cælum laudibus olim extulerunt, quòd ingenti tempestate, quæ nauigiũ illius jactabat, in præsenti naufragij periculo versatus, infantem aliquem brachijs suis receptum in altum leuarit, ac medium inter iratum Cælum & se tenuerit, vt eius innocentis ætatulæ interuentu cælestem vindictam reprimeret, quæ illi à Deo ob suas offensas visa est imminere. O quantò facinus foret salubrius & gloriosius, si tu & ego, Hagiophile, diuinam iram placaturi, aut à DEI bonitate beneficium

a *Lib. 1. gratiæ cap. 64.* b *Psal. 116.*
c *Lib. 3. gratiæ. cap. 16.*

cium obtenturi, assuesceremus ad eum nos conuertere, pérque sanctam Filij eius Infantiam illum obtestari! hoc esset, illum inter nos & ipsum sequestrũ collocare: hoc esset è probioribus pietatis exercitijs vnum, quo IESVM Infantem demereri possemus: hoc demum esset sapere, & prudenter imminentibus periculis prouidere. Anno 1477. pius Carthusianus, Laurentius nomine, obijt, qui, vt ipse asserebat, à Deo edoctus, magno numero sancta pro IESV Infantis honore exercitia suscepit: quoties Religiosi cæteri è Choro prodibant, semper ipse ibidem commoratus, suæ pietati magnâ omnium Religiosorum commendatione vacabat: audi nunc quàm piam vocem moriens ediderit, fiduciâ plenus, quam à IESV suo Paruulo concepit; è Sacerdotibus, qui aderant ex illâ familiâ quidam morientem jubebat bono animo esse, ac intrepidè mortem opperiri: cui moribundus, quid ais? mi Pater! inquit, ego nihil omnino timeo, neque Diabolum, neque Infernum, neq; mortem formido:

do: Paruulus meus, IESVS, & mitissimus Agnus DEI, hanc mihi fiduciam fecit. *a*

a *Ex Theod Petrao in Chron. l. 6. c. 25.*

EXERCITIVM III.

Pro 27. Decemb.

Frequenti cogitatione, ardentiq; amore Incarnationis Mysterium recolere, exemplo B. Magdalena de Pazzis.

HOc imprimis idoneum tempus est, Dei hominem induti Mysterium frequentet considerandi: dies illa, quâ B. Virgo fuit ab Angelo salutata, est vtiq; maximè conueniens; sed propè tota est DEI Matri sacra: adhæc Deus homo factus non ita se primo sui aduentu mortalium oculis exposuit, atq; his diebus apparuit. Et hęc est causa, ob quam in hoc tempus pietatẽ huic SS. Mysterio & immenso beneficio debitam distulerim: præterquam quòd ad istud inducar ex eo, quod S. Mechtildi Missę sacrificio præsenti circa Christi Nati tempus accidit. *a* Arborem

a *Ex lib. 2. gratia cap. 33.*

borem illa vidit ſubitò enatam momento temporis in admirandam altitudinem excreſcere, cuius altitudo ad Cælos vſque pertingeret, latitudo verò Orbem vniuerſum impleret; folijs ac fructibus infinitis onuſtam: cuius ſingulis folijs hæ voces erāt aureo charactere inſcriptæ: IESVS CHRISTVS carnem induit: IESVS CHRISTVS homo factus eſt: IESVS CHRISTVS circumciſus eſt: IESVS CHRISTVS à Magis adoratus eſt: IESVS CHRISTVS baptizatus eſt: IESVS CHRISTVS crucifixus eſt: & alia Chriſti Myſteria, quæ eius Incarnationem conſequebantur, ea folia continebant. Non eſt mihi animus, omnia hæc prodigia explicare; facilèque apparet, eam altitudinem infinitas in IESV Diuinitate excellentias notare, latitudine ſanctæ atque diuinæ illius inter homines conſuetudinis immenſas perfectiones ſignificari, fructibus ea emolumenta innui, quæ mortales per glorioſa adorandarum eius actionum merita retulerunt: ſatis eſt dixiſſe, elegantium foliorum varietatem nos admonere,

fre-

frequenter nobis de hoc diuino Myſterio cogitandum, iiſque paucis voculis inſtruendam memoriam eſſe, quæ non aureis litteris, ſed characteribus amoris in nobis exarentur: hic nobilis ille fructus eſt, qui nobis ex illâ Dei Hominis felici arbore, S. Mechtildi exhibitâ, eſt decerpendus.

Vtvt ſit, certè perquam expedit, & hoc & quouis alio tempore ſæpe Diuini huius Myſterij meminiſſe, & ſubinde beneficiorum illorum imagines reuocare, quæ ſunt exinde in nos copiosè collata. Arctam cum Deo ac perutilem neceſſitudinem inijmus, dum ſumus fratres IESV CHRISTI effecti: hoſti victoriam eripuimus; dum diaboli vires aduerſum nos ſunt imminutę, poſtquam IESVS CHRISTVS humanum corpus induit, vt ipſe Dæmon olim S. Antonio faſſus eſt: inde didicimus, nullũ ei par eſſe beneficium, quem admodũ ratiocinari P. Auilę familiare fuit, quoties apud eum alicuius eximij beneficij mentio fiebat; tunc enim, magnum hoc quidem eſt, aiebat, ſed nihil eſt, il-

li

li comparatum, quòd Deus ſit caro & Homo factus: docti ſumus Deum amare, eóque familiariter vti, vt ait S. Bernardus; a qui exiſtimat, præcipuam cauſam, ob quam Deus ſit homo factus, eſſe, vt homo poſſet amorem alio amore expellere, omníq; amori, qui in ſenſu tantũ occuparetur, valedicere; nóſque viciſſim ſancto ac puro carnis omnino ſanctæ atq; diuinæ amore imbueret, quam innocenter poſſent omnes ij deperire, quorum amor nondum ſatis eſſet ad amandum ſpiritum defæcatus.

Hæ conſiderationes omnes dulcem nobis huius Diuini Myſterii meditationem efficient, ac fieri quandoq; poterit, vt ad eijciendas animo turbas ac eius quietem procurandam ſatis ſit futurum, dicere: IESVS eſt homo factus, IESVS eſt frater meus; anima mea illi cordi erit, méque his malis eripiet: aut certè cum S. Thomâ dicemus, *Verbum Caro factum eſt*; quibus verbis vſus, omnes panicos terrores obſcuræ noctis à ſe abegit: nos quoque eius exemplum imi-

a *Serm. 20. in Cant.*

irritati, multa incommoda à nobis amoliemur, quibus nimium quantum in hoc miseriarum domicilio sumus oppressi. Quòd si sim⁹ erga ineffabile hoc ac dulcissimum DEI Hominis Mysterium præ cæteris bene affecti, præter volaticas illas cogitationes, serijs etiã atque prolixis asuescemus; vt sunt meditationes de hoc S. Mysterio institutæ: atque ita in vtroque capite B. Magdalenam de Pazzis imitabimur, quæ vltra eas frequentes cogitationes, quas o argumento subinde occupabat, non poterat eiusdem materiæ meditatione atiari: vnde euenit, vt die quodam profundâ Verbi Diuini cum carne in ancto Matris Virginis vtero coniuncti onsideratione abrepta, eam gratiam it assecuta, vt S. Augustinus eodem tempore cordi eius hæc Verba inscriberet, *Verbum Caro factum est*, ita quidem, vt primæ duæ voces aureo charactere, cæteræ verò sanguine scriberentur.

CAPVT

CAPVT XI.

CONCLVSIO ET POSTREMVM documentum Hagiophilo traditum, circa Pietatis Exercitia hoc libro explicata, & quodnam præ reliquis omnibus sit DEI Filio gratius futurum.

HAGIOPHILE, finem huic libro S. Gregorij Nysseni documẽto imponam, quod olim homini Christiano, quem ad perfectionem instituit, inter alia tradebat: *a* is igitur cuiuis Christi Nomen profitenti auctor fuit, vt quisque vitæ suæ pictor esset, mentémque suam virtutum ceu colorum temperamento ad perfectam imaginem, præstantémque effigiem elaboraret, ad veri Archetypi IESV CHRISTI exemplar efformatam. In eundem sensum & ego te adhortor: quid enim vtilius & gloriosius potest à nobis fieri, quàm vt studeamus IESV CHRISTI

a *Lib. de perfectâ Christiani formâ.*

CHRISTI perfecti amatores effici, eiúsque diuinas virtutes & perfectiones imitari? hic gloriæ nostræ apex & votorum maximorum summa est. Porrò modus feliciter eò pertingendi, & in IESV gratiam se blandè insinuandi, est, ei se similem amore & imitatione exhibere. Amor, qui nunquam sine reuerentiæ ac honoris rei amatæ debiti comitatu incedit, per omnia ea, quæ adduxi, pietatis Exercitia potest obtineri: cùm nemo facilè in ijs absq; amore, absque amoris fructu, absq; amoris in IESVM profectu versetur; quin & voluptate afficitur, sæpius ad eadem reuertendi, & omnibus simul hisce artibus apud IESVM gratiam ineundi. E centum, quæ huc attulimus, si quem ea percurrere non pigebit, facilè vnum alterúmue arridebit. Neque velim credas, ad vnum omnia fuisse à me pertractata; cùm quotidie possint noua excogitari; & ad exemplar illorũ, quæ ad DeiMatrem destinantur, similia pro Filij honore institui. Nemo non intelligit, honores, amores, pietatis exerci-

tationes, quibus ſancti erga Redemptorem ſuum ac noſtrum ſunt vſi, non ſemper omnes nobis fuiſſe perſpectos, præterquam quòd aliunde ſint ſupra modum ardui.

Quod verò ad præcipuas quaſque Sanctorum actiones attinet, quibus IESV amantes ſe impenderunt, illæ hunc
* Centenarium efficiunt: has aut omnes aut aliquas ad IESV obſequium & ſuum vſum depromat, qui volet: mihi perinde eſt; dummodo IESVS ac Dominus meus amore & cultu non deſtituatur, & Hagiophilus meus bono apud ipſum loco ſit.

Vt de Imitatione loquar, quæ altera pars eſt ad hoc negotium neceſſaria, eam ego inter omnia pietatis exercitia, quæ Filio Dei præſtari poſſunt, primas tenere exiſtimo: quandoquidem eius virtutes, vt patientiam, charitatem, modeſtiam, manſuetudinem & alias imitari, præcipuum indicium, ac maximè luculentum argumentum eſt eius amoris ac reuerētiæ, quibus eum complectimur. Nullo laboris pretio alia

cen-

centum Exercitia arripiemus, si hanc vnam à tergo relinquimus: vt enim bene facias, necesse est te initio IESV CHRISTI virtutes imitari, eásq; sancto constantíque vsu prosequi: aliter nihil in cæteris ages, & tota moles reliqua pietatis paulò pòst collabetur. Accuratè igitur magnóque studio nobis oculi sunt in vitam Seruatoris & hoc diuinum exemplar conijciendi, vt eius in nobis lineas ductúsq; exprimamus. Ipse olim Discipulis suis locutus, a *Vos* ait, *vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*: & alio loco: b *Ego sum via*: quasi diceret, vt S. Bernardus explicat; Ego sum via, quam tenere illos necesse est, qui pertingere ad Cælum, ac vitam beatam assequi desiderant: per me tibi transeundum est, opera & virtutes meas imitando, si velis illuc euadere. Aliâ occasione ijs verbis eos est allocutus, quæ aptè in quemuis è nobis quadrant: *si quis mihi ministrat*

a *Ioan.* 13. b *Ioan.* 14.

ſtrat, me ſequatur, a quid eſt, *me ſequatur,* quærit S. Auguſtinus, b & reſpondet ipſe, *niſi, me imitetur?* Hagiophile, ſi quid agis, hoc age: hæc eſt illa virtutum IESV CHRISTI imitatio, quam cupio tibi curæ eſſe, vt caput præcipuum vtiliſſimúmque omnium piorum exercitiorum, quibus ei poſſis blandiri, vt veri amoris in illum genuinum characterem, vt maximum genus honoris ac ſubmiſſionis, quo potes eum colere. Iſta fert palmam, quam ei nulla alia pietatis exercitatio præripiet: *Religioſiſſimus cultus, imitari,* ait Lactantius, c quòd ſi ea ſententia in quæuis hominum merita virtutéſque cadit; quantò potiori jure dicendum erit, maximum eſſe à nobis ſtudium ad id conferendum, vt virtutes Filij DEI imitemur, quæ honorem ac venerationem infinitam, íjſque omnibus excellentiorem promerentur, quàm mortales poſſint excogitare. Ab eâ demum Imitationis Chriſtianæ comendatione ad meũ

in-

a *Ioan. 12.* b *Tract. 15. in Ioan.*
c *De verâ Sapientiâ lib. 5.*

in te ſtudium tranſeo, quo accenſus animus in IESV obſequio & amore felices tibi progreſſus exoptat: & ad extremum te tuíque in amando IESV ſimiles iiſdem S. Pauli verbis compello, quibus ille Epheſios ſalutat, cùm Epiſtolę ad illos exaratæ finem imponit: a *Gratia cum omnibus, qui diligunt IESVM:* licétne adiungere; *& cum omnibus, qui diligunt MARIAM?* & cur non ſit concesſum? quandoquidem hi duo gemelli amores perpetuò ſe comitentur, & Hagiophilus pro Symbolo non minùs, quàm ego, illâ melleâ ſententiâ vtatur:

IESVM ſcire, mihi ſatis eſt, & amare MARIAM.

a *Epheſ. cap. 6.*

AMORE JESV ET MARIÆ.

INDEX

INDEX
CAPITVM HVIVS LIBRI ET EXERCITIORVM, QVÆ singulis Capitibus continentur.

CAPVT I.
OCTO PIETATIS EXERCITIA pro Festo & Octauâ adorandi Nominis IESV Kal. Januarij.

CAPVT II.

QVADRAGINTA SEX PIETATIS Exercitia erga DEI Filium, ad recolenda SS. Passionis ac Mortis eius mysteria, pro totidem Quadragesimæ diebus assumenda.

XXVII.

XLIII.

CAPVT III.

OCTO PIETATIS EXERCITIA erga Filium DEI pro Festo & Octouâ gloriosæ Christi Resurrectionis.

CAPVT

CAPVT IV.

QVATVOR PIETATIS EXERcitia erga Deum Patrem pro Dominicâ quæ Christi Ascensionem antecedit & sequenti triduo.

CAPVT V.

DECEM PIETATIS EXERcitia erga Filium DEI pro Festo Ascensionis vsque ad diem Pentecostes.

CAPVT VI

SEPTEM PIETATIS EXERcitia, erga Spiritum S. pro festo Pentecostes & sequentibus diebus vsque ad festum SS. Trinitatis.

V. Litan.

CAPVT VII.

QVATVOR PIETATIS EXERcitia, erga SS. Trinitatem, pro festo eiusdem die & sequenti triduo.

III. *Fre-*

CAPVT VIII.

OCTO PIETATIS EXERCITIA erga Venerabile Sacramentum, pro eius Festo & Octauâ.

CAPVT

CAPVT IX.

EXER. VNICVM erga Filium Dei in Festo Transfigurationis 6. Augusti.

CAPVT X.

TRIA PIETATIS EXERCITIA erga Filium Dei, pro Festo Natiuitatis eius, & sequenti biduo.

CAPVT

CAPUT XI.

FINIS.